





ICHNEUMONOLOGIA
EUROPAEA,

AUCTORE

I. L. C. GRAVENHORST,
PROFESSORE VRATISLAVIENSI.

PARS II,

CONTINENS

TRYPHONES, TROGOS, ALOMYAS ET CRYPTOS.

VRATISLAVIAE,
SUMTIBUS AUCTORIS,
PROSTAT LIPSIAE APUD LEOP. VOSS.
1829.

GENUS II.

TRYPHON.

Abdomine convexo, petiolato aut subsessili; capite transverso; scutello plano aut convexo; areola vel triangulari aut irregulari, vel nulla (aculeo abscondito aut subexserto).

FAMILIA I,

seu subgenus:

MESOLEPTUS.

a μέσος, medius, et λεπτὸς, tenuis — in medio tenuis; ob petiolum tenuem.

Abdomine oblongo aut subovato; segmento primo antice subconvexo levi, petiolo tenui; pedibus et antennis subgracilibus.

Caput thorace paulo angustius, breve, plerumque collum versus sensim paulo angustatum — *Oculi* ovales, plus minus prominuli; nonnullis speciebus, quibus minores sunt, perparum prominuli; Mesolepto exornato minimi suborbiculati. Speciebus capite grandiore (e. g. seminigro, exornato, stictico) oculi, caeteris paribus, minores sunt, minusque prominuli quam reliquis — *Antennae* graciles, ut plurimum longae, apice plus minus curvatae; quibusdam breviores porrectae, v. c. M. nemorali, Antilopae, delusori, montano, fortipedi — De *antennis* et *oris partibus* conferantur notae ad M. laevigatum et filicornem — *Thorax* gibbulus rarius cylindricus, e. g. M. grisescenti — *Scutellum* convexum aut gibbum, triangulare, apice obtuso — *Alae* mediocres; nonnullis (e. g. narratori, faciali) subamplae; areola vel omnino nulla, vel parva triangulari, plerumque irregulari, interdum suborbiculari, saepius petiolata, tunc autem nonnunquam minutissima, rarius subquinqueangulari subpyramidali, interdum incompleta, nervo exteriore fere toto deleto — *Pedes* plurimis subgraciles longi, paucis mediocres (e. g. M. montano) aut crassius-

culi (e. g. M. fortipedi) *Abdomen* petiolatum convexum, rarius subdepresssiusculum, subtus concavum subvacuum; maribus procerius gracilius, thorace longius plerumque illo angustius, haud raro segmentis 2—5 aequilatis; feminis brevius latius, interdum pyriforme, saepius subtus apice turgidiore; nonnullis speciebus apicem versus subcompressum. *Segmentum primum* plerumque leve, aut tantum basin versus canaliculatum est; parte antica vel petioli longitudine vel breviore, plerisque sensim in petiolum coarctata, rarius subito dilatata, saepius autem, imprimis nonnullis maribus, vix paulo latiore quam petiolus; tuberculis lateralibus distinctis — *Aculeus* subexsertus.

Relationis Mesoleptorum ad *Pristicerotes* et *Ichneumones* supra jam mentio facta est — In *familia secunda* hujus generis, seu *Tryphonibus genuinis*, plures sunt species abdomine subpetiolato, tuberculis lateralibus primi segmenti fere in medio, rarissime in medio ipso vel ante medium, sitis, quae, si eis insuper petiolus gracilior est (e. g. *Tr. naevius*, *albicinctus*, *involutor*, *brachyacanthus*, *elongator*, *evolans*, *ochrostoma*, *vernalis*, *iratus*, etc.) propius accedunt ad Mesoleptorum species petiolo breviore et robustiore, quales sunt *M. erythrocephalus*, *vitratorius*, *testaceus*, *larvator*, *limitaris*, *sponsorius*, *cinctulus*, etc. ita ut limites familiarum ambarum hic collabantur — Unica species *familiae quintae* (*Sphinctus serotinus*) quodammodo quidem ad nonnullas feminas Mesoleptorum, abdomine minus crasso, (v. c. *M. fuscicornis*

et *nemoralis*) adpropinquat, habitu toto autem optime distinguitur, nec in Mesoleptos transit — Quaedam species subgeneris *Cryptorum*, seu *familiae secundae* Cryptorum, (v. c. *C. grisescens* et *bivinctus*) habitu toto naturali, praeprimis forma abdominis, Mesoleptis respondent, sed areola quadrangulari discedunt; itidem mares minores quorundam Cryptorum, v. c. *Cr. macilenti* et *alternatoris*, cum Mesoleptis longepetiolatis conferri possent, nisi forma areolae discederent. Sunt vero etiam Crypti nonnulli, cellula ista subtriangulari, e. g. *Cr. arrogans*, qui, hac ratione, Mesoleptis respondent; contra Mesolepti quidam, areola subquinqueangulari, ad mares Cryptorum propius accedunt—Mesoleptorum longepetiolatorum mares, antennis porrectis, feminaeque, antennis pedibusque brevioribus et crassioribus, cum *Phygadeuontibus* quoque, seu *familia tertia Cryptorum*, consociari possent, nisi forma aut defectu areolae different. Inter Phygadeuontes e. g. *Ph. pumilio* et *jucundus* ad Mesoleptos redigi possent, sed areola genera ambo sejungit; tamen *Ph. facialis*, antennis longis, areola subtriangulari, imprimis autem pedibus longis gracilibus et petiolo longo, propius accedit ad Mesoleptos — Species areola incompleta, nervo exteriore fere omnino oblitterato (*M. spheginus*, *laevigatus*, *splendens*, *decipiens*, *albitarsus*) *Hemitelibus*, seu *familiae sextae Cryptorum* respondent. Feminae quidem aculeo vix exserto distinguuntur; mares autem ad quosdam mares Hemitelium, e. g. *H. palpatoris*, *im-*

becilli, luteolatoris, abdomine longiore et graciliore, prope accedunt, nec nisi petiolo longiore et tenuiore differunt, licet hic quoque character haud ita distinctivus sit ut nullam admittat confusionem — Mares *Ischnocerotum*, seu *familiae nonae Cryptorum*, a quibusdam Mesoleptis antennis gracilioribus (v. c. *M. pectorali*) petiolo differunt breviore et crassiore, antennisque gracillimis — Mares *Mesoplatorum*, seu *familiae undecimae Cryptorum*, defectu stylorum analium a reliquis cospeciebus differentes, e. g. *splendidulus*, propius accedunt ad quosdam Mesoleptos, v. c. ad Mes. exornatum, nec nisi areola majore rhomboidali distinguuntur —*Mesoleptus albitarsus* habitu toto cum *Exetaste aethiope* confundi posset, qui autem petiolo breviore et crassiore, nec non areola triangulari, discedit — Nonnulli Mesolepti, abdomine apicem versus subcompresso, quales sunt *M. testaceus, ventrator, bicingulatus*, et plurima individua *M. Typhae*, hac abdominis forma cum nonnullis *Campoplegibus* (*familia prima Ophionum*) conveniunt, e. g. cum *C. unicincto, errabundo, auctore* etc., a quibus quidem illi, antennis longioribus et gracilioribus, nec non segmento primo sensim in petiolum angustato, nec subito coarctato, distingui possunt, sed etiam his characteribus distinctivis genera ambo, in Mesolepto bicingulato et Tryphone unicincto, collabuntur — Alii, petiolo breviore et latiore, praesertim colore testaceo, transeunt ad *Paniscos*, seu *familiam secundam Ophionum*: *Paniscus virgatus* et *Mesoleptus testaceus*, qui facile confunduntur,

genera ambo jungere videntur, nec nisi abdomen magis compressum Paniscum illum a Mesoleptis removet — Tandem *Mesoleptus evanialis*, stigmate magno, abdomine subcompresso, corpore parvo, quodammodo ad *Trachynotos*, seu *familiam sextam Ophionum*, spectat, sed areola triangulari, nec non nervo exteriore inferiore cellulae interioris arcuato, differt.

SECTIO I.

1) *Scutello et abdomine nigris.*

2) " pallido nitido, segmentis p... plurimque pallide marginatis

Abdomen plerumque segmentorum ultimorum marginibus summis subglaucis est. Species quaedam, segmentorum omnium marginibus subglaucis aut subtestaceis (*M. infernalis, sericeus, limitaris*), vel segmentis 2 et 3 basi castaneis (*M. evanialis*) ad sectionem quartam spectant. *M. quadriannulatus,* scutello albonotato, et *M. limitaris* varietas scutello castaneo, ad sectionem 2 propius accedunt.

E *sectione* 4. *M. filicornis* varietas secunda, abdomine nigro, segmentis 2 et 3 badiomarginatis, et *M. teneri* mas, abdomine nigro, segmenti secundi margine rufescente, in sectionem primam transeunt.

3) Scutello pallido aut rufo, abdomi-
ne vel ~~tota~~ rufo, vel rufonigr...

4) Scutello nigro, abd. vel t. r...
v. rufonigro...

1. M. ALBITARSUS. n.

Orbitis oculorum internis et antennarum articulo 1 subtus albidis; tibiis anterioribus et femorum anteriorum apice rufis, tarsis posticis medio albis. m.

Longitudo 4 linearum. *Caput* palpis et macula mandibularum sordidestramineis, orbitis oculorum internis exalbidis. *Antennae* subsetaceae, corporis longitudine, articulo primo subtus albo. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice picea, squamula nigra, areola quinqueangulari subpyramidata. *Pedes* graciles elongati; tibiis anterioribus rufis, mediis apice fusco, posticis summa basi ferrugineis; femoribus anterioribus apice rufis; tarsis posticis articulis 3 et 4 albis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, nitidum, subsericeum; segmento 1 petiolo subcarinato, longiore et angustiore quam pars antica.

Marem unicum cepi mense Augusto, in fruticetis prope *Cudowam*.

Nota:

Sunt tres species, quibuscum haec confundi posset, si obiter eam intuereris, nempe: *M. annulatus*, pro cujus mare haec haberi posset; differt autem areola quinqueangulari, tuberculis lateralibus segmenti 1 propius ad apicem sitis, pedibus paulo longioribus: *Tr. murinus* et *Banchus aethiops,* qui autem petiolo multo breviore et crassiore, nec non areola triangulari, differunt.

Euryproctus

2. M. ANNULATUS. n.

Annulo albo antennarum et tarsorum posteriorum; tibiis anticis rufis. f.

Statura et proportio partium omnino individuorum graciliorum *M. nemoralis.*

Longitudo 5 linearum. *Antennae* articulis 12—17 albis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula fuscis; areola triangulari irregulari subsessili. *Pedes* tibiis anticis rufis, mediis interne ferrugineis; tarsis anticis rufofuscis, posterioribus articulis 2—4 albis.

Feminam unicam *Manger* cepit prope *Warmbrunn.*

3. M. NARRATOR. n.

Tibiis anterioribus testaceis. m.

Statura angusta — *Longitudo* 5½ linearum. *Caput* palpis et mandibulis fuscis, his apice nigris. *Antennae* subfiliformes, corpore breviores, apice

incurvae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice picea; areola nulla. *Pedes* mediocres; femoribus anticis testaceis, basin versus fuscis, mediis fuscis apice testaceo; tibiis tarsisque anterioribus testaceis, posticis fusconigris. *Abdomen* capite thoraceque duplo longius, thorace angustius, apicem versus teres; segmento 1 lagenaeformi, lineis duabus elevatis, petiolo tenui, parte antica apicem versus sensim dilatata; 2—5 aequilatis.

Individuum unicum *hannoveranum Hegewisch* mecum communicavit.

4. M. FACIALIS. n.

Femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro; facie, antennarum annulo, tarsisque anterioribus albidis. m.

Longitudo 5 linearum. *Caput* ore et facie albidis, mandibularum apice nigro. *Antennae* corpore aliquanto breviores, subsetaceae, apice curvatae; articulo 1 nigro subtus albo, 2 et 3 nigris, 4—19 nigris subtus ferrugineis, 20—26 albis, sequentibus ferrugineofuscis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio testaceopiceis, radice et squamula fusconigris; areola in ala dextra deficiente, in sinistra minutissima triangulari irregulari longepetiolata. *Pedes* subgraciles, elongati, rufi; coxis et trochanteribus nigris, anticis subtus flavis; tibiis anterioribus intra flavis, posticis apice fusco; tarsis ante-

rioribus flavis ungue piceo, posticis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque longius et angustius, oblongum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, tuberculis lateralibus ante medium sitis.

Unicum marem *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

Nota:

Petiolus segmenti 1 crassior est quam in reliquis hujus familiae speciebus, quo haec ad sequentem familiam transit.

5. M. QUADRIANNULATUS. n.

Femoribus tibiisque rufis, annulo antennarum et tarsorum posticorum albo. m?

Longitudo 4 linearum. *Caput* palpis testaceis; orbitis oculorum frontalibus albis tenuissimis. *Antennae* graciles, corpore breviores, apice curvatae, articulis 11—14 tribus lateribus albis. *Thorax* gibbulus; punctulo ante alas, alteroque infra alas, albis. *Scutellum* puncto minutissimo laterali albo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice picea, areola triangulari. *Pedes* graciles, coxis et trochanteribus nigris; femoribus rufis, posticis summo apice nigro; tibiis testaceis, posticis summo apice fusco; tarsis fuscis, anterioribus articulo 1 rufo, posticis articulis 3 et 4, nec non secundi apice, albis. *Abdomen* lanceolatum, capite thoraceque paulo longius et angustius; segmento 1 parte antica quadrata, duplo

breviore et latiore quam petiolus, tuberculis lateralibus subprominentibus.

Individuum unicum *Manger* cepit prope *Warmbrunn*.

6. M. SERICEUS. n.

Sericeus; pedibus ore et antennarum basi testaceis, coxis posterioribus fuscis. m.

Longitudo $3\frac{1}{2}$ linearum. *Corpus* totum pilis brevissimis tenuissimis griseosericeum. *Caput* ore testaceo. *Antennae* graciles, filiformes, porrectae, corporis longitudine, fuscae, subtus ferrugineae basin versus testaceae. *Thorax* gibbulus. *Alae* amplae, subfumatohyalinae, irideae, stigmate et radio pallidepiceis, radice et squamula pallidetestaceis, areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* graciles, testacei, latere supero coxarum posteriorum et femorum posticorum nigrofuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius pauloque angustius, subclavatum; segmento 1 longo, laevissimo, apicem versus sensim dilatato, parte antica latitudine duplo longiore, longitudine petioli; segmentis omnibus summo margine subtestaceis.

Marem unicum *Besser* e *Volhynia* transmisit.

7. M. LIMITARIS. n.

Pedibus rufis, ore rufo aut flavicante, antennis subtus testaceis, segmentis ultimis albidomarginatis. f.

Longitudo $2\frac{1}{6}$—$3\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* clypeo et ore cereis aut rufis, mandibularum apice fusco.

Antennae corporis longitudine vel paulo longiores, graciles, porrectae, filiformes, apice ut plurimum recurvae, fuscae, subtus ferrugineae aut testaceae; articulo 1, individuis majoribus, subtus flavo. *Thorax* gibbus; interdum puncto ante alas et macula pectorali castaneis. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula flavescentibus, areola triangulari. *Pedes* mediocres, rufi aut fulvi; interdum coxis et trochanteribus anticis, vel etiam mediis, flavicantibus, tibiis flavicantibus, posticis plerumque apice subfuscescente; tarsis posticis subfuscescentibus. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius, thoracis latitudine, fusiforme aut oblongoovatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, parte antica longiore quam petiolus; 4—7 margine laterali, margineque tenuissimo apicali, albentibus. *Aculeus* exsertus brevis.

Individua quaedam, prope *Norimbergam* et *Niesky* capta, plura autem circa *Warmbrunn* lecta, accepi.

Varietates

1, *Scutello rufo-castaneo* — *Longitudo* 3—3 ½ linearum — Caetera sicut in femina genuina.

Nonnulla, prope *Warmbrunn* capta, mihi transmissa sunt.

Nota:

Haec species, propter petiolum breviorem crassioremque, ad familiam secundam hujus generis transit.

8. M. INFERNALIS. n.

Tibiis anticis et femorum anticorum apice rufis. f.

Longitudo 2⅓ linearum. *Antennae* filiformes, corpore dimidio paulo longiores. *Thorax* gibbus. *Alae* hyalinae, irideae, stigmate radio radice et squamula stramineis, areola triangulari regulari petiolata. *Pedes* mediocres; antici femoribus rufis basi nigra, tibiis rufis; tibiis posterioribus interne obsolete testaceis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et vix paulo angustius, oblongoovatum, clavatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, reliquis margine subglauco. *Aculeus* absconditus.

Feminam unicam *pedemontanam* cepit *Bonelli* mense Aprili.

9. M. EVANIALIS. n.

Abdomine subcompresso; pedibus rufis, coxis nigris, tarsis posticis nec non tibiarum posticarum apice fuscis. m.

Longitudo 1¾ linearum. *Antennae* filiformes, corpore paululum breviores. *Thorax* gibbus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis; areola parva suborbiculata subpetiolata. *Pedes* mediocres, rufi; coxis nigris subtus rufescentibus, trochanteribus posticis basi nigra, tarsis posticis nec non apice tibiarum posti-

carum fuscis. *Abdomen* lanceolatum compressiusculum, thoracis longitudine, sed eo angustius; segmento 1 parte antica basin versus sensim angustata, latitudine longiore, duplo fere latiore quam petiolus eoque paulo breviore; 2 et 3 summa basi obsolete castanea.

Marem unicum *ab Esenbeck* cepit prope *Sickershausen* in umbellatis, mense Augusti.

Nota:

A reliquis hujus sectionis speciebus haec differt praecipue stigmate insigniore, cellula interna breviore, nec non statura minore. Abdomen breve compressum huic speciei nomen subpeditavit. Primo intuitu hic Mesoleptus familiae nonae Ophionum cognatus esse videtur, differt autem cellulae internae nervo inferiore externo curvato, nec non areola.

10. M. LEUCOSTOMUS. n.

Ore albido, pedibus flavopictis, antennis apicem versus rufoferrugineis. f.

Longitudo $3\frac{1}{4}$ linearum. *Caput* ore et clypeo albidoflavis, apice mandibularum nigro. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores; articulis 1—3 totis nigrofuscis, sequentibus subtus ferrugineis, ultimis totis ferrugineis. *Thorax* gibbus. *Alae* hyalinae, irideae, stigmate piceostramineo, radio fusco, radice et squamula pallideflavis; areola triangulari irregulari petiolata. *Pedes* anteriores flavi,

coxis trochanteribus unguibus et femorum basi nigris; postici nigri, tibiis flavis apice nigro. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et paulo angustius; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, tuberculis lateralibus in medio sitis, petiolo canaliculato, parte antica latitudine longitudinis; 2—4 aequilatis; sequentibus summo margine albente; segmento 6 ventre paulo prominente, spicula tenui brevissima exserta, quae *aculeus* esse videtur, vaginis autem absconditis.

Hoc individuum *Hartlieb* cepit mense Majo prope *Vratislaviam.*

SECTIO II.

Scutello pallide notato; segmentis plerumque pallide-marginatis.

Scutellum plerumque album est aut albonotatum, in *M. pectorali* autem castaneonotatum.

E *sectione* 1 *M. quadriannulatus*, scutello albonotato, et *M. limitaris* var., scutello castaneo, huc spectant.

---

11. M. MAURUS. n.

Pedibus rufis, posticis apice nigris. f.

Longitudo fere 6 linearum. *Caput* palpis dilu terufis, labro et macula mandibularum ferrugineis. *Antennae* filiformes, corpore dimidio paulo longiores, porrectae, apice curvatae, fuscae, subtus ferrugineae. *Thorax* gibbus, subpilosellus. *Scutellum* apice testaceo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate rufo, radio fusco basin versus rufo, radice et squamula silaceis; areola triangulari regulari subpetiolata. *Pedes* subgraciles, rufi; anteriores tibiis dilutioribus; postici tarsis tibiisque nigris, his basin versus rufis. *Abdomen* capite thoraceque duplo longius, thoracis latitudine, subpilosellum; segmento 1 profunde canaliculato, apicem versus sensim dilatato, tuberculis duobus acutiusculis lateralibus in medio sitis, parte antica punctulata latitudine aliquanto longiore; 2—5 subaequilatis subquadratis; ano (in hoc individuo) truncato. *Aculeus* exsertus, brevissimus, compressus, subsursumcurvatus.

Individuum unicum *fennicum Sahlberg* transmisit.

Nota:

A reliquis Mesoleptis hujus et primae sectionis hic differt segmenti primi parte antica latiore et profundius canaliculata; a speciebus nigris familiae secundae, petiolo distinctiore segmenti primi.

12. M. PECTORALIS. n.

Pedibus rufis, posticorum tarsis et tibiarum apice fuscis; thorace flavomaculato; antennis subtus ferrugineis articulis 1—3 albidis. m. et f. (*mas* facie pectore et coxis anterioribus flavis; *fem.* facie flavomaculata.)

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput maris* facie genis et ore flavis, mandibulis apice ferrugineo; *feminae* orbitis oculorum internis, punctis duobus infra antennas, puncto genarum, clypei margine, oreque flavicantibus, mandibularum apice fusco. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, apice incurvae, fuscae; subtus ferrugineae, articulis 1—2—3 albidis. *Thorax* gibbus; *maris* pectore, collo, linea lata ante alas, puncto sub alis, suturaque laterali metathoracis, flavis; *fem.* margine supero colli, linea ante alas, punctoque infra alas, flavoalbidis. *Scutellum maris* punctis duobus flavis, *feminae* punctis duobus rufis confluentibus. *Alae* mediocres, hyalinae, stigmate et radio testaceopiceis, radice et squamula flavescentibus; vestigio obsoletissimo areolae triangularis irregularis subsessilis. *Pedes* mediocres; *maris* rufi, anteriores coxis et trochanteribus pallideflavis; postici tro-

chanteribus pallideflavis superne basi nigra, femorum puncto apicali nigro, tarsis et tibiarum apice fuscis; *feminae* rufi, postici tarsis et tibiarum apice nigris. *Abdomen maris* capite thoraceque paululum longius et angustius, elongatoclavatum subsericans, *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, subfusiformi-clavatum, subsericans; segmento 1 elongatolagenaeformi, laevi, tuberculis lateralibus prominulis in medio sitis; sequentibus margine summo obsolete subcastaneo. *Aculeus* brevissimus.

Par hujus speciei die tertio Iunii prope *Barterodam* in frutetis cepi.

Mesoleptus (B. a.)

13. M. CINGULATUS. n.

Pedibus fulvis, coxis pallidioribus, tarsis posticis nec non tibiarum posticarum apice fuscis; pectore et facie flavis; segmentis albomarginatis. m.

Statura antecedentis; sed abdomine graciliore, pedibus longioribus. A sequente differt hic areola deficiente, abdomine longiore, petiolo graciliore et longiore etc.

Longitudo 3¼ — 4 linearum. *Caput* facie genis et ore flavis aut subferrugineis. *Antennae* fere corporis longitudine, apice incurvae, fuscae; subtus ferrugineae articulo 1 flavo. *Thorax* subtus et lateribus flavis, macula nigra infra alas; supra niger, puncto infra scutellum, interdum etiam lineis duabus longitudinalibus, flavis. *Scutellum* flavum.

Alae subamplae, subfumatohyalinae, stigmate et radio stramineis, radice et squamula flavis. *Pedes* fulvi, anteriores coxis et trochanteribus dilutioribus; postici coxis et trochanteribus subtus pallidioribus, tarsis et tibiarum apice fuscescentibus, tibiis basin versus sordide pallidis. *Abdomen* segmentis sordide albidomarginatis, colore albido marginum segmentorum ultimorum interdum latera versus extincto.

Individua duo ex *Hercynia* vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg* sub nomine *Ichneum.* (nunc Tryphonis) *armillatorii* Grav. varietatis; differt autem.

14. M. EXORNATUS. n.

Nigro flavoque varius; pedibus pallidefulvis, posticorum tarsis et tibiis fuscescentibus; segmentis flavomarginatis. m. et f.

Longitudo 2⅔ linearum. *Caput* subglobosum, flavum, mandibulis apice ferrugineis; oculis minoribus quam in plurimis cospeciebus, ocellis et regione circa ocellos, nigris. *Antennae* filiformes, porrectae, corporis circiter longitudine, nigrae, articulo 1 subtus flavescente; feminis apicem versus rufae aut ferrugineae. *Thorax* gibbus flavus; macula pectorali maris nigra aut ferruginea, feminae ferruginea aut rufa; lineis tribus longitudinalibus dorsalibus latis nigris, in femina rarius rufis aut nigroferrugineis, media plerumque in medio interrupta; regione circa scutellum et puncto trans-

versali ante petiolum nigris; lineola transversali infra scutellum flava. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres, hyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula flavis, areola triangulari subpetiolata. *Pedes* graciles fulvotestacei; coxis et trochanteribus flavis, posticis supra puncto nigro; postici femorum basi interdum nigra, tibiis fuscescentibus interdum basi sordide ferrugineofulva, tarsis fuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine vel paulo longius, thorace angustius, vel sublinearifusiforme vel apicem versus sensim incrassatum; nigrum, segmentorum marginibus flavis, ventre flavo subnigropicto; feminae segmentis 3 et sequentibus ante marginem ferrugineis, ventre flavo plerumque prominente compresso; segmento 1 lagenaeformi, seu apicem versus sensim dilatato, canaliculato, canalicula interdum obsoleta, tuberculis lateralibus in medio sitis. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Mares et feminas cepi, initio Iunii, dumeta circumvolitantes, prope *Barterodam*. Feminas cepit *Klug* prope *Berolinum* in pinetis.

Nota:

Haec species et *M. sticticus* et *luteolator* sectionis tertiae, nec non *Tr. nigrolineatus* familiae secundae, habitu toto naturali, imprimis capite crassiore, rufo aut flavo, oculis ocellisque nigris, cognati sunt.

15. M. LARVATOR. n.

Albomaculatus; antennarum annulo et segmentorum marginibus albis; pedibus rufis, anteriorum coxis nigris puncto albo, posticorum basi nigra. m.

Longitudo fere 4—5 linearum. *Caput* ore, orbitis oculorum internis, interdum quoque punctis duobus clypei et puncto ad orbitas externas oculorum, testaceoalbis; mandibulis apice fusco. *Antennae* porrectae, corpore paulo longiores, medio subcrassiores, apicem et basin versus sensim tenuiores; articulis 11—16 aut 12— 19 supra albis. *Thorax* gibbulus aut gibbulocylindricus; colli margine, lineolis duabus longitudinalibus dorsalibus (interdum obsoletis), linea ante alas, lineola transversali sub alis anticis, puncto sub alis posticis, altero ante coxas medias, linea transversali infra scutellum, metathoracis maculis duabus in parte ejus declivi maculaque laterali, albis. *Scutellum* album. *Alae* mediocres, hyalinae; stigmate radio et squamula nigris aut piceis, radice substraminea puncto nigro; areola triangulari subregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores mediocres, rufi, coxis nigris puncto albo, trochanteribus basi nigra; postici rufi, coxis trochanteribus et femorum apice nigris. *Abdomen* ovatofusiforme, capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, marginibus segmentorum albis; segmento 1 canaliculato, 2—5 interdum fere aequilatis.

Hujus speciei *austriacae* individuum minus *Dahl* mecum communicavit sub nomine *Ichneumonis larvatoris* Ziegleri; individuum majus autem D*ahl* transmisit *Ehrenhausio* sub nomine *Ichneumonis ruspatoris* Z.

Nota:

Ad hanc speciem conferre velis *Cryptum orbitatum*, qui quidem petiolo paulo graciliore et colore differt, caeteris autem huic Mesolepto peraffinis est.

SECTIO III.

Scutello pallido aut rufo; abdomine vel toto rufo, vel rufonigroque.

Scutellum interdum solo apice pallidum est (v. c. *M. cinctulo* et *sordido*). Quin immo *M. cinctulus* et *ruficornis* scutello toto nigro variant, indeque ad sectionem quartam spectant — *Abdomen* rarius totum rufum est (*Mesolepto testaceo*), plerumque basi et apice, vel basi sola, nigrum.

Mesoleptus (s. a.)

16. M. MELANOCEPHALUS. n.

Rufus; capite nigro, facie et ore flavis. m.

Statura et proportio partium omnino maris speciei sequentis; an ejus varietas?

Longitudo $4\frac{1}{2}$—5 linearum. *Caput* mandibulis apice nigro. *Antennae* articulo 1 subtus plerumque flavo. *Thorax* interdum linea ante alas, seu puncto infra alas, plerumque sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, flavis. *Alae* stigmate stramineo, radio fuscescente, radice et squamula flavis; areola irregulari, petiolo brevi. *Pedes* coxis et trochanteribus anticis, interdum etiam mediis, pallidestramineis.

Individua quaedam cepi in umbellatis frutetis et gramine circa *Cudowam*, mense Augusto.

Mesoleptus (s. a.)

× 17. M. TESTACEUS.

Testaceorufus, oculis et ocellis nigris. m. et f.

Longitudo $3\frac{1}{4}$—$6\frac{1}{4}$ linearum. *Caput* ore et facie testaceis aut rufis, mandibulis apice fusco. *Antennae* graciles, filiformes, corporis longitudine vel paulo longiores, porrectae apice incurvo, fulvo-

ferrugineae seu ferrugineae seu nigricantes; articulo 1 semper rufo, subtus pallidiore. *Thorax* gibbulus, fulvostramineus seu rufus aut rufoferrugineus; interdum linea ante alas suturisque duabus lateralibus thoracis flavicantibus. *Scutellum* plerumque thorace pallidius est aut flavicans. *Alae* mediocres aut subamplae, hyalinae; stigmate radio radice et squamula fulvostramineis aut fulvoferrugineis; areola triangulari irregulari petiolata aut subpetiolata. *Pedes* graciles, fulvostraminei aut ferrugineostraminei, tarsis posticis interdum pallidioribus. *Abdomen* ferrugineum, rarius flavostramineum; capite thoraceque vel paulo vel fere duplo longius, thorace paulo angustius, lineare aut linearifusiforme, apicem versus mari interdum subcompressum feminae compressum; segmento 1 angustiore, apicem versus sensim dilatato, laevi, tuberculis lateralibus fere in medio sitis. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Mares nonnullos cepi circa *Gottingam;* alios quosdam, circa *Warmbrunn, Meiningen, Genuam* et in *Volhynia* (inter hos unicus thorace flavolineato) captos, accepi — *Feminas* legi in fruticetis, mensibus Junii et Augusti, circa *Barterodam* et *Salzbrunn;* quaedam circa *Norimbergam, Parmam,* et in *Volhynia* (haec omnium maxima) captae, mihi transmissae sunt.

Synonyma:

Ichneumon testaceus Fabr. Ent. Supl. p. 228 n. 189
„ „ *venosus* Gmel. ed. Linn. p. 2709 n. 354

Ichneumon clavator Müll. Prodr. n. 1820
„ „ „ Schrank Boica n. 2112; mense Septembris in dumetis circa Ingolstadt.
Bassus testaceus Fabr. Piez. p. 101, n. 31.

Nota:

Mas unus prope Meiningen captus, alterque (thorace haud flavolineato) e Volhynia, cum reliquis maribus majoribus optime quidem conveniunt, sed petiolo breviore et crassiore differunt.

Ichneumon testaceus Gmel. ed. Linn. p. 2702 n. 303, huc haud referri potest, sed ad *Tr. brachyacanthum* — *Ichn. clavator* Fabr. Ent. p. 151 et Panz. ad Schaeff. t. 20 fig. 12, ad nostrum *Exetasten clavatorem* adhibendus est. Illiger Bassum testaceum Fabr. interrogative adhibuit ad *Ichneumonem crassipedem* Rossii, qui autem potius Pimplae flavicanti respondet.

Propter abdomen apicem versus interdum subcompressum haec species prope accedit ad familiam secundam *Ophionum*, et quidem proxime ad *Ophionem Vinulae*.

Conferre velis speciei sequentis varietatem.

Perilitus.

18. M. PALLIDUS. n.

Pallidestramineus, oculis ocellisque nigris. m.

Statura et proportio partium sicut in maribus minoribus speciei antecedentis; sed segmenti primi

petiolo paulo breviore, et parte antica paulo latiore, differt.

Longitudo 2⅔ linearum. *Antennae* fuscotestaceae, articulo 1 pallidestramineo. *Alae* hyalinae, irideae, stigmate et radio testaceis, radice et squamula stramineis.

Marem unicum *Manger* prope *Warmbrunn* cepit.

Varietates: ?

1. *Diluterufa, oculis et ocellis nigris.* f. — *Longitudo* 3—3½ linearum. *Alae* hyalinae, stigmate radio radice et squamula pallidestramineis. *Abdomen* segmento 6 ventre prominente, *aculeum* rufum, haud ultra apicem abdominis porrectum, exserente — Colore et magnitudine hic magis convenit cum antecedente *testaceo*, sed segmento 1 latiore subpetiolato cum hoc *pallido*.

Individua duo *fennica Sahlberg* mecum communicavit.

Prionopoda,

19. M. STICTICUS.

Fulvus, scutello flavo; oculis ocellis pectore et petioli basi nigris. m. f. (*Mas* thoracis lateribus et regione circa scutellum nigris).

Statura et proportio partium omnino *testacei*, n. 17.

Longitudo 3—4½ linearum. *Caput* fulvum, facie oreque pallidioribus aut flavis, apice mandibularum nigro; oculis ocellis et macula quadrata

frontali nigris, hac feminae interdum ferruginea. *Antennae* filiformes graciles; *maris* corpore paululum longiores porrectae nigrae, articulis 1 et 2 subtus fulvis, 3—8 interdum subtus subfulvis; *feminae* longitudine corporis, apice subincurvae, ferrugineae, supra, imprimis basin versus, fuscescentes. *Thorax* gibbus, fulvus; puncto ante collum et macula pectorali nigris; maris praeterea lateribus et regione circa scutellum nigris aut nigromaculatis, metathorace nigro supra rufo; linea transversali infra scutellum flava. *Scutellum* flavum. *Alae* subamplae, hyalinae, radio et stigmate fulvostramineis, radice et squamula flavis, areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres subgraciles fulvi, antici coxis pallidioribus, postici tarsis et tibiarum apice, rarius etiam linea coxarum, fuscis aut nigricantibus. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius, thorace paulo angustius vel ejus latitudine, oblongum, apice subtus subcompresso; segmento 1 laevissimo, apicem versus sensim dilatato; feminae petiolo basi nigro; maris petiolo toto nigro, interdum fere toto segmento nigro, margine solo fulvo; reliquis segmentis fulvis. *Aculeus* brevissimus niger.

Mares et feminas legi, mensibus Julii et Augusti, in umbellatis circa *Helmstadium*. *Nees ab Esenbeck* utrumque sexus circa *Sickershausen* cepit. Praeterea *Desmarest* marem e *Gallia*, a *Sanvitale* feminam e *Parma* transmiserunt. Haec femina italica, longitudine 4 ½ linearum, maxima omnium est, cum reliquae longitudinem 3 ¼ linearum haud excedunt.

Varietates:

1. *Thorace fere toto nigro.* m. — *Thorax* lineola infra scutellum transversali flava; collo, plerumque macula laterali pone collum lineis duabus dorsalibus longitudinalibus punctisque duobus aut quatuor metathoracis dorsi, rufis — Caetera sicut in specie genuina.

Synonyma:

Ichneumon sticticus Fabr. Ent. Supl. p. 229, n. 205; habitat Kiliae.
Cryptus sticticus Fabr. Piez. p. 89 n. 83.

Nota:

Conferas notam ad *M. exornatum.*

20. M. FLAVOPICTUS. n.

Facie scutello et linea ante alas flavis; abdominis medio pedibusque rufis. m.

Longitudo 3⅔ linearum. *Caput* facie et ore flavis, mandibularum apice nigro. *Antennae* filiformes graciles, corpore longiores, apice curvato, ferrugineae, articulo 1 subtus flavo. *Thorax* gibbulus; linea ante alas, apice hamata, lineola transversali sub alis, punctoque infra scutellum, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres subflavescenti-hyalinae, stigmate et radio stramineis, radice et squamula flavis; areola triangulari irregulari petiolata, nervo exteriore subobsoleto. *Pedes* graciles fulvi, coxis et trochanteribus subtus pallidioribus;

postici tarsis fuscoferrugineis, tibiis apice summo nigro. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 subcanaliculato, basin versus sensim angustato, nigro, margine summo fulvo; 2 rufo, macula dorsali nigra; 3 et 4 rufis; 5 nigro lateribus badiis; 6 et 7 nigris.

Marem unicum prope *Norimbergam* captum *Sturm* transmisit.

Nota:

Haec species, segmento 1 breviore, transit ad familiam sequentem.

21. M. VITRATORIUS. n.

Scutello et antennarum annulo albis; abdominis medio, femoribus tibiisque, rufis, harum posticis pro parte nigris. m.

Longitudo 4 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis albis, palpis albentibus. *Antennae* filiformes porrectae graciles, corporis longitudine vel paulo longiores; articulo 1 subtus interdum albo, 14—17 tribus lateribus albis. *Thorax* gibbus; colli margine supero punctuloque infra alas albis. *Scutellum* album. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis aut piceis, radice picea; areola triangulari regulari, sessili aut subsessili. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici trochanteribus interdum apice rufo, femoribus interdum apice nigro, tibiis vel apice solo vel etiam basi nigris, rarius fere totis

rufis, tarsis vel totis vel apicibus articulorum nigris. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, thorace paulo angustius, oblongoovatum; segmento 1 canaliculato aut subcanaliculato, apicem versus sensim dilatato, nigro, apice rufo; 2 rufo; 3 plerumque toto rufo, rarius macula dorsali nigra; 4 rufo, plerumque dorso nigricante; 5 plerumque nigro, rarius rufo; 6 et 7 nigris.

Unum individuum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* transmisit; alterum, prope *Hirschberg* captum, *a Stillfried,* sub nomine *Ichneumonis vitratorii*, mecum communicavit.

Varietates:

1. *Tibiis posticis capiteque totis nigris.* m. — Caetera sicut in specie genuina.

Marem unicum vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

2. *Abdomine toto rufo.* m. — *Statura* tota crassior est et brevior, imprimis autem antennae abdomen et segmentum primum breviora sunt et crassiora quam in specie genuina. An species peculiaris? — *Longitudo* fere 4 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis albis. *Antennae* porrectae setaceae, corpore paulo breviores, articulis 12—15 tribus lateribus albis. *Thorax* lineola alba infra alas. *Scutellum* album. *Alae* subhyalinae, stigmate radio radice et squamula fuscis, hac puncto albo; areola triangulari subsessili. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus posticis summo apice fusco; tibiis anterioribus ex-

terne fuscescentibus, posticis apice nigro; tarsis fuscis, posticis nigris. *Abdomen* rufum, capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius; segmento primo apicem versus sensim dilatato, lineis duabus elevatis, petiolo fusco; 2 et 3 subtiliter punctis; 7 fuscescente, margine pallidiore.

Marem unicum cepit *Nees ab Esenbeck* prope *Sickershausen*.

Nota:

Varietas secunda, segmento primo breviore et petiolo crassiore, propius accedit ad *familiam secundam*.

22. M. SORDIDUS. n.

Scutello testaceo; ore, abdominis medio, femoribus tibiisque anterioribus rufis; tibiis posticis rufis apice nigro. m.

Longitudo 3 linearum. *Caput* facie sordide fusca, ore rufotestaceo, mandibulis apice nigro. *Antennae* filiformes graciles, corpore paulo longiores, apice curvato, ferrugineae, supra fuscae. *Thorax* gibbulus, puncto infra scutellum sordide-testaceo. *Scutellum* sordide testaceum. *Alae* mediocres hyalinae stigmate et radio nigris, radice et squamula stramineis; areola irregulari petiolata. *Pedes* mediocres rufotestacei, coxis nigris; postici femoribus nigris, tarsis et apice tibiarum nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, elongatoclavatum; seg-

mento primo longo, basin versus sensim angustato, nigro; 2 testaceo, maculis duabus dorsalibus subconfluentibus nigricantibus; 3 testaceo; 4 testaceo, apice et lateribus fuscis; reliquis nigris.

Unicum individuum, prope *Norimbergam* captum, *Sturm* mihi misit.

Exyston,

23. M. CINCTULUS.

Facie et scutelli apice flavis; segmento 1 nigro, sequentibus margine et lateribus rufis, ultimis totis testaceis; pedibus anterioribus testaceis; posticis nigrofuscis, coxis et trochanteribus subtus stramineis, femoribus medio rufis. m.

Statura et proportio partium sequentis.

Longitudo 3 linearum, vel paulo major paulove minor. *Caput* facie et ore flavis, mandibulis apice nigro. *Antennae* subsetaceae, corporis fere longitudine, porrectae, subtus ferrugineae aut fulvae, articulis 1—3 totis nigris. *Thorax* gibbus. *Scutellum* subelevatum, apice flavo. *Alae* mediocres, subhyalinae, radio et stigmate piceis, radice et squamula stramineis aut flavis; areola petiolata triangulari subregulari. *Pedes* graciles; anteriores testacei, coxis et trochanteribus pallidioribus; postici nigri aut nigrofusci, trochanteribus, plerumque etiam coxis, subtus pallidestramineis, femoribus medio rufis aut badiis, interdum femoribus tibiisque rufis, basi et apice nigris. *Abdomen* thorace duplo longius vel capitis thoracisque longitudine, plerumque thorace paululum angustius, clavatum;

segmento 1 toto nigro, longo, apicem versus sensim subdilatato, laevi, tuberculis lateralibus aliquanto ultra medium (basi propius) sitis; 2 vel rufo basi nigra, vel nigro margine rufo aut flavo; 3—5 vel rufis aut flavis basi fuscis, vel nigris apice et lateribus rufis, marginibus ipsis ut plurimum glauco-flavis; sequentibus flavofulvis.

Individuum unum cepi vere prope *Scheidnich*, alterum mense *Octobris* prope *Vratislaviam*; duo alia, *norimbergense* et *pedemontanum*, mihi transmissa sunt, quorum hoc, segmentis flavocoloratis, a germanicis differt.

Varietates:

1. *Facie nigromaculata*. m. — *Caput* facie nigra, macula media et orbitis oculorum flavis. *Alae* squamula nigra — Caetera sicut in individuis majoribus speciei genuinae.

Hujus individui patria mihi ignota est.

2. *Pedibus anterioribus nigromaculatis*. m. — *Pedes* anteriores coxis externe basi nigris, femoribus externe nigricantibus — Caetera sicut in mare genuino.

Patria ignota est.

3. *Facie nigromaculata, segmentis mediis rufis margine nigro*. m. — *Longitudo* 3¼ linearum. *Caput* nigrum; ore, orbitis oculorum internis latis, punctoque faciali, flavis. *Pedes* anteriores rufofulvi, coxis et trochanteribus flavis; postici coxis et trochanteribus flavis, superne nigris, femoribus tibiisque rufis, summa basi et summo apice

nigris, tarsis fuscis. *Abdomen* segmento 1 nigro; 2 rufo basi nigra; 3—5 rufis, margine nigricante latera versus glaucescente; 6 et 7 testaceoflavis — Caetera sicut in mare genuino.

Individuum unicum *pedemontanum Bonelli* mecum communicavit.

4. *Segmentis mediis totis rufis, scutello rufo.* m. — *Statura* et proportio partium maris genuini, sed cellula cubitali intermedia minore, segmento primo paulo breviore et crassiore — *Antennae* ferrugineae, subtus fulvae, articulo 1 toto nigro. *Scutellum* rufum. *Pedes* anteriores fulvi, coxis et trochanteribus flavis; postici rufi, coxis et trochanteribus flavis superne nigris, femoribus basi summa nigra, tibiarum apice et basi tarsisque fuscis. *Abdomen* rufum; segmentis ultimis obscuris, 1 toto 2 basi nigris.

Marem unicum *pedemontanum Bonelli* misit.

5. *Segmentis mediis totis rufis, scutello pedibusque posticis nigris.* m. — *Longitudo* 3¼ linearum. *Pedes* anteriores fulvi, coxis et trochanteribus flavis; postici nigri, coxis et trochanteribus subtus flavis. *Scutellum* totum nigrum. *Abdomen* segmento 1 nigro; 2—4 rufofulvis, summa basi nigra, summo margine flavo; 5—7 flavis — Caetera sicut in mare genuino.

Unicum marem *pedemontanum Bonellio* debeo.

6. *Scutello toto nigro, facie et pedibus anterioribus nigromaculatis.* m. — *Longitudo* 2¾—3¼ linearum. *Caput* ore, clypeo et orbitis oculorum internis latis (seu macula laterali faciei), ra-

rius etiam puncto medio faciali, flavis; mandibulis basi et apice nigris. *Antennae* fuscae; subtus vel apicem versus fuscoferrugineae, vel rufoferrugineae articulis 1—3 nigris. *Scutellum* totum nigrum. *Alae* sicut in specie genuina. *Pedes* anteriores rufofulvi, coxis nigris interdum subtus flavis, trochanteribus nigris subtus pallideflavis, femoribus interdum basi externe nigra; postici coxis nigris, trochanteribus nigris subtus flavis, femoribus plerumque rufis basi apiceque nigris, interdum nigris macula media badia, tibiis vel totis fusconigris vel medio rufescentibus, tarsis fusconigris. *Abdomen* nigrum; segmentis 2—5 apice plus minus rufis aut rufotestaceis, margine ipso exalbido; 6 et 7 apice rufis, interdum totis rufis.

Quaedam individua *Roentgen* cepit initio Junii in *Hercynia;* unum, circa *Warmbrunn* captum, idque, abdomine breviore et crassiore, puncto faciali flavo, coxis anterioribus subtus flavis, ab hercynicis diversum, *Manger* transmisit.

Synonyma:

Ichneumon cinctulus Gravenh. Ped. n. 107. — Appendix 1 est nostra varietas 4; appendix 2 nostra varietas 3; appendix 3 nostra varietas 5.

Nota:

Dubius adhuc haereo, num forsan species sequens, quae quidem semper collo subtus flavo distincta est, cum hoc *cinctulo* conjungi deberet. Quaeritur etiam, an *Tryphon triangulatorius,* qui

solo segmento primo paululum latiore ab hac nostra specie differre videtur, indeque in familiam secundam hujus generis collocatus est, ad *cinctulum* referri posset — Conferas etiam notam ad *M. laetum*, n. 28.

24. M. SPONSORIUS.

Facie scutello et colli parte infera flavis; abdomine rufo basi nigra, apice flavo; pedibus rufis, posticis nigromaculatis. m.

Longitudo 3—3¼ linearum. *Caput* facie oreque flavis, apice mandibularum nigro. *Antennae* corpore paulo breviores, porrectae, apice subcurvatae, supra fuscae apicem versus ferrugineae aut rufae, subtus ferrugineae aut fulvae articulis 1—3 nigris. *Thorax* gibbulus subpubescens; colli parte infera, interdum etiam puncto infra scutellum, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio testaceis aut fuscis, radice et squamula flavescentibus; areola triangulari subregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres, rufi aut fulvi; anteriores coxis et trochanteribus pallideflavis, coxis supra nigris aut rufis; postici coxis et trochanteribus flavis supra nigris aut rufis, femoribus basi apiceque nigris, tibiis apice et ante basin nigris basi ipsa rufa aut pallidiore, tarsis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius vixque paulo angustius, clavatofusiforme; segmento 1 canaliculato, apicem versus sensim paululum dilatato, nigro, apice rufo aut fulvo; 2 rufo

aut pallidefulvo; 3 vel toto fulvo vel rufo margine summo flavo, interdum fascia nigricante ante marginem; 4 flavo, basi rufofulva, summa basi aut fascia ante marginem interdum nigra; sequentibus flavis, 5 interdum basi nigra.

Quaedam accepi individua circa *Warmbrunn*, *Vindobonam*, *Parisios* et in *regione Pedemontana* capta.

Synonyma:

Ichneumon sponsorius Fabr. Spec. p. 425, n. 31 — Piez. p. 64, n. 52.
„ „ „ „ Gm. ed. Lin. p. 2682, n. 102.
„ „ „ „ Villers p. 150, n. 47.
„ „ „ „ Olivier p. 175, n. 56.
„ „ „ „ Gravenh. Pedem. n. 108.
„ „ „ „ Thunb. Ichn. n. 525.

Nota:

Ichneumonem sponsorium Fabr. *Jurine* pro mare *Bassi laetatorii* habet, qui autem ab illo longe distat; sed *Ichn. sponsorius* Jurinei, pag. 116, a nostro *M. sponsorio* itidem multum differt, praecipue defectu areolae — Conferre etiam velis quae sub specie praecedente adnotavi.

25. M. LUTEOLATOR. n.

Testaceus; oculis, ocellis, nec non thoracis et segmentorum plurimorum dorso, nigris. m.

Longitudo 2⅕ linearum. *Caput* subglobosum, oculis ocellisque nigris. *Antennae* corporis longi-

tudine, porrectae, fuscae, subtus testaceae apicem versus sensim fuscae. *Thorax* gibbus, fulvotestaceus, dorso nigro lineis duabus longitudinalibus rufis. *Scutellum* rufum. *Alae* amplae, hyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallidetestaceis; areola triangulari subpetiolata. *Pedes* subgraciles, pallidetestacei; postici tarsis et tibiarum apice fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, lanceolatum; segmento 1 toto nigro, canaliculato, parte antica paulo longiore et duplo latiore quam petiolus; 3 toto fulvo; reliquis (2, 4—7) fulvis dorso nigro.

Hunc marem *Nees ab Esenbeck* mense Maji circa Sickershausen in quercu cepit.

Nota:

Conferas notam ad *M. excornatum*, n. 14.

Mesoleptus (D. a.)

26. M. RUFICORNIS. n.

Scutelli apice et abdominis medio rufis; pedibus anterioribus testaceis, posticis nigris, trochanteribus stramineis, tarsis tibiisque rufis, his apice nigris; facie flava. m. f.

Longitudo maris $4-4\frac{1}{2}$, feminae $3\frac{1}{3}-3\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* facie et ore testaceoflavis, mandibulis apice nigro. *Antennae* fere longitudine corporis, subsetaceae, apice curvatae; fuscae aut ferrugineae, subtus rufae aut ferrugineae articulo 1

testaceoflavo aut rufo. *Thorax* gibbulus, interdum macula rufescente infra scutellum et puncto flavo infra alas. *Scutellum* feminae apice pallidetestaceo, maris apice rufo aut fulvo. *Alae* mediocres fumatohyalinae, stigmate et radio testaceopiceis, radice et squamula flavescentibus; areola triangulari subpetiolata irregulari. *Pedes* subelongati; anteriores testaceofulvi, coxis et trochanteribus stramineis; postici coxis nigris, subtus interdum macula testacea supra rufa, trochanteribus stramineis basi plerumque nigra, femoribus nigris, tibiis rufis aut testaceis apice nigro, tarsis rufofuscis aut rufis. *Abdomen maris* thorace angustius et fere duplo longius; segmento 1 nigro, apicem versus paulo dilatato, tuberculis lateralibus paulo ante medium sitis; 2—6 vel sensim latioribus vel aequilatis, 2 rufo interdum dorso nigro, 3 et 4 rufis, hoc interdum apice nigro; reliquis nigris; *feminae* brevius et latius quam mari, capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongum; segmentis 2—4 rufis, 4 ante marginem nigro, ultimis ventre prominentibus compressiusculis. *Aculeus* brevissimus subexsertus.

Maris individuum unum cepi prope *Gottingam;* alterum, idque coxis posticis maculatis, segmentis 2 et 4 nigronotatis, die 27 Augusti in monte *Reiftraeger* in pino; feminas duas, sub fine Septembris prope *Trajectum ad Viadrum*, in loco herbaceo fruticoso aprico volitantes.

Varietates:

1. *Coxis anterioribus nigris, facie nigromaculata.* f. — *Statura* et proportio partium speciei genuinae, segmento 1 autem paulo latiore. *Longitudo* 5 linearum. *Caput* ore flavo; facie vel flava, lineola longitudinali abbreviata nigra, vel nigra, punctis quatuor flavis, lineam transversalem interruptam exhibentibus. *Antennae* subtus rufae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* interdum puncto rufo infra alas. *Scutellum* rufum. *Alae* subhyalinae, stigmate radio et squamula stramineis, radice pallidiore; areola triangulari irregulari petiolata. *Pedes* anteriores rufofulvi, coxis nigris, anticis subtus interdum castaneis, trochanteribus rarius totis rufis, plerumque nigris apice rufo aut testaceo; postici nigri, coxis interdum apice rufo, tarsis et tibiis rufis, his apice nigro. *Abdomen* segmento 1 apicem versus sensim dilatato rufo, basi interdum nigra; 2—4 rufis; sequentibus nigris. *Aculeus* brevissimus subexsertus.

Unum individuum cepi die 5 Augusti in umbellatis prope *Warmbrunn*, idque facie fere tota flava, coxis totis nigris, segmento 1 toto rufo; alterum *Manger* mecum communicavit; tertium prope *Trajectum ad Moenum* captum, *de Heyden.*

2. *Coxis anterioribus et scutello nigris, facie nigromaculata.* f. — *Statura* et proportio partium omnino varietatis primae. *Longitudo* 4¼—5 linearum. *Caput* ore flavo; facie vel flava, linea longitudinali abbreviata nigra, vel nigra punctulis

duobus flavis. *Antennae* rufae, articulis 1 et 2 nigris. *Scutellum* medio interdum obsoletissime badio. *Alae* subflavohyalinae, stigmate et radice pallidestramineis, radio ferrugineo, squamula fulva; areola irregulari petiolata. *Pedes* anteriores rufo-fulvi, coxis nigris; postici nigri, apice trochanterum tarsis et tibiis rufis, his apice nigro. *Abdomen* segmento 1 nigro, margine rufo; 2—4 rufis; 4 vel margine vel fascia media nigro; sequentibus nigris. *Aculeus* subexsertus.

Unam feminam cepi die 10 Augusti in umbellatis prope *Warmbrunn;* alteram, eamque minorem, punctulis duobus flavis faciei, scutello obsolete badio, segmento 4 fascia nigra, *de Heyden* prope *Trajectum ad Moenum* cepit.

3. *Thorace rufomaculato.* m. — *Longitudo* 3½ linearum. *Caput, antennae* et *alae* sicut in mare genuino. *Thorax* collo supra et infra testaceo, linea suturali ante alas lineis duabus dorsalibus punctoque infra scutellum rubricosocastaneis, pectore lateribus rufotestaceis. *Scutellum* rufotestaceum. *Pedes* anteriores testacei, coxis et trochanteribus flavostramineis; postici rufotestacei, coxis supra rufis macula laterali nigrofusca, femoribus nigris summo apice summaque basi testaceis, tibiis apice nigris. *Abdomen* segmento 2 rufo macula dorsali nigra, 3 et 4 rufis, 5 basi et lateribus badiis.

Individuum unicum *fennicum Sahlberg* mecum communicavit.

Nota:

Varietas prima, ratione habitus totius, et speciatim ob segmenti primi formam et proportionem, medium tenet inter hanc et sequentem familiam, propiusque accedit ad *Tryphonem bicolorem* et *segmentarium* familiae sequentis; quin immo a *segmentario* vix sejungenda est.

SECTIO IV.

Scutello nigro; abdomine rufo aut rufonigroque.

Abdomen rarius totum rufum est (*M. atomatori*); aut apice solo nigro (*M. Antilopae*); aut nigro rufoque alternatim cingulatum, summisque quorundam segmentorum marginibus albidis (*M. albicruri*); aut segmento uno alterove rufomarginato (*M. filicorni* et *tenero*, qui inde in sectionem primam transeunt); saepius rufum basi nigra (*M. seminigro, rufino, fortipedi*); ut plurimum autem rufum, basi apiceque nigris.

E *sectione* 1 huc referri possent *M. sericeus, limitaris, infernalis,* propter segmenta pallidemarginata, et *M. evanialis*, segmentis 2 et 3 basi castaneis — E *sectione* 3 autem *M. cinctuli* et *ruficornis* varietates, scutello toto nigro, propius ad hanc sectionem accedunt.

---

27. M. SPHEGINUS. n.

Areola quinqueangulari incompleta; capite thoraceque griseovillosis; tibiis testaceis; abdomine medio rufo, petiolo longissimo tenui. m.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* griseovillosum imprimis facie, palpis pallidis. *Antennae* porrectae filiformes, corpore breviores, nigrofuscae, subtus fuscoferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* subglobosus, griseovillosus. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, radio et stigmate fuscis, radice testacea, squamula nigra, areola quinqueangulari incompleta, nervo exteriore deficiente; cellula interiore nervi dividentis vestigio. *Pedes* anteriores coxis et trochanteribus nigris, femoribus anticis stramineorufis basi nigra, mediis nigris apice stramineo, tibiis tarsisque testaceis (pedibus posticis deficientibus). *Abdomen* capite thoraceque longius, thorace paululum angustius, oblongum; segmento 1 griseopilosello; petiolo longo lineari; parte antica petioli longitudine, apicem versus sensim dilatata, latitudine duplo longiore, tuberculis lateralibus acutis prominentibus; 2 apicem versus sensim dilatato, latitudine longiore; 3 subquadrato; sequentibus transversis; 2—4 rufis.

Unicum maris individuum *Besser* e *Volhynia* transmisit.

M. spheginus ab omnibus hujus familiae cospeciebus, longitudine et gracilitate petioli, gracilio-

ris adhuc et longioris quam in *fortipede*, *fuscicorni*, *geniculoso*, etc. nec non areola quinqueangulari incompleta, se distinguit. Hac areolae forma species nostra convenit cum *familia sexta Cryptorum*; sed habitu toto, et forma abdominis, melius huic Tryphonum familiae respondet; ejusque femina sine dubio aculeo vix subexserto instructa erit.

28. M. LAETUS. n.

Abdomine rufo, basi nigra; tibiis femoribusque anterioribus testaceis, his basi nigris.

Statura et proportio partium *cinctuli*, n. 23.

Longitudo 2 1/5 — 3 2/3 linearum. *Caput* ore ferrugineo aut stramineo, mandibulis apice nigro; interdum orbitis oculorum internis plus minus flavis. *Antennae* fuscae; subtus ferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice straminea, squamula straminea aut picea aut nigra; areola triangulari irregulari, sessili aut subpetiolata. *Pedes* anteriores testaceorufescentes, coxis et trochanteribus nec non femorum basi nigris; postici nigri, femoribus plerumque medio badiis, tibiis subtus plerumque testaceocastaneis. *Abdomen* subpetiolatum, capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, oblongum; segmento 1 nigro, canaliculato, latitudine duplo vel paulo plus duplo longiore, apicem versus sensim

dilatato, tuberculis lateralibus in medio sitis; 2 rarius toto nigro, plerumque apice rufo aut fulvo; sequentibus rufis aut rufotestaceis, ultimis plerumque flavicantibus.

Quaedam individua legi die primo Iunii prope *Pepelwitz* in fruticetis; unum, idque segmento 1 paululum latiore, cepi mense Iulii in umbellatis prope *Barterodam.*

Nota:

Varietas 5 *M. cinctuli,* n. 23, medium tenere videtur inter *cinctulum* genuinum et hunc *laetum;* colore scutelli abdominis et pedum posticorum *laeto* magis respondet, capite autem et pedibus anterioribus magis *cinctulo.*

29. M. ALBICRURIS. n.

Segmentis intermediis castaneomarginatis; femoribus rufis, posticis apice nigro; tibiis albis, posticis apice nigro. f.

Longitudo fere 3 linearum, *Caput* ore albido. *Antennae* corpore paulo breviores, subfiliformes, porrectae, apice curvatae subtus ferrugineae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula albis, areola nulla. *Pedes* mediocres, subgraciles; anteriores coxis nigris, trochanteribus fulvis basi nigra, femoribus rufofulvis apice pallidiore, tibiis albis, subtus apicem versus fulvis, tarsis albis ungue

fusco; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice fulvo, femoribus rufis geniculo nigro, tibiis albis apice nigro spinis albis, tarsis nigris articulo 1 basi albente. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, sericeum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, margine subcastaneo; 2 et 3 castaneomarginatis; 4 macula laterali obsoleta badia. *Aculeus* brevissimus absconditus.

Feminam unicam *austriacam Dahl* transmisit.

30. M. SUBCOMPRESSUS. n.

Abdomine subcompresso, medio rufo; femoribus et tibiis rufis. f.

Longitudo 3—3⅓ linearum. *Caput* mandibulis medio ferrugineis. *Antennae* dimidio corpore longiores, filiformes, subcurvatae. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice testacea aut picea, squamula testacea aut fuscoferruginea; cellula radiali et cellulae internae parte angustiore brevioribus quam in cospeciebus affinibus, areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, oblongofusiforme, apicem versus clavatosubcompressum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato sublagenaeformi, nigro;

2 vel toto rufo vel basi nigricante; 3 rufo, apice nigro; 4—7 nigris. *Aculeus* absconditus.

Feminas duas *genuenses a Spinola* mecum communicavit.

Varietates:

1. *Coxis et trochanteribus rufis* — *Longitudo* 2⅕ linearum. *Antennae* corporis longitudine. *Coxae* et *trochanteres* rufi, coxis posticis attamen basi nigris. *Abdomen* segmento 2 castaneo maculis duabus dorsalibus nigris; 3 toto castaneo — Caetera sicut in femina genuina.

Unicum individuum *austriacum Besser* mihi transmisit.

31. M. MODESTUS. n.

Subopacus; abdominis medio, femoribus tibiisque rufis; areola minuta petiolata. m.

Longitudo 4¼ — 4¾ linearum. *Antennae* corpore breviores, filiformes, apice subcurvatae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice picea, squamula picea aut fusca; areola triangulari irregulari minuta petiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanterum basi nigris, tarsis posticis nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, ovatofusiforme; segmento primo aciculato, lagenaeformi, nigro, interdum margine subcastaneo, petiolo subcanaliculato;

2 nigro, apice seu dorso toto castaneo aut rufo; 3 castaneo aut rufo, apice nigricante; reliquis nigris.

Nonnullos mares, circa *Niesky* et *Warmbrunn* captos, accepi.

32. M. BIPUNCTATUS. n.

Abdominis medio rufo nigropunctato; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris; trochanteribus ore et orbitis oculorum internis flavis. m.

Longitudo 3⅓ linearum. *Caput* ore, clypei margine, orbitisque oculorum internis, flavis, mandibulis apice ferrugineofusco. *Antennae* corpore breviores porrectae, apice curvatae, subtus testaceae aut ferrugineae articulis 1 et 2 flavis. *Thorax* gibbulocylindricus; puncto infra alas, interdum etiam macula ante alas, flavo. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavis; areola suborbiculata petiolata. *Pedes* mediocres; anteriores rufofulvi, coxis vel totis flavis vel nigris apice flavo, trochanteribus flavis; postici rufi, coxis nigris, trochanteribus flavis basi nigra, tarsis et tibiarum femorumque apicibus nigricantibus. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace vix paulo angustius, clavatum, segmento 1 apicem versus sensim dilatato; 3 rufo punctis duobus nigris; 4 vel sicut tertium, vel nigro, medio badio; sequentibus nigris subsericeis, 5 interdum margine rufo.

Unum individuum prope *Niesky* cepit *Roentgen;* alterum, idque macula ante alas coxisque anterioribus totis flavis, abdomine magis colore rufo imbuto, *Comes de Küenburg* ex *Hungaria* transmisit.

Mesoleptus (p. a.)

33. M. XANTHOSTIGMA. n.

Abdominis medio rufo, nigromaculato; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro; coxis anterioribus, trochanteribus, maculis thoracis, facie et antennarum articulis 1 et 2 subtus, flavis. m.

Longitudo 4½ linearum. *Caput* facie ore genisque flavis, apice mandibularum et puncto laterali clypei impresso nigris. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, apice recurvatae, fuscae, subtus fuscoferrugineae articulis 1 et 2 flavis. *Thorax* gibbus; puncto infra alas, altero lineaque suturali ante alas, macula didyma pectorali, flavis. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate piceotestaceo, radio fusco, radice et squamula albidis, areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres; anteriores rufi, coxis et trochanteribus pallide flavis; postici rufi, coxis nigris, trochanteribus pallide flavis, femorum et tibiarum apicibus nigris, tarsis fuscis articulorum basi rufescente. *Abdomen* subsericans, capite et thorace longius, thoracis latitudine, clavatum; segmento 1 canaliculato, apicem versus sensim dilatato, secundoque nigris;

3 castaneo, puncto laterali et margine summo nigris; 4 nigro basi castanea; sequentibus nigris.

Semel captus die 26 Maji prope *Gottingam*.

Mesoleptus (s. a.)

34. M. FUGAX. n.

Abdomine medio rufo nigromaculato; femoribus fulvis, tibiis testaceis; picturis faciei et articulis 1 et 2 antennarum subtus flavis. m.

Longitudo 4 — fere 5 linearum. *Caput* facie flava, medio nigra, clypeo plerumque puncto laterali flavo; palpis mandibulisque flavis, his apice fusco. *Antennae* filiformes, corpore vix aliquanto breviores, porrectae, nigrae; articulis 1 et 2 subtus flavis, sequentibus rarius subtus ferrugineis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula flavescentibus, areola parva petiolata triangulari irregulari. *Pedes* coxis nigris; trochanteribus flavis, ut plurimum basi nigra; femoribus testaceo-rufis, posticis interdum fuscescentibus; tibiis flavis aut testaceis, posticis apice obscuriore; tarsis testaceis aut flavescentibus, unguibus fuscis, posticis fuscescentibus basi plerumque pallidiore. *Abdomen* subsericans, capite thoraceque longius et angustius, linearifusiforme; segmento 1 lagenaeformi, petiolo plerumque canaliculato; colore variabili: 1) segmenti 1 incisura, 2 margine, 3 toto castaneis, 4 obsolete badio; 2) segmentorum 1 et 2 incisuris, 3 et 4 margine, castaneis; 3) segmentis 1 et 2 incisuris castaneis, 3 margine obsolete badio;

4) segmento 1 toto nigro, 2 castaneo lateribus nigris, 3 et 4 badiis; 5) segmentis 1 et 2 nigris, 2 margine castaneo, 3 et 4 castaneis.

Quaedam individua varietatum 1, 2 et 3 *Roentgen* in *Hercynia* et prope *Niesky* cepit; varietatem 4 *Dahl* ex *Austria* transmisit; varietatis 5 individuum unum *Hartlieb* cepit prope *Vratislaviam*, alterum *de Heyden* prope *Trajectum ad Moenum*.

35. M. FULVIPES. n.

Abdomine medio rufo; pedibus anterioribus fulvis, coxis et trochanteribus stramineis; posticis rufis, coxis nec non femorum et tibiarum apicibus nigris; facie et puncto ante alas flavis. m.

Longitudo paulo ultra 3 lineas. *Caput* ore et facie flavis. *Antennae* corpore paulo breviores, subsetaceae, porrectae, subtus testaceoferrugineae articulis 1 et 2 flavis. *Thorax* gibbus, puncto flavo ante alas. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis, areola nulla. *Pedes* mediocres; anteriores fulvi, coxis et trochanteribus pallidestramineis; postici rufi, coxis nec non femorum et tibiarum summis apicibus nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongum; segmento 1 apicem versus sensim paulo dilatato, aciculato, canaliculato, nigro, margine rufo, petiolo breviore et validiore quam in plurimis cospeciebus, tubercu-

lis lateralibus in medio sitis; 2—5 rufis, 5 attamen dorso nigro.

Unicum individuum, prope *Warmbrunn* captum, *Manger* mecum communicavit.

Nota:

Forma segmenti primi haec species prope accedit ad familiam secundam hujus generis — Conferas etiam notam ad *Tr. xanthostomum* familiae secundae.

36. M. PROSOLEUCUS.

Abdomine medio rufo; pedibus anterioribus fulvis, coxis et trochanteribus stramineis; posticis rufis, trochanteribus et coxis nigris; facie collo et lineola ante alas albidis. f.

Statura et proportio partium individuorum graciliorum *M. Typhae* n. 39, pedibus attamen paulo gracilioribus.

Longitudo 3 ⅓ linearum. *Caput* ore genis et facie albostramineis. *Antennae* subtus albidostramineae. *Thorax* colli parte infera lineolaque ante alas pallidestramineis. *Alae* amplae, hyalinae, irideae, stigmate radio radice et squamula pallidestramineis; areola irregulari triangulari subpetiolata, nervo exteriore tenuissimo. *Pedes* graciles; anteriores testaceofulvi, coxis et trochanteribus pallidioribus puncto fusco; postici rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis et tibiarum apice fuscis. *Abdomen* capite thoraceque longius

et paulo angustius, elongatosubclavatum, apicem versus subcompressum; segmento 1 longo laevi nigro, tuberculis lateralibus in medio sitis, parte antica apicem versus dilatata; 2 fusco, margine et lateribus rufis; 3 rufo, punctis duobus nigris; 4 et 5 castaneis, 5 margine fusco. *Aculeus* rufescens subexsertus.

Individuum *pedemontanum* unicum *Bonellio* debeo.

Synonyma:

Ichneumon prosoleucus Grav. Ped. n. 110.

37. M. XANTHOPSANUS. n.

Abdominis medio rufo; pedibus fulvostramineis, posticorum coxis et femoribus nigromaculatis; facie flava. m. f. (*Fem.* antennis fulvis.)

Statura et proportio partium *Tr. semicaligati* e familia secunda, segmento primo autem paulo angustiore et longiore.

Longitudo 2⅕ — fere 4 linearum. *Caput* ore, facie, plerumque genis et orbitis oculorum frontalibus, flavis; mandibulis apice fusco aut rufo. *Antennae feminae* testaceofulvae, supra basin versus fuscae; *maris* fuscae, subtus testaceae aut ferrugineae apicem versus fuscae, articulo 1, vel etiam 2, flavo. *Thorax* puncto flavo aut testaceo ad radicem alarum, interdum collo subtus ferrugineo aut macula testacea. *Alae* subhyalinae aut

fumatohyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscis, radice et squamula testaceis aut flavis; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* testacei aut fulvi; anteriores coxis et trochanteribus pallidestramineis; postici coxis maris supra fuscis aut nigris, interdum ferrugineomaculatis, feminae linea laterali fusca, femoribus plerumque supra fuscis, maris rarissime totis nigris, tibiis maris rarissime apice nigro, tarsis ungue fusco. *Abdomen* feminae apice paulo crassiore quam mari; segmento 2 feminae toto diluterufo, maris vel nigro aut fusco plerumque apice rufo aut testaceo, vel rufo macula dorsali didyma nigra; 3 rufo aut testaceo, maris plerumque apice fusco; 4 rarissime in mare rufo. *Aculeus* brevissimus subexsertus.

Plures mares legi mense Iunio in gramine et fruticetis circa *Scheidnich*, unum *Richter* mense Augusto prope *Zobten* cepit, unum *Manger* prope *Warmbrunn*. — Feminam unicam cepi cum maribus.

Nota:

Maris individuum, prope Zobten captum, a reliquis differt non solum pictura (pedum posticorum femoribus totis tibiis apice nigris; segmentis 2—4 rufis, 2 macula dorsali didyma nigra) sed etiam segmento 1 paulo angustiore. Ob hanc segmenti 1 formam propius accedit ad mares *M. filicornis*, mediumque tenet inter *M. xanthopsanum* et *filicornem*; ab ambobus autem differt capite

minore, oculis majoribus, antennis apice involutis. An species peculiaris?

Caeterum autem haec species etiam prope accedit ad *Tr. semicaligatum* et *collarem* familiae secundae, quae his in familiam primam transit.

38. M. CERINOSTOMUS. n.

Segmentis 2 et 3 pedibusque anterioribus rufis, coxis et trochanteribus testaceis; tibiis posticis basi testacea; ore flavo. m.

Statura et proportio partium sicut in antecedente; sed areola nulla, antennis paululum brevioribus, segmentis 1 et 2 opacis subtiliter punctis, differt.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* ore et clypeo flavoalbis, mandibulis apice fusco, facie subtiliter et confertim puncta opaca. *Antennae* filiformes, graciles, corpore vix paulo breviores, articulo 1 subtus testaceo. *Thorax* puncto albido ad radicem alarum. *Alae* fumatohyalinae, stigmate nigro, radio fusco, radice et squamula albis. *Pedes* anteriores fulvi, coxis et trochanteribus pallidioribus; postici nigri, trochanterum apice nec non tibiis basin versus pallidetestaceis. *Abdomen* sericeum; segmentis 1 et 2 opacis, subtilissime et confertissime punctis; 2 et 3 castaneorufis, linea transversali medio subinterrupta nigra; 3 praeterea lateribus nigris.

Unicum marem cepi die 1 Iunii in gramine circa *Scheidnich*.

Mesoleptus (s. a.)

f. var.

39. M. TYPHAE.

Abdominis medio antennis pedibusque rufis; coxis anterioribus flavomaculatis, posticis nigris; facie flava. m. f.

Longitudo 3 — fere 6 linearum. *Caput* facie et ore testaceis aut flavis, mandibulis apice fusco, interdum linea longitudinali faciei nigra. *Antennae* filiformes, corporis longitudine vel paulo breviores; articulo 1, interdum etiam 2, nigro, subtus flavo rarius rufescente; sequentibus vel totis ferrugineis aut rufis, vel supra fuscis subtus rufoferrugineis aut subtestaceis. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio stramineis aut fuscis, radice et squamula flavis, hac interdum picea; areola majore minoreve, triangulari, irregulari, petiolata, nervo exteriore rarissime interrupto. *Pedes* subelongati; coxis nigris, anterioribus maris ut plurimum totis flavis, feminae subtus flavis, mediis interdum solo puncto minuto flavo, posticis in mare rarius supra badiis aut castaneis; trochanteribus flavis aut testaceis, rarius rufis, posticis supra plerumque rufis rarius fuscescentibus; femoribus tibiisque rufis aut rufofulvis, posticis interdum summo apice nigricantibus; tibiis posticis rarius fere totis subfuscescentibus, basi summa autem semper pallida; tarsis rufofulvis, posticis plerumque subfuscescentibus. *Abdomen* subsericans, plerumque capite thoraceque longius, vel eis duplo

longius, thorace angustius, interdum autem thorace solo duplo longius, eoque vix paulo angustius, oblongofusiforme, apicem versus plerumque subcompressum, praeprimis in feminis; segmento 1 longo sublineari, apicem versus sensim dilatato, nigro, apice plerumque plus minus rufo, parte antica vel latitudine longiore, plerumque duplo aut plus duplo longiore, vel longitudine paulo latiore, omnibus autem longitudine petioli, hoc plerumque carinato, tuberculis lateralibus prominulis; 2 rarius toto rufo aut toto nigro, ut plurimum fascia angustiore vel latiore aut lateribus nigris; 3 vel rufo toto, vel maculis duabus obsoletis aut lateribus nigris, vel nigro basi rufa; 4 vel toto rufo, vel maculis duabus obsoletis aut apice nigris, rarius toto nigro; sequentibus nigris, interdum marginibus summis subrufescentibus; 5 interdum dorso subcastaneo, aut basi rufa, rarius fere toto rufo. *Aculeus* plerumque absconditus, rarius exsertus brevissimus, niger, rarius rufus.

Feminae, ano clauso et aculeo abscondito, a maribus vix distingui possunt. Individuis autem, aculeo haud conspicuo, segmentum septimum ventre vel rima longitudinali fissum vel integrum est et interdum conuli obtusi brevis speciem praebet. Illa pro feminis habeo, aculeo abscondito, haec autem pro maribus. Sed rima ipsa feminarum haud semper bene distincta est. Caeterum autem individua omnia, quae mihi, e notis jam relatis, mares sunt, etiam coxis anterioribus totis aut maximam partem flavis a feminis differunt.

Haec species multis regionibus, nec raro, occurrit. Mares et feminas frequentissimos legi mense Iunii in umbellatis in prato prope *Barterodam*; plures etiam, mensibus Maji et Iunii, in hortis et in locis graminosis et dumetosis, prope *Gottingam* et passim in *Silesia* cepi. Alii Entomologi individua mihi transmiserunt, circa *Warmbrunn, Halam Saxonum, Sickershausen, Norimbergam, Vindobonam,* in *Hercynia,* nec non circa *Genuam*, in *Regione Pedemontana*, in *Volhynia* et *Tauria,* capta.

Varietates:

1. *Coxis totis nigris* m. f. — *Longitudo* 4—4¼ linearum. *Antennae* rufae, articulis 1 et 2 nigris subtus flavis. *Alae* radio et stigmate piceis, radice flava, squamula flava aut ferruginea. *Pedes* anteriores rufofulvi, coxis nigris, trochanteribus interdum flavis; postici coxis nigris, tibiis externe nigrofuscis basi summa testacea, tarsis nigrofuscis. *Abdomen* segmento 2 rufo, apice interdum nigro, 3 et 4 rufis, 5 lateribus vel etiam basi rufis. *Aculeus* exsertus niger. — Caetera sicut in specie genuina.

Individua duo feminina *fennica Sahlberg* transmisit; marem unicum (*halensem?*) *Germar.*

2. *Coxis omnibus femoribusque posticis nigris.* f. — *Longitudo* 4¾ linearum. *Antennae* rufae, articulo 1 nigro subtus flavo. *Alae* stigmate et radio piceis, radice et squamula flavis. *Pedes* anteriores fulvi, coxis nigris, trochanteri-

bus interdum flavis; postici coxis et femoribus nigris, trochanteribus flavis, tibiis testaceis apice fusco, tarsis fuscis. *Abdomen* segmentis 2—4 rufocastaneis. — Caetera sicut in sp. genuina.

Feminam unam *Hartlieb* cepit mense Majo prope *Vratislaviam*; alteram *pedemontanam Bonelli* mecum communicavit.

3. *Coxis nigris, facie nigra flavomaculata.* f. — *Longitudo* 4—5¼ linearum. *Caput* palpis et mandibulis, nec non puncto seu linea brevi ad orbitas oculorum internas, aut maculis duabus facialibus, flavis. *Pedes* rufi aut rufofulvi; coxis nigris; trochanteribus vel totis flavis aut fulvis, vel basi nigris; tibiis flavescentibus aut testaceis, posticis interdum apicem versus fuscescentibus; tarsis posticis interdum fuscis. *Abdomen* segmento 2 rufo, interdum maculis duabus nigris; 3 et 4 rufis, 4 ut plurimum margine obsolete nigricante; sequentibus margine summo pallescente, 5 interdum lateribus, vel etiam basi tota, subrufis. *Aculeus* exsertus brevissimus niger. — Caetera sicut in specie genuina.

Individua quaedam accepi, circa *Vratislaviam Warmbrunn* et *Genuam* capta.

4. *Facie et coxis totis nigris. f.* — *Longitudo* 4 linearum. *Caput* ore flavo, mandibulis apice nigro. *Antennae* supra fuscescentes, subtus rufae articulo 1 ferrugineo. *Alae* stigmate et radio piceis, radice et squamula flavis, areola triangulari

irregulari subsessili. *Pedes* rufi, coxis et trochanterum basi nigris. *Abdomen* subsericeum; segmento 1 margine, 2—4 totis, rufocastaneis. — Caetera sicut in specie genuina.

Unicam feminam *de Heyden* cepit prope *Trajectum ad Moenum.*

5. *Pedibus totis rufis.* m. *Statura* et proportio partium omnino marium genuinorum individuis abdomine graciliore et longiore respondet. *Longitudo* fere 5 linearum. *Antennae* rufae, articulo 1 fusco subtus flavo. *Pedes* toti rufi. *Abdomen* rufum, petiolo et segmentis 5—7 nigris. Caetera sicut in maribus genuinis.

Duo individua *Manger* prope *Warmbrunn* cepit.

Synonyma:

Ichneumon Geoffroi p. 347, n. 58.
" " *Typhae* Fourcroy p. 413, n. 59.
" " " Olivier p. 210, n. 22.
" " *indefessus* Gravenh. Ped. n. 111 (femina est nostra varietas secunda).

Nota:

Ratio latitudinis et longitudinis abdominis haud semper eadem est. Individuis abdomine longiore et graciliore, segmentum primum etiam angustius est et apicem versus minus dilatatum quam individuis abdomine latiore et breviore. Hae differentiae autem, serie longa individuorum, sensim

commutantur sensimque inter se transeunt, ita ut nullo modo characterem distinctivum stabilem specierum duarum peculiarium suppeditent. Hac formarum et picturarum mutabilitate autem fit, ut haec species, individuis et varietatibus quibusdam, nonnullis aliis speciebus adpropinquet: *Varietatem* 3 antea pro femina *M. fugacis*, n. 34, habueram. — *Varietas* 4, statura tota, imprimis forma et proportione abdominis et segmenti primi, medium tenet inter speciei genuinae individua proceriora et crassiora; ab omnibus autem differt segmento primo vix subcanaliculato et nitore subsericeo abdominis. — *Varietas* 5 medium tenere videtur inter genuinos *M. Typhae* et *M. variatorem*, seu varietatem *M. filicornis*, cum illis statura et proportione partium, cum hoc autem colore, melius conveniens. Si vero haec varietas areola careret, eam pro mare *M. leptoceri*, n. 40, habere possem. — Caeterum autem haec species, abdomine apicem versus saepius compresso, ad *Ophiones* familiae primae propius accedit.

Geoffroy plures feminas hujus speciei vidit, sed nullum marem; contra autem, plures mares speciei suae 57 (quam ad nostrum *Exetasten osculatorium* adhibui), sed nullam feminam; indeque suspicatur, ambas forsan species unius ejusdemque speciei mares et feminas esse. Si autem *Ichneumonem* 57 Geoffroii ad nostrum *Exetasten osculatorium*, *Ichneumonem* 58 autem ad nostrum *M. Typhae* recte adhibui, conjunctionem in unam speciem nullo modo patiuntur. —

Ichn. Tiphae Villers p. 155 n. 62 haud ad nostram speciem spectat; licet enim auctor diagnosin Geoffroianam receperit, descriptio speciei attamen multis notis ab Ichneumone laudato Geoffroii et a nostro Mesolepto discedit.

Forsan autem *Ichneumon luteolus* Gmelin ed. Linn. p. 2708, n. 351 (haud cum *Ichn. luteolo* ejusdem auctoris p. 2706 n. 333 confundendus) huc referri posset, sed verba Gmelini: *abdomine luteo, basi segmentis tribus postremis dorso nigris,* obscura sunt.

40. M. LEPTOCERUS.

Abdomine elongato rufo, apice nigro; pedibus rufis, tibiis posticis apice fusco; coxis anterioribus, puncto infra alas, oreque flavis. f.

Statura et proportio partium feminae speciei antecedentis, sed areola nulla et antennis gracilioribus.

Longitudo 4½ linearum. *Caput* clypeo oreque flavis, mandibulis apice nigro. *Antennae* graciles, apice curvatae, longitudine corporis, fuscae, articulo 1 subtus flavo. *Thorax* puncto flavo infra alas. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* rufi, anteriores coxis et trochanteribus flavis; postici tarsis, tibiarum apice, interdum etiam femorum summo apice, fuscis. *Abdomen* rufum, basi petioli segmentisque 5—7 nigris, *Aculeus* absconditus.

Feminas duas *pedemontanas* transmisit *Bonelli.*

Nota:

Hic Mesoleptus quodammodo ad *M. geniculosum* propius accedit, et forsan ejus femina esse posset, cum etiam *geniculosi* individua nonnulla areola careant; sed de sexu geniculosi ipso nondum omnia dubia sublata sunt. — Conferas etiam notam ad speciem antecedentem.

Synonyma:

Ichneumon leptocerus Grav. Ped. n. 112.

41. M. RUFINUS. n.

Abdomine rufo, petiolo nigro, ano deplanato flavo; pedibus rufis, coxis posticis supra nigris, tarsis posticis flavis; ore antennisque rufis. m.

Statura et proportio partium *M. sulphurati;* segmento 1 autem abdomineque toto longiore et angustiore.

Longitudo $5\frac{3}{4}$—$7\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* ore et clypei margine rufis aut fulvis, mandibulis apice nigro, *Antennae* ferrugineae aut rufae, basin versus nigricantes, articulo 1 toto nigro. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et radice stramineis, squamula fusca; areola triangulari irregulari petiolata. *Pedes* rufi, macula coxarum posticarum, interdum etiam puncto anteriorum, nigra; postici tarsis flavescentibus, tibiis interdum nigri-

cantibus basi rufescente. *Abdomen* capite thoraceque duplo aut fere triplo longius, thorace angustius; segmento 1 elongato-lagenaeformi, nigro, apice rufo, petiolo canaliculato tenui, tuberculis lateralibus ante medium (apici propius quam basi) sitis; 2—5 rufis; 6 et 7 flavis, supra deplanatis.

Unum marem *Fehler* cepit prope *Gottingam*; alterum, eumque majorem, abdomine longiore, tibiis posticis totis rufis, ipse cepi die 7 Augusti prope *Warmbrunn*.

Euryproctus.

42. M. NEMORALIS.

Abdominis medio, femoribus anterioribus, tibiisque, rufis, harum posticis apice nigro, tarsis posticis medio albis. m. f. (*Mas* facie et coxis anterioribus flavis. *Fem.* annulo antennarum albo.)

Longitudo 4—4½ linearum. *Caput maris* ore et facie flavis, interdum cum ferrugineo mixtis. *Antennae maris* fere corporis longitudine, porrectae, fuscae; subtus articulo 1 pallideflavo, sequentibus diluterufis sensim obscurioribus, ultimis totis fuscis; *feminae* corpore paulo breviores, rarius ejus longitudine, apice incurvae, fuscae; articulis 1—12 subtus vel omnibus vel plurimis eorum rufis aut ferrugineis; 13—19—20 albis; sequentibus subtus plerumque ferrugineis. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres subfumatohyalinae; stigmate fusco aut piceo, basin versus plerumque testaceo; radio fusco; radice et squamula pallideflavis, femi-

nae interdum piceis aut nigris; areola irregulari petiolata aut subpetiolata, mari interdum nervo exteriore subobliterato. *Pedes* mediocres subelongatuli, rufi; coxis anterioribus maris totis flavis, posticis nigris interdum subtus flavis, feminae omnibus nigris; trochanteribus maris flavis, posticis interdum basi fuscescente, feminae omnibus nigris, anterioribus interdum subtus flavis; femoribus posticis nigris; tibiis posticis rarius exalbidis, semper autem a medio ad apicem usque, vel apice summo, nigris; tarsis posticis articulis 2—4 aut 3—4 albidis aut testaceis, reliquis interdum fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, interdum fere duplo longius, feminis nonnullis capite thoraceque vix paulo longius, thorace paulo angustius, ovatofusiforme aut subclavatum; articulo 1 longiore, apicem versus sensim dilatato, canaliculato, (canalicula interdum obsoleta,) vel nigro, apice plerumque rufo, vel rufo petiolo nigro, feminae paulo breviore et latiore quam mari, tuberculis lateralibus in medio sitis; 2—5 rarius totis rufis aut rufis macula dorsali fusca, 4 et 5 interdum apice nigro, 5 plerumque toto nigro. *Aculeus* brevissimus subexsertus niger.

Marem cepi mense Iulio in umbellatis prope *Barterodam;* alii, circa *Warmbrunn*, *Niesky*, *Norimbergam* et in *Regione Pedemontana* capti, mecum communicati sunt. — *Feminas* duas cepi mense Iunio in fruticetis horti *Barterodae;* quaedam aliae, in *Silesia* et *Volhynia* captae, mihi transmissae sunt.

Varietates maris:

1. *Coxis nigris, anterioribus subtus flavis.* — *Longitudo* 4—5 linearum. *Antennae* nigrae, subtus vel articulo 2 rufo, vel articulis 1 et 2 flavicantibus, 3—6 rufescentibus sensim obscurioribus. *Thorax* puncto minuto pallidetestaceo ante alarum radicem. *Alae* stigmate et radio fuscis aut piceotestaceis, radice et squamula testaceis, areola irregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores dilute rufi, coxis nigris subtus flavis, mediis interdum totis nigris, trochanteribus flavis, mediis interdum superne nigris; postici nigri, tibiis basin versus rufis, tarsis vel articulis 2—4 et apice primi albidis, vel articulis 3 et 4 testaceis. *Abdomen* segmento 1 nigro apice rufo; 2—4 rufis, 4 interdum margine nigro; sequentibus nigris, 5 interdum angulis baseos rufis. — Caetera sicut in mare genuino.

Individuum unum, prope *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit; alterum *fennicum*, idque minus, antennis subtus pallidioribus, coxis mediis totis nigris, tarsis posticis annulo testaceo, segmento 5 toto nigro, *Sahlberg* transmisit.

2. *Coxis nigris, tarsis posticis totis fuscis.* — *Longitudo* 3½—5 linearum. *Pedes* anteriores rufi aut fulvi, coxis nigris, trochanteribus nigris aut flavis; postici nigri, trochanteribus interdum flavis, tibiis basi ferrugineis aut testaceis, tarsis fuscis aut ferrugineo fuscis. *Alae* stigmate et radio

fuscis aut piceis, radice picea aut testacea, squamula fusca aut testacea, areola triangulari subirregulari subpetiolata. *Abdomen* segmento 2 vel toto rufo, vel maculis duabus nigris, vel nigro margine summo castaneo; 3 et 4 rufis. — Caetera sicut in mare genuino.

Individuum unum (segmento secundo maculis duabus nigris) *gallicum Brongniart* mecum communicavit; alterum (minimum, segmento secundo margine castaneo) *Hartlieb* mense Majo prope *Vratislaviam* cepit; tertium (mediae magnitudinis, trochanteribus nigris) ipse cepi die 7 Iulii prope *Oedelem*.

3. *Facie nigra, orbitis flavis; coxis et trochanteribus nigris.* — *Longitudo* 5 linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum internis flavis. *Antennae* nigrae, articulis 2—5 subtus apice ferrugineis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula testaceis, cellula cubitali intermedia irregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores rufi, coxis et basi trochanterum nigris; postici nigri, tibiis basin versus rufis, tarsis articuli primi apice nec non articulis 2—4 totis pallidetestaceis. *Abdomen* segmento 1 apice, 2—4 totis, 5 basi, castaneis.

Individua duo prope *Niesky* capta, unum in *Volhynia* captum, accepi.

Varietates feminae:

1. *Facie et coxis flavopictis.* — *Caput* ore, clypeo, orbitis internis oculorum tenuibus, punctisque duobus parvis faciei, flavis. *Pedes* anteriores coxis et trochanteribus subtus flavis. — *Caetera* sicut in specie genuina.

Feminam unicam cepi prope *Gottingam.*

2. *Femoribus posticis rufis geniculo nigro.* — *Antennae* nigrae, articulis 12—16 albis. — Caetera feminae genuinae respondent.

Individuum unicum *Manger* prope *Warmbrunn* cepit.

3. *Femoribus posticis castaneis aut castaneomaculatis; abdomine apice solo nigro.* — *Statura* et proportio partium *M. fuscicornis*, segmento 1 autem breviore; a femina genuina hujus speciei imprimis abdomine latiore differt. — *Longitudo* 4½ linearum. *Antennae* subtus fulvoferrugineae, articulis 12—17 vel 12—21 totis flavoalbis. *Alae* stigmate et radio stramineopiceis, radice et squamula fuscis; areola triangulari, irregulari, petiolata, minore quam in reliquis feminis, interdum minuta. *Pedes* castanei; tarsis pallidioribus; coxis et trochanteribus nigris, illis interdum obsolete subbadiis; postici femorum summa basi et apice, interdum etiam latere toto convexo, nigris, tibiis apice nigro, tarsis articulis 2—4 supra albidis. *Abdomen* castaneum, segmento 5 macula dorsali nigra, 6 et 7 nigris. *Aculeus* brevissimus niger.

Unam cepi feminam, mense Iunio, in fruticetis horti *Barterodae*, alteram *austriacam Dahl* transmisit.

Synonyma maris:

Ichneumon Geoffroi p. 350, n. 65.
„ „ *nemoralis* Fourcroi p. 416, n. 66.
„ „ „ „ Gravenh. Ped. n. 113.

Nota:

Geoffroi et quidam alii Entomologi, illius auctoritate nixi, Ichneumonem Geoffroianum laudatum ad *Ichn. titillatorem* Linnei adhibuerunt, qui autem satis differt. Conferre velis nostrum *Cryptum titillatorem*.

Ad feminam *M.* nemoralis referrem *Ichn. cothurnatum* Schrank Austr. n. 716, nisi auctor expresse dixisset, Ichneumonem suum esse marem.

Conferas etiam notam ad sp. sequentem.

Euryproctus.

43. M. REGENERATOR.

Abdominis medio rufo; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro; annulo antennarum et tarsorum posticorum albo; areola minuta petiolata. f.

Statura et proportio partium omnino speciei sequentis.

Longitudo 4 linearum. *Caput* palpis sordidealbidis. *Antennae* articulis 3—8 subtus ferrugineis, 12—18 totis albis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et radice fuscis, squamula

alba; areola minuta triangulari, longepetiolata. *Pedes* rufi, coxis trochanteribus et unguibus nigris; medii tarsorum articulis 3 et 4 albis; postici geniculis et tibiarum apice nigris, tarsis nigris, articulo 2 apice albo, 3 et 4 totis albis. *Abdomen* segmento 1 nigro, margine summo castaneo; 2—4 rufis, 4 nigronebulato; 5—7 nigris.

Unicam feminam cepi in fruticetis prope *Scheidnich*, medio Septembri.

Varietas?

1. *Cellula cubitali intermedia subpetiolata, tarsis posticis subannulatis.* f. — A specie genuina haec varietas (dubia) differt abdomine breviore et latiore, cellula cubitali intermedia subpetiolata. — *Longitudo* $3\frac{2}{3}$ linearum. *Antennae* corpore paulo breviores, apice curvatae; articulis 1—10 fuscis, subtus rufis, 11 fusco, 12 fusco supra albo, 13—16 totis albis, sequentibus fuscis subtus rufoferrugineis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice fusca, squamula nigra; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici femorum etiam summa basi et apice, tibiarumque apice, nigris, tarsis fuscis articulo quarto sordidealbido. *Abdomen* pyriforme, depressum, capite thoraceque paulo longius et paulo latius; segmento 1 laevissimo, nigro apice rufo, petiolo lineari, parte antica apicem versus dilatata, petiolo plus duplo latiore, ejus autem longitudine; 2—4 rufis, 5—7 nigris. *Aculeus* brevissimus niger.

Unicum individuum *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Synonyma:

Ichn. regenerator Fabr. Piez. p. 83, n. 51; habitat in Austria.
„ „ „ Thunb. Ichn. n. 104.

Nota:

Ichn. regenerator Fabr. potius ad varietatem nostrae speciei, quam ad speciem genuinam ipsam, adhibendus est, cum auctor annuli albi tarsorum posticorum nullam fecerit mentionem.

Femina genuina medium tenet inter speciem sequentem et speciem praecedentem; a sequente differt areola, a praecedente areolae istius parvitate et petiolo longo. Varietas autem, forma et proportione abdominis et areolae nec non pedum colore, genuinum *regeneratorem* cum *nemorali* conjungere videtur.

Euryproctus.

44. M. DEFECTIVUS.

Abdomine medio rufo; femoribus tibiisque anterioribus totis, posticis basi, rufis; antennarum annulo albo; areola nulla. f.

Statura feminarum graciliorum *M. nemoralis;* sed areola nulla, segmento 1 apicem versus minus dilatato, petiolo crassiore et breviore differt.

Longitudo 4⅓ linearum. *Antennae* subsetaceae, corpore breviores, apice curvatae, articulis

13—15 albis. *Alae* stigmate et radio fuscopiceis, radice fusca, squamula nigra. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, femoribus tibiisque basi rufis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, subpetiolatum; segmento 1 laevi nigro, apicem versus sensim paulo dilatato, tuberculis lateralibus in medio sitis; 2—4 rufocastaneis, 4 margine nigricante; sequentibus nigris; ultimis rima ventrali longitudinali (de qua conferre velis descriptionem *M. Typhae*, n. 39). *Aculeus* haud exsertus.

Feminam *pedemontanam* unicam *Bonellio* debeo.

Synonyma:

Ichneum. defectivus Grav. Ped. n. 114.

Nota:

Conferas notam ad speciem antecedentem.

Euryproctus.

45. M. MUNDUS.

Abdominis medio rufo; pedibus nigris, femoribus anterioribus pro parte rufis, tibiis rufis. m. f. (*mas* tibiis posticis apice nigris, antennis subtus rufis; *fem.* antennis rufis, articulo primo nigro).

Statura et proportio partium maris respondent *M. nemorali*, feminae *M. fuscicorni.*

Longitudo 3½ — fere 5 linearum. *Caput* palpis substramineis aut fuscescentibus, mandibulis

ut plurimum medio fulvis. *Antennae maris* fuscae, subtus ferrugineae aut dilute rufae, articulo primo plerumque toto nigro; *feminae* fulvae; articulo 1 supra nigro; sequentibus, vel solis 2—5, supra fuscescentibus, sensim pallidioribus, vel 2 et 3 fuscis, 4—7 fere totis rufis, sequentibus supra fuscescentibus. *Alae* subfumatohyalinae; *maris* stigmate et radio piceis aut fuscis, radice flavescente, squamula fusca; *fem.* stigmate et radio testaceis, radice et squamula fuscis; areola subirregulari subpetiolata, feminae paulo minore quam mari. *Pedes* anteriores fulvi aut flavi, coxis et trochanteribus nigris; femoribus latere convexo vel toto vel basin versus nigro, anticis feminae rarius totis fulvis, mediis interdum nigris apice fulvo aut flavo; postici nigri, femoribus maris interdum apice summo, rarius latere interno apicem versus, castaneo, tibiis rufis, maris apice nigricantibus, tarsis maris fuscis aut rufofuscescentibus. *Abdomen* segmento 1 nigro, feminae apice rufo; 2—4 rufis, reliquis nigris. *Aculeus* brevissimus niger.

Quosdam mares et unam feminam e *Regione Pedemontana Bonelli* mecum communicavit; insuper etiam plures mares, circa *Parmam* et *Warmbrunn* captos, accepi; *Roentgen* marem cepit mense Iunio in *Hercynia*, ego ipse die 29 Maji in fruticetis prope *Scheidnich.* Feminam prope *Norimbergam* captam *Sturm* transmisit; alteram *ab Uechtritz* cepit in umbellatis circa *Langenau.*

Synonyma:

Ichneum. mundus Gravenh. Ped. n. 115.

Euryproctus,

46. M. RUFONIGER.

Abdominis medio pedibusque rufis; femoribus posticis, coxis et trochanteribus nigris. f.

A femina *M. mundi*, n. 45, haec differt statura graciliore, segmenti primi petiolo breviore et crassiore.

Longitudo 3⅓—4¼ linearum. *Antennae* filiformes, graciles, corpore breviores, ferrugineae, interdum supra fuscescentes. *Alae* hyalinae, irideae, stigmate radio radice et squamula stramineis; areola irregulari, subpetiolata. *Pedes* subgraciles, anteriores testaceorufi, coxis, plerumque trochanteribus, nigris; postici nigri, trochanteribus apice rufo, tibiis subtestaceis aut rufis interdum apice fusco, tarsis testaceofuscis. *Abdomen* capitis et thoracis longitudine, vel aliquanto longius, thorace paulo angustius vel ejus latitudine, lanceolatum aut segmentis 2—5 aequilatis; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, nigro, margine rufo, tuberculis lateralibus paulo ante medium sitis; 2—4 rufis, rarius castaneis; 5 rufo aut nigro; 6 et 7 nigris, interdum margine summo albente. *Aculeus* brevissimus, niger.

Unam feminam *Hartlieb* cepit mense Majo prope *Vratislaviam;* alteram, *norimbergensem, Sturm* transmisit; duas, easque trochanteribus et

segmento quinto nigris, *pedemontanas*, *Bonelli* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. rufoniger Grav. Ped. n. 116.

47. M. SULPHURATUS.

Abdominis medio testaceo; tibiis flavis, posticis apice nigro. m. f. (*Mas* facie flava, femoribus anterioribus fulvis; *fem.* facie nigra, femoribus anterioribus nigris apice rufo).

Statura et proportio partium *M. nemoralis*, n. 42; segmento 1 attamen paulo breviore, petiolo paulo latiore.

Longitudo 6 linearum. *Caput maris* facie oreque flavis, apice mandibularum fusco; *feminae* interdum palpis et mandibularum macula testaceis aut rufis. *Antennae* subsetaceae, corpore paulo breviores, apice incurvae, *feminae* rufae articulo 1 nigro, *maris* fuscae, subtus ferrugineae, articulo 1 macula flava. *Alae* mediocres, subflavo-fumato-hyalinae, stigmate et radio rufis aut piceis, radice maris testacea feminae fusca, squamula nigra; areola subtriangulari aut suborbiculari, petiolata. *Pedes maris* anteriores coxis vel totis nigris vel apice flavo, trochanteribus vel flavis vel rufis vel nigris, femoribus fulvis, tibiis tarsisque flavis; postici coxis et femoribus nigris, trochanteribus vel flavis punctis duobus fuscis, vel nigris apice

ferrugineo, tibiis flavis, a medio ad apicem nigris, tarsis ferrugineis; *feminae* nigri, femoribus anterioribus apice rufo; tibiis flavis, mediis apicem versus rufis, posticis apice nigro; tarsis rufis, posticis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque fere duplo longius, feminae paulo brevius, thorace paulo angustius, elongatofusiforme, feminae apice compressoclavatum; segmento 1 laevi, apicem versus sensim dilatato, nigro, apice testaceo aut rufo, tuberculis lateralibus in medio sitis subprominulis; 2—4 testaceis aut rufis, 4 interdum margine nigro, 5—7 nigris.

Marem et feminas, prope *Warmbrunn* captas, *Manger* mecum communicavit; ipse cepi feminam die 12 Iulii in prato prope *Scheidnich;* duos mares e *Hannovera* et e *Brisgovia* accepi.

Synonyma:

Ichn. sulphuratus Grav. Uebers. n. 3741.

Categlyptus.

48. M. MONTANUS. n.

Abdominis medio, femoribus anticis, tibiisque rufis, harum posticis apice nigro. f.

Longitudo 3 — fere 4 linearum. *Antennae* subsetaceae, corpore dimidio longiores, porrectae, nigrae, articulis 2—5 subtus testaceis aut ferrugineofuscis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate radio et radice fuscis, squamula ferruginea. *Pedes* mediocres, coxis et

trochanteribus nigris; femoribus anticis rufis basi summa interdum nigricante, mediis nigris apice rufoferrugineo, posticis totis nigris; tibiis rufis, posticis paulo obscurioribus apice nigro; tarsis rufis, posticis autem subfuscescentibus. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius vel eorum longitudine, thoracis latitudine, pyriforme; segmento 1 canaliculato, apicem versus sensim dilatato, nigro, apice rufo, tuberculis lateralibus in medio sitis; 2—4 rufis. *Aculeus* exsertus, brevissimus, nigrofuscus, subsursumcurvatus.

Individua quaedam, in *Austria* et, mense Iunio, in *Hercynia* capta, accepi.

Nota:

Areola haec species caret; sed in individuo nostro austriaco ala sinistra areola, minuta irregulari petiolata, instructa est.

49. M. DELUSOR.

Segmentis 2—5 rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigricantibus. f.

Longitudo 2¾ linearum. *Antennae* porrectae, corpore paulo breviores. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis, areola nulla. *Pedes* mediocres, rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici etiam geniculis nigris, tarsis et tibiarum apice nigricantibus. *Abdomen* capitis

thoracisque longitudine et latitudine, oblongo-ovatum; segmento 1 subcanaliculato, apicem versus sensim dilatato, nigro, margine summo castaneo, tuberculis lateralibus protuberantibus, pone medium (inter medium et basin) sitis; 2—5 rufis; 6 et 7 fuscis.

Unicum individuum *norimbergense* *Sturm* transmisit.

Synonyma:

Ichn. delusor Linn. Fauna n. 1610. — Syst. nat. ed. XII, p. 934, n. 34; habitat in pratis.
„ Fuessly Helv. p. 49, n. 958; haud rarus.
„ Müller Prodr. p. 156, n. 1811.
„ Fabr. Syst. p. 337, n. 54. — Piez. p. 67, n. 71; habitat in Europae nemoribus.
„ Gmel. ed. Linn. XIII, p. 2691, n. 34.
„ Christ pag. 371.
„ Schrank Boica, n. 2086; habitat in pratis, mense Augusti.

Nota:

De *Ichneumone delusore* reliquorum auctorum, ad hanc speciem haud adhibendo, vide notam ad *Cryptum curvum*. — *Ichn. delusor* Latr. Crust. XIII, p. 188, n. 36 niger est, abdomine ferrugineo, basi apiceque nigro, femoribus posticis ferrugineis.

Catoglyptus.

50. M. FORTIPES. n.

Femoribus posticis subclavatis, rufis, basi nigra; segmentis 2—6 et antennarum apice rufis. m. f. (*Mas* facie flava; pedibus anterioribus flavis, femorum basi nigra; *fem.* facie nigra; pedibus anterioribus nigris, apice femorum tibiisque rufis.)

Longitudo maris 4—fere 5, feminae 3½—4½ linearum. *Caput maris* facie et ore flavis, apice mandibularum, interdum etiam puncto clypei, nigro; *feminae* palpis stramineis, mandibularum medio interdum rufo. *Antennae maris* porrectae, *feminae* curvatae; filiformes, corpore dimidio paulo longiores, supra fuscae, subtus subtestaceae aut fulvae aut ferrugineae; articulis ultimis totis rufis aut ferrugineis; articulis 1 et 2 nigris, maris subtus flavis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, plus minus fumatohyalinae, radio et stigmate fuscis aut nigris; radice testacea, feminae interdum rufa; squamula nigra, maris interdum picea; areola nulla. *Pedes* mediocres, femoribus posticis crassis validis; *maris* anteriores pallideflavi, coxis plerumque basi nigra, femoribus anticis latere convexo, aut linea longitudinali, nigro, mediis puncto seu linea nigro; postici coxis et trochanteribus nigris, plerumque subtus flavis, femoribus rufocastaneis, vel sola basi vel hac et latere convexo nigris, tibiis nigris, subtus aut basin versus rufis testaceisve, basin versus interdum flavicantibus, tarsis nigris; *feminae* anteriores coxis et

trochanteribus nigris, femoribus nigris, vel apice solo, vel etiam latere interno toto, rufis aut ferrugineis, tibiis ferrugineis aut fulvotestaceis, tarsis fulvotestaceis aut fuscis; postici nigri, femoribus apicem versus rufis aut castaneis, interdum basi sola nigra, tibiis interdum subtus basin versus badiis, rarius basi tota testaceorufa. *Abdomen maris* thorace fere duplo longius et paulo angustius, oblongum, sericans; *feminae* capite thoraceque vix paulo longius, thorace paulo latius vel ejus latitudine, ovatopyriforme, depressiusculum; segmento 1 nigro, sublagenaeformi, apice interdum rufo aut badio, petiolo lineari canaliculato, parte antica apicem versus sensim dilatata, latitudine fere duplo longiore, tuberculis lateralibus in medio sitis; 2—6 rufis aut castaneis, 2 maris plerumque basi nigricante; 7 nigricante. *Aculeus* brevissimus, niger, subsursumcurvatus, ventre e valvula exsertus, in quam segmentum quintum feminae productum est.

Mares et feminas *Besser* e *Volhynia* transmisit; *lusitanicos* vidi in Museo *Com. de Hoffmannsegg;* praeterea mares quosdam e *Gallia* et *Genua*, feminas e *Franconia*, *Austria* et *Parma* accepi.

Varietates:

1. *Femoribus anterioribus totis flavis.* m. — *Femora* postica interdum tota rufa. — Caetera sicut in mare genuino.

Unum marem *gallicum Desmarest* mecum communicavit; alterum, eumque femoribus posticis totis rufis, *Manger* cepit prope *Warmbrunn.*

Catoglyptus.

51. M. FUSCICORNIS.

Segmentis 1—5, antennis, femoribus tibiisque anterioribus, nec non basi tibiarum posticarum, rufis. f.

Longitudo 3½ — fere 5 linearum. *Caput* palpis et mandibulis, interdum etiam puncto clypei, ferrugineis aut stramineis, apice et basi mandibularum nigris. *Antennae* dimidio corpore longiores, subsetaceae; articulo 1 nigro, subtus interdum ferrugineo aut pallidiore, sequentibus vel totis ferrugineis aut fulvis, vel supra fusconigris. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae; radio et stigmate fuscoferrugineis aut substramineis, radice et squamula fuscis aut ferrugineis; areola irregulari triangulari, petiolata aut subpetiolata, interdum minutissima. *Pedes* elongatuli; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus mediis interdum basi nigricante; postici nigri, tibiis vel rufis apice nigro, vel nigricantibus basi ferruginea, tarsis nigricantibus, interdum articulis 2—4 vel 3—4 ferrugineis aut sordidealbidis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, vel paululum longius, thoracis latitudine, pyriforme seu subelongatum, rufum aut castaneum; segmento 1 canaliculato, petiolo tenui, parte antica apicem versus dilatata, tuberculis lateralibus in medio sitis; 5 interdum margine aut macula dorsali nigro; 6 et 7 nigris, ut plurimum in

quintum retractis. *Aculeus* exsertus perbrevis subsursumcurvatus.

Multa individua, prope *Warmbrunn*, *Niesky*, *Norimbergam*, *Vindobonam* capta, accepi.

Varietates:

1. *Femoribus posticis etiam rufis.* m. f. (*mas:* facie coxisque albis). — *Statura* et proportio partium speciei genuinae; mas autem abdomine pedibusque paulo longioribus. — *Longitudo* maris 4½, feminae 3½—4 linearum. *Caput maris* ore et facie flavis; *feminae* mandibularum medio, interdum etiam palpis, flavis aut testaceis, rarius facie punctis ferrugineis tribus. *Antennae maris* fuscae, subtus rufae, articulo 1 nigro subtus flavo; *feminae* rufoferrugineae, supra obscuriores, articulo 1 rarius toto nigro. *Alae maris* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis; *feminae* subhyalinae, stigmate stramineo aut piceo, apicem versus nigro aut fusco, radio fusco, radice et squamula fuscoferrugineis; areola suborbiculatotriangulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes maris* anteriores fulvotestacei, coxis et trochanteribus albis; postici coxis nigris subtus albis, trochanteribus albis, femoribus et tibiis rufis, his apice nigro, tarsis fuscis, articulis 2—4 albis; *feminae* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici etiam tibiarum apice, vel tibiis fere totis, tarsisque nigris, his articulis 2—4 aut 3—4 ferrugineoalbidis, rarius ferrugineis. *Abdomen maris* thorace fere duplo longius, ejusque latitudine,

oblongum, rufum; segmento 1 nigro, apice rufo, 7 nigro; *feminae* rufum, petiolo nigro. *Aculeus* niger brevissimus subsursumcurvatus.

Marem unicum et duas feminas *Manger* cepit prope *Warmbrunn*; tertiam feminam, prope *Norimbergam* captam, *Sturm* transmisit; quartam vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

Synonyma:

Ichn. fuscicornis Gmel. ed. Linn. pag. 2701 n. 295 (ad feminam varietatis nostrae quadrat).

Nota:

Cum hac specie haud confundere velis *Ichn. fuscicornem* Schrank Boica n. 2123 (abdomine sessili etc.). — Schrank Ins. Berchtesgad. (ad *Pimplam turionellae* relatum). — Villers (ad *Pezomachos* spectantem). — Gmelin ed. Linn. p. 2684, n. 241 (qui *Ophion* esse videtur).

52. M. BIGUTTULUS. n.

Abdominis basi, pedibus anterioribus, tibiarum posticarum basi, antennisque rufis; ore et puncto infra alas albis. f.

Statura feminae praecedentis; sed segmento 1 breviore et crassiore, areola nulla, aculeo haud exserto, differt.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* ore et clypeo albidis. *Antennae* rufoferrugineae, subtus testaceae. *Thorax* puncto albido sub alis. *Alae*

hyalinae, irideae; stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis. *Pedes* anteriores testaceo-straminei, coxis et trochanteribus pallidioribus, coxis mediis basi nigra; postici nigri, trochanteribus subtus testaceis, tibiis testaceis apice fusco, tarsis fuscis subtus testaceis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongopyriforme; segmento 1 castaneo, apicem versus sensim dilatato, tuberculis lateralibus paulo ante medium sitis; 2 et 3 castaneis, 3 ante marginem nigricante; 4 nigro, margine rufescente; sequentibus nigris. *Aculeus* brevissimus, fere totus absconditus.

Feminam unicam *etruscam* a Sanvitale transmisit.

53. M. RUFIVENTRIS. n.

Antennis pedibus et abdomine rufis, basi nigris. f.

Statura et proportio partium speciei sequentis; segmento 1 autem breviore, areola triangulari, differt.

Longitudo 3⅔ linearum. *Antennae* corpore breviores, apice curvatae, ferrugineae, basin versus sensim nigrae, apicem versus sensim diluterufae. *Thorax* gibbulus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula piceofuscis; areola triangulari subregulari petiolata. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque lon-

gius, thoracis latitudine, oblongolanceolatum, rufocastaneum; segmento 1 nigro, canaliculato, apicem versus sensim dilatato, parte antica longitudine latitudinis, tuberculis lateralibus obsoletis, in medio sitis. *Aculeus* niger.

Unicam feminam *Besser* e *Volhynia* transmisit.

54. M. HILARIS. n.

Segmentis 2—7 antennisque rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro; facie et coxis anterioribus subtus flavoalbidis. f.

Statura et proportio partium *seminigri*, n. 56; differt autem cellula intermedia nulla, petiolo paulo crassiore.

Longitudo 4 linearum. *Caput* ore et facie pallideflavis, linea longitudinali abbreviata nigra faciei. *Antennae* apice convolutae; supra rufae, basin versus sensim fuscae; infra pallidetestaceae, basin versus sensim pallidiores; articulo 1 nigro, subtus albo. *Thorax* griseosericeus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula stramineis. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, anterioribus subtus albis; femoribus posticis summo apice fusco; tibiis testaceis, posticis apice nigricante; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* rufum; segmento 1 nigro, apice et macula dorsali castaneis. *Aculeus* brevissimus rufus.

Feminam unicam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

Eurypproctus.

55. M. ATOMATOR.

Abdomine pedibusque fulvis; ore testaceo. m. f.

Longitudo maris $3\frac{1}{3}$—$4\frac{1}{3}$, feminae 3 linearum. *Caput* ore et clypeo testaceis aut flavis, mandibulis apice fusco. *Antennae* subsetaceae, fere corporis longitudine, apice recurvae, fuscae, subtus feminae articulis omnibus, maris solo articulo 1, subtestaceis. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, radice et squamula stramineoflavescentibus; areola nulla, vel potius triangulari irregulari subsessili incompletissima, nervo exteriore obsoletissimo. *Pedes* mediocres fulvi. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius, latitudine thoracis, oblongoovatum, fulvum; segmento 1 maris canaliculato, feminae subcanaliculato, apicem versus sensim dilatato, tuberculis lateralibus in medio sitis, petiolo maris interdum fusco. *Aculeus* vix exsertus, testaceus.

Unicam feminam cepi prope *Helmstadium*; mares duos prope *Vratislaviam* et die 1 Octobris in rubetis prope *Scheidnich*.

Synonyma:

Ichn. atomator Müll. Prodr. n. 1842.

56. M. SEMINIGER. n.

Segmentis 2—7, pedibus, antennis, facieque fulvis. f.

Statura et proportio partium omnino speciei sequentis.

Longitudo 3 ½—4 ¼ linearum. *Caput* facie ore genisque rufis aut rufofulvis, mandibulis apice nigro. *Antennae* subsetaceae, tenues, longae, ferrugineae aut rufae, supra plerumque paulo obscuriores. *Alae* mediocres aut subangustae, hyalinae aut subfumatohyalinae; stigmate stramineo, rarius fusco; radio, radice et squamula stramineis aut testaceis; areola subtriangulari aut suborbiculata, subsessili aut subpetiolata. *Pedes* fulvi aut dilute rufi. *Abdomen* testaceo- aut rufo-fulvum, apice truncatum subcompressum; segmento 1 fusco aut nigro, apice rufo aut fulvo. *Aculeus* exsertus, rufus aut fuscus, brevissimus.

Quaedam individua cepit *Hartlieb* mense Maji prope *Vratislaviam;* quaedam alia, prope *Norimbergam* et in *Fennia* capta, mihi transmissa sunt.

Varietas:

1. *Facie nigra, ore clypeoque rufis.* f. — *Alae* stigmate fusco. — Caetera sicut in femina genuina.

Individuum unicum misit *a Steven* e *Tauria.*

Nota:

M. seminiger et *filicornis* (n. 57) capite subcubico, i. e. haud collum versus angustato, vertice majore subquadrato (latitudine longitudinem paululum excedente), a cospeciebus reliquis hujus sectionis differunt.

Perilissus.

57. M. FILICORNIS.

Abdominis medio, ore, pedibusque testaceis, femoribus posticis nigricantibus. m. f.

Longitudo 3—4½ linearum. *Caput maris* (vide notam ad speciem antecedentem) ore et clypeo rufostramineis aut stramineis, mandibulis apice fuscis, rarissime macula faciali badia obsoleta; *feminae* ore rufo, apice mandibularum nigro. (Descriptionem partium oris in nota ad hanc speciem legere velis). *Antennae* tenues, longitudine corporis, porrectae, apice subcurvatae, *feminae* rufae, *maris* rarius totae ferrugineae, ut plurimum apicem versus sensim obscuriores tandemque fuscae, interdum nigrofuscae basi ferrugineae aut testaceae. *Alae* mediocres, subhyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula testaceis; areola suborbiculari, subpetiolata. *Pedes* subgraciles, rufi aut rufotestacei; femoribus posticis vel totis vel medio solo fuscis aut nigris, in mare rarius fuscorufis. *Abdomen* subsericans, *maris* capitis et thoracis longitudine, vel paulo

longius, thorace paulo angustius, rarius ejus latitudine, oblongoovatum, seu segmentis 2—5 fere aequilatis; segmento 1 laevi aut subcanaliculato, lagenaeformi, nigro, margine summo castaneo aut testaceo, parte antica latitudine longiore, longitudine petioli; 2 vel nigricante aut fusco, margine castaneo, vel toto castaneo aut testaceo; 3 castaneo aut testaceo, interdum margine fusco; 4 vel nigricante basi castanea, vel toto rufo aut testaceo; 5—7 plerumque nigris, 5 interdum castaneo aut testaceo; *feminae* capite et thorace paulo longius, thoracis latitudine, oblongolanceolatum, apice crassius subcompressum; segmento 1 nigro, apice rufo; 2—4 rufis, 2 interdum basi nigricante; sequentibus nigris, 5 ante marginem, vel etiam basi, castaneo. *Aculeus* brevissimus subexsertus ferrugineus.

Mares quosdam cepi in fruticetis et gramine, circa *Vratislaviam*, *Pepelwitz*, *Gottingam* et in *Hercynia*, mensibus Maji et Iunii; plures transmissi sunt, circa *Warmbrunn*, *Vindobonam*, *Norimbergam*, *Parisios* et in *Regione Pedemontana* capti. — *Feminae* maribus multo rariores esse videntur, nec nisi unam prope *Genuam*, alteram prope *Halam Saxonum* captam, accepi.

Varietates:

1. *Femoribus omnibus rufis, facie flava.* m. — *Caput* facie oreque flavis, mandibulis apice fusco. *Antennae* fuscae, articulis 1—2—5 fer-

rugineis aut rufis. *Pedes* stramineorufi, femoribus posticis interdum apicem versus fuscescentibus. *Abdomen* segmento 1 nigro, margine rufescente, sequentibus colore variabili: a) Segmentis 2—4 rufis, sequentibus nigris, 5 interdum basi aut macula laterali rufa aut castanea. b) Segmentis 2 et 3 rufis, 4 et 5 badiis. c) Segmentis 2 et 3 rufis, 4 et 5 solo margine rufo. d) Segmento 2 apice solo, 3 toto, rufis, 4 nigro basi castaneo. e) Segmento 3 et margine secundi castaneis. — Caetera sicut in specie genuina.

Var. a. individuum die 29 Maji prope *Gottingam* cepi; alia quaedam in *Tauria*, *Hungaria* et mense Maji circa *Vratislaviam* capta mecum communicata sunt. — *Var. b.* (femoribus posticis totis rufis; abdomine longiore) individua nonnulla, circa *Warmbrunn*, *Vindobonam*, *Parisios*, *Genuam* et in *Regione Pedemontana* capta, accepi. — *Var. c.* (femoribus posticis totis rufis, abdomine breviore) mense Iunio prope *Vratislaviam* in gramine cepi. — *Var. d. et e.* cepit *Hartlieb* mense Maji prope *Vratislaviam.*

2. *Femoribus omnibus rufis, facie flava; abdomine nigro, segmentis 2 et 3 badiomarginatis.* m. — *Femora* postica apicem versus subnigricantia. *Abdomen* brevius subclavatum. — Caetera sicut in variete 1.

Individuum unicum cepi die 25 Maji prope *Gottingam* in loco graminoso.

Synonyma:

Ichn. filicornis Gravenh. Ped. n. 117.
„ *variator* Müll. Prodr. n. 1828.
„ „ Gravenh. Ped. n. 118. (*Variator* est nostra var. 1).

Nota:

Antennas et *oris partes Nees ab Esenbeck* his descripsit verbis:

Antennae filiformi-setaceae, tenues, rectiusculae, apice recurvae, articulis 42 (nonnullis apicis deficientibus); radicula angusta obconica; scapo subcylindrico, basin versus paulo angustiore, apice extrorsum modica obliquitate excavato; pedicello exserto cylindrico, brevi; articulo accessorio distincto, annuliformi; reliquis omnibus cylindricis, basin versus subangustatis, discretis, pubescentibus, decrescentibus; anterioribus elongatis, extremis quoque diametro longioribus.

Clypeus discretus linea impressa subarcuata, convexus, punctulatus, villosus, margine infero rotundato. — *Labrum* sub clypeo inflexum, membranaceum, triangulum, apice subulatum, ciliatum. — *Mandibulae* validae, arcuatae, compressae, basin versus parum latiores; margine supero magis interiori, inferoque obtusis; facie exteriori plana subrugulosa villosa, interiori concava ecarinata; apice acute bifido, dentibus rectis inaequalibus planis obtusiusculis, infero duplo longiori; sulculus abbreviatus ab incisura apicis in dorsum mandibulae continuatur. — *Maxillae* labium

amplectentes et ejus longitudine. *Stipes* coriaceus flavus compressus, facie infera linearilanceolata obliqua convexa laevi subvillosa. *Mala* membranacea, stipitis longitudine, bifida, lacinia infera introrsum in lobum rotundatum ascendendo-replicatum dilatata, supera paulo angustiore obovata, margine ciliata. — *Palpi maxillares* mala triplo longiores, graciles, recurvi, pilosi, quinquearticulati; articulis subaequalibus, primo filiformi, apice vix incrassato, truncato, secundo subcylindrico compressiusculo, margine infero aliquanto introrsum curvo, sed sequente articulo paulo latiori, reliquis filiformibus, ultimo tenuiore obtusiusculo; longitudinis ratio cunctis fere par, si differentiam altius inquiras $^1/_3$, $^2/_5$, $_4$ magis respondeat. — *Labium: Mentum* coriaceum, obconico-compressum, convexum laeve villosum, margine supero tridentato, dente intermedio emarginato, lateralibus acutis paulo brevioribus. *Lingua* mento vix dimidio brevior, membranacea, ascendens subquadrata, lateribus deflexis, apice emarginato-bifida, angulis rotundatis nudis decurvis. — *Palpi labiales* lingua duplo longiores, filiformes incurvi pilosi; quadriarticulati, articulis longitudine aequalibus, primo subclavato truncato, secundo et tertio obconicis compressiusculis, apice parum obliquis, hoc paulo latiore, quarto subcylindrico, basi tenuiori, apice obtuso. — Omnes oris partes flavae.

Müller, in Prodromo allegato, ad *C. variatorem* adhibuit Schaeff. Icon. tab. 103 fig. 4, quae

autem scutello et antennarum annulo albis etc. differt et a me ad *Ichn. amputatorium,* quem conferre velis, redacta est.

Caeterum conferas quae in notis ad *M. seminigrum,* n. 56 et ad *M. Typhae* n. 39, ratione hujus speciei monui.

58. M. STERNOLEUCUS. n.

Abdominis medio pedibusque fulvis, tibiis posticis apice nigro; coxis pectore et facie albis. m.

Statura M. filicornis et *geniculosi;* sed antennis et segmento 1 brevioribus, nec non defectu areolae differt.

Longitudo 3¾ linearum. *Caput* ore facie et genis albis. *Antennae* fuscae, subtus articulis 1 et 2 albis, sequentibus testaceis. *Thorax* collo pectore et suturis lateralibus ante alas albis. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* anteriores testacei, coxis atque trochanteribus albidostramineis; postici coxis et trochanteribus albidostramineis, femoribus fulvis, tibiis pallidetestaceis apice nigro, tarsis nigris. *Abdomen* segmento 1 nigro, apicem versus sensim dilatato, tuberculis lateralibus in medio sitis; 2—6 fere aequilatis, sensim parum latioribus; 2—4 rufotestaceis, 4 macula laterali nigra; sequentibus nigris, membrana anali albida.

Marem unicum *Manger* prope *Warmbrunn* cepit.

59. M. LURIDATOR.

Segmentis 2—4 pedibusque rufis aut testaceis. m. f.

Longitudo maris 3 linearum; femina paulo longior est. *Caput* ore vel toto rufo, vel palpis albidis aut flavis; clypeo maris interdum straminneo. *Antennae* subsetaceae, corporis longitudine vel paululum breviores, apice recurvae, *maris* ferrugineae, plerumque supra fuscae, *feminae* rufae, supra ferrugineae articulo 1 fusco. *Thorax* gibbulus, maris interdum tuberculis 2 subacutis metathoracis. *Alae* mediocres aut subamplae subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice substraminea; squamula nigra, maris interdum testacea; areola triangulari sessili, nervo exteriore incompleto aut obsoleto, interdum in mare omnino nullo. *Pedes* mediocres, *maris* subgraciles, testacei, interdum coxis fuscescentibus, *feminae* anteriores fulvotestacei, coxis pallidioribus; postici fulvi, coxis et trochanteribus pallidioribus, coxis basi summa fuscis, tarsis et tibiarum apice summo subfuscescentibus. *Abdomen* capitis et thoracis longitudine, vel paulo longius; *maris* thorace angustius, fusiforme, *feminae* thoracis latitudine, ovatooblongum seu pyriforme, depressum; segmento 1 subcanaliculato, apicem versus sensim dilatato, tuberculis lateralibus in medio sitis, nigro, maris apice rufo aut stramineo; 2—4 rufis, maris interdum stramineis, 4 maris apice aut fascia

media fusco; sequentibus nigris, maris interdum fuscis margine subpallidiore.

Mares quosdam, circa *Warmbrunn* captos, unumque a *Menzingero* prope *Friburgum* captum, eumque coloribus pallidioribus imbutum, coxis posticis attamen fuscis, accepi. — *Feminam* unicam, eamque *Pedemontanam*, *Bonelli* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. luridator Grav. Ped. n. 119.

Nota:

Femina medium tenet inter *chrysostomum*, n. 62, et *geniculosum*, n. 61, cum hoc magis colore congruens, cum illo statura et partium proportione.

60. M. GRISESCENS. n.

Segmentis 2—5 pedibusque fulvis. m.

Statura gracilior quam in specie praecedente.

Longitudo 2⅔ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio fulvis, facie subargenteosericea. *Antennae* filiformes, corpore breviores, apice curvatae, articulo 1 subtus fulvo. *Thorax* cylindricus. *Alae* subfumatohyalinae irideae, stigmate et radio stramineis, radice et squamula pallideflavis, areola triangulari subregulari subpetiolata. *Pedes* toti fulvi. *Abdomen* capite thoraceque

paulo longius et angustius, apice subcompressiusculum; segmentis 2—6 aequilatis; 1 nigro, apice badio, parte antica latitudine duplo longiore, et duplo latiore quam petiolus, tuberculis lateralibus in medio sitis; 2—5 rufofulvis; 6 nigro, basi et apice rufescentibus; 7 nigro.

Unicum individuum *Manger* prope *Warmbrunn* cepit.

Euryproctus

61. M. GENICULOSUS. n.

Abdominis medio antennis pedibusque rufis, femoribus tibiisque posticis apice nigris, ore flavo. m.

Longitudo 3½—4¼ linearum. *Caput* ore flavo, mandibulis apice et basi nigris. *Antennae* subfiliformes, corporis longitudine vel paulo longiores, apice incurvae, rufoferrugineae, supra obscuriores; articulo 1 fusco aut nigro, subtus flavo rarius rufo. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae aut fumatohyalinae, stigmate fusco, radio piceo, radice et squamula flavis; areola rarissime deficiente, plerumque parva aut minuta, triangulari, subregulari, petiolata. *Pedes* mediocres; anteriores vel toti flavi vel fulvi coxis et trochanteribus flavis; postici rufi, trochanteribus flavis, femoribus apice nigro, tibiis apice nigro, rarius basin versus flavis, tarsis rufis rarissime flavis, coxis rarissime basi nigra. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongum; segmento 1 canaliculato aut subcanaliculato,

nigro, apice rufo, parte antica apicem versus sensim dilatata, latitudine longiore, longitudine petioli linearis, duplo autem latiore quam ille; 2—4 rufis; sequentibus nigris, 5 rarissime basi rufa.

Individua plura passim in *Silesia*, nec non circa *Norimbergam*, *Halam Saxonum*, *Sickershausen*, *Aboam* capta, accepi; aboense a reliquis differt antennis longioribus et coxis posticis basi nigris.

Nota:

Conferas notas ad *leptocerum*, n. 40, et *luridatorem*, n. 59.

62. M. CHRYSOSTOMUS.

Cellula cubitali intermedia nulla; abdomine oblongoovato, rufo, apice nigro; pedibus rufis, tibiis posticis apice fusco; ore flavo. f.

Statura et proportio partium speciei praecedentis; sed areola nulla, antennis paulo crassioribus, abdomine ejusque petiolo brevioribus et crassioribus, differt.

Longitudo 3 linearum vel paulo minor. *Caput* ore et clypeo flavis, mandibulis apice nigro. *Antennae* corpore breviores, curvatae, fuscae; articulo 1, vel etiam 2, subtus flavo. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis aut fuscopiceis, radice et squamula flavis. *Pedes* fulvorufi, anteriores coxis pallidioribus; postici tibiarum apice et tarsis, seu articulorum tarsorum apicibus, fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque latitudine et

longitudine, vel paulo longius, ovatooblongum seu pyriforme, depressum; segmentis 1—3 rufis; 4 rufo, margine nigro, rarius nigro basi rufa; reliquis nigris. *Aculeus* haud conspicuus.

Quaedam individua *Pedemontana*, unumque *Etruscum*, mihi transmissa sunt.

Varietas:

1. *Tibiis posticis rufofulvis unicoloribus.* — *Longitudo* 3½ linearum. *Pedes* omnes toti rufofulvi. *Abdomen* segmentis 1—4 totis diluterufis. — Caetera sicut in specie genuina.

Unicum individuum *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Synonyma:

Ichn. chrysostomus Grav. Ped. n. 120.

Nota:

Aculeo haud conspicuo, e forma abdominis conjicere licet, individua hujus speciei sexus feminini esse.

63. M. ANTILOPE. n.

Abdomine rufo, segmentis 5—7 dorso nigricante; pedibus rufis, thorace ferrugineomaculato, antennis tricoloribus. f.

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput* palpis stramineis; mandibulis medio badiis; interdum maculis duabus infra antennas, duabusque supra antennas, brunneorubricosis. *Antennae* corpore

breviores, subsetaceae, porrectae; articulis 1—4 ferrugineis, 1 tamen supra nigricante; 5—9 nigris, 10—15 albis, sequentibus nigris. *Thorax* gibbus; linea seu macula ante alas, altera sub alis, interdum etiam macula laterali metathoracis, ferrugineis. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice albida, squamula ferruginea; areola nulla (in altero individuo attamen irregulari triangulari petiolata alae sinistrae). *Pedes* mediocres, rufi, trochanteribus basi interdum nigra; postici apicibus femorum et tibiarum interdum obsolete nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatopyriforme, rufum, segmentis 5—7 supra nigricantibus; segmento 1 apicem versus dilatato, canaliculato, tuberculis lateralibus in medio sitis. *Aculeus* exsertus perbrevis, sursumcurvatus.

Unum individuum cepi prope *Oedelem*, mense Iunio; alterum, *norimbergense*, *Sturm* transmisit.

64. M. VENTRATOR. n.

Abdominis medio pedibusque rufis; coxis posticis, vel etiam anterioribus, nigricantibus. m.

Statura tota, imprimis pedes et abdomen, graciliores sunt quam in *delusore*, n. 49.

Longitudo 3 linearum vel paulo minor. *Caput* palpis exalbidis, mandibulis et labro ferrugineis. *Antennae* filiformes curvatae, corpore parum breviores, ferrugineae aut fuscae, subtus dilutiores, articulo 1 supra nigro. *Thorax* gibbulus. *Alae*

fumatohyalinae aut subhyalinae; stigmate et radio fuscis, rarius piceis, radice pallidestraminea; squamula nigra, rarius picea. *Pedes* subgraciles, rufi; anteriores coxis vel testaceis, vel nigris apice plerumque testaceo, trochanteribus testaceis; postici coxis nigris, apice plus minus rufo aut testaceo, trochanteribus testaceis, tarsis summoque apice femorum, ut plurimum etiam tibiarum, fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, lanceolatum, depressiusculum; segmento 1 nigro canaliculato, petiolo lineari, parte antica apicem versus sensim dilatata, margine summo plerumque rufescente, tuberculis lateralibus in medio sitis; 2—4 rufis, 4 interdum margine nigro; sequentibus nigris, interdum summis marginibus castaneis.

Plures cepi mense Augusto circa *Warmbrunn* in fruticetis, umbellatis, et in Leontodonte taraxaco.

Varietas:

1. *Trochanteribus nigris.* m. *Statura* et proportione partium haec varietas medium tenet inter speciem suam genuinam et *delusorem*, illi autem propius accedit. *Longitudo* 3 linearum. *Caput* palpis, mandibularum medio, punctisque duobus clypei, stramineis. *Antennae* corpore dimidio longiores, subtus fuscoferrugineae, articulis 1—3 totis nigris. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* mediocres, rufi, coxis et trochanteribus nigris, trochanteribus anticis subtus rufis; postici etiam tarsis nec

non femorum et tibiarum apicibus nigris. *Abdomen* segmento 1 paululum breviore et latiore quam in specie genuina, nigro, summo margine rufescente; 2—4 rufocastaneis; sequentibus fusconigris, marginibus summis obsolete pallescentibus.

Marem unicum, captum prope *Sickershausen, Nees ab Esenbeck* sub nomine *Ichn. ventratoris* misit.

65. M. BICINGULATUS. n.

Cingulis duobus abdominis, pedibus, collo et facie, pallidetestaceis. m? f?

Longitudo $2\frac{1}{5}$ linearum. *Caput* ore et facie pallidetestaceis. *Antennae* porrectae filiformes, corpore dimidio paulo longiores, articulis 1 et 2 subtus pallidetestaceis. *Thorax* gibbus; collo et prothoracis lateribus anticis, nec non lineola infra alas, stramineis. *Alae* hyalinae, irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula pallidestramineis; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres, pallidestraminei; postici lateribus femorum et apice tibiarum piceis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, lanceolatum, nigrum; segmento 1 sublineari subcanaliculato, parte antica paulo latiore quam petiolus et longitudine latitudinem fere duplo excedente, tuberculis lateralibus in medio sitis; incisuris 2 et 3 pallidestramineis.

Unicum individuum cepit *Manger* prope *Warmbrunn.*

66. M. TENER. n.

Cingulis abdominis et pedibus testaceis. m. f. (*Fem.* macula testacea faciei, coxis posticis fuscis).

Abdomine graciliore, antennis longioribus, areola minore aut nulla, haec species a praecedente differt.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* palpis et mandibulis pallidis; feminae macula faciei testacea. *Antennae* porrectae, maris corpore fere paulo longiores, feminae corpore paulo breviores; articulo 1 subtus rufo. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, irideae; stigmate et radio maris piceis, feminae fuscis; radice et squamula pallidetestacea; areola vel nulla, vel (in maris individuo altero) parva triangulari irregulari subpetiolata, fere obsoleta, nervo exteriore subtilissimo. *Pedes* subgraciles, testacei; postici *maris* tibiis apice fuscescente, *feminae* tibiis albidis apice fusco, coxis et tarsis fuscis. *Abdomen* nigrum, *maris* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, segmento 1 apicem versus dilatato, 2—5 aequilatis, 2 margine testaceorufescente; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongum, apice compressoclavatum, segmentis 2 et 3 apice testaceis, ultimis tenuissime albomarginatis. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Mares duos unamque feminam *Manger* cepit prope *Warmbrunn*.

Varietas:

1. *Abdomine medio rufo.* m. — *Longitudo* fere 3 linearum. *Caput* ore clypeoque flavoalbis. *Antennae* articulis 1 et 2 subtus flavoalbis. *Alae* sicut in genuino. *Pedes* anteriores pallidestraminei; postici rufofulvi, tibiis pallidestramineis apice fusco, tarsis fuscis. *Abdomen* segmentis 1 et 2 margine rufo, 3 toto rufo, 4 rufo lateribus nigris.

Hunc marem *de Heyden* prope *Trajectum ad Moenum* cepit.

67. M. COXATOR. n.

Abdominis medio et tibiis rufis, coxis et trochanteribus posterioribus albidis; antennis tricoloribus. m.

Habitus M. laevigati; sed capite thoraceque paulo angustioribus, abdomine pedibusque autem paulo crassioribus.

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput* ore ferrugineo. *Antennae* filiformes, corpore dimidio paulo longiores; articulo 1 nigro, subtus stramineo; 2—3—5 stramineis; 4—9 aut 6—10 fuscis; 10—14 aut 11—14 albidis, sequentibus nigris. *Thorax* gibbulus, tuberculis subacutiusculis duobus metathoracis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice straminea. *Pedes* mediocres; antici nigri, tarsis tibiis et femorum apice rufis; posteriores trochanteribus et coxis exalbidis; femoribus nigris, mediis apice castaneo

aut rufo, posticis interdum interne macula castanea, tibiis rufis, posticis interdum summo apice nigro, tarsis fuscis, mediis interdum rufis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongolanceolatum, nitidissimum; segmento 1 nigro, canaliculato, petiolo lineari, paulo longiore et dimidio angustiore quam pars antica, hac apicem versus sensim dilatata; sequentibus rufis, sensim obscurioribus, 6 et 7 nigris aut fuscobadiis margine pallidiore. *Genitale masculum* subexsertum obtusum compressum fulvum.

Duo individua cepi prope *Warmbrunn* in fruticetis, mense Augusto.

68. M. PETIOLARIS. n.

Segmento 3 rufo; tibiis anterioribus et femoribus anticis totis, posticis medio, femoribus mediis apice, rufis. m.

Longitudo 3 linearum. *Caput* griseopilosellum. *Antennae* filiformes, corpore dimidio paululum longiores. *Thorax* gibbus, confertim punctus, pilis tenuibus griseis vestitus. *Alae* abdomine breviores, fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice testacea; areola triangulari regulari petiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris; femoribus posterioribus externe basin versus, posticis etiam apice, nigris; tibiis posticis basi et apice nigris; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capite thoraceque duplo longius, apicem versus sensim incrassatum, thoracis latitu-

dine; segmento 1 nigro, parte antica quadrata convexa, breviore et fere plus duplo latiore quam petiolus; 2 nigro, margine rufo; 3 rufo, margine et basi nigris; 4 nigro, ventre et macula laterali rufis; 5 nigro, ventre castaneo; sequentibus nigris; 7 rima ventrali longitudinali, e qua *stylus* brevissimus, vix exsertus, bipartitus, prominet.

Individuum *austriacum* unicum accepi

Nota:

A reliquis cospeciebus hujus familiae haec differt segmento 1 crassiore, latiore, haud sensim in petiolum angustato, sed parte antica repente incrassata, sicut in generis *Ichneumonum familia prima.*

69. M. LAEVIGATUS.

Segmentis 2 et 3, femoribus tibiisque anterioribus totis, posticis pro parte, rufis. m. f.

Longitudo maris 2½ — fere 5, feminae 4—5 linearum. *Caput* palpis ferrugineis aut fuscis, mandibulis nigris aut ferrugineis (descriptionem plenam partium oris legere velis in nota ad hanc speciem). *Antennae* subsetaceae *maris* corpore breviores porrectae, apice interdum subcurvatae, nigrae, vel subtus fuscae rarius ferrugineae, articulo 1 semper toto nigro; 3—5 interdum ferrugineis seu pallidioribus; sequentibus sensim obscurioribus; *feminae* corpore dimidio paulo longiores, apice incurvae, nigrae, subtus interdum fuscae.

Thorax gibbus seu gibbulus. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, rarius hyalinae; stigmate radio et squamula nigris aut fuscis; radice pallideflavescente; areola subnulla, vel potius quinqueangulari subpyramidata incompleta, nervo exteriore vel toto deficiente vel obsoleto. *Pedes* mediocres seu subgraciles; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, tibiis vel rufofuscis, vel rufis basi apiceque, aut apice solo, nigris, femoribus basi subfusca aut rufescente, ut plurimum latere convexo toto castaneo, rarius rufis geniculo solo nigro. *Abdomen* nitidissimum, capitis thoracisque longitudine vel paulo longius, thoracis latitudine vel paulo angustius, oblongoovatum, apice feminae acutiore maris obtusiore; segmento 1 longo tenui nigro, sublaevi seu subcanaliculato, lineis duabus elevatis, quae autem raro usque ad medium partis anticae excurrunt ibique foveola seu canaliculo terminantur, parte antica triplo vel quadruplo breviore quam petiolus, maris vix paulo latiore quam petiolus, latitudine paulo longiore, apice interdum castaneorufescente, feminae ut plurimum quadrata et duplo latiore quam petiolus, rufocastanea; 2 et 3 rufis; 4—7 nigris, maris subsericeis. *Aculeus* brevissimus, subexsertus, interdum absconditus, linearis, vaginis duabus compressiusculis. *Genitale masculum* vix subexsertum, conicum, aculeo crassius.

Haec species, inter vulgatissimas censenda, ubique in *Germania* degere videtur. Magnam vim marium et feminarum, per totam aestatem, ubique

in *Silesia*, nec non circa *Gottingam*, *Oedelem*, *Barterodam*, praecipue in pratis in umbellatis, sed etiam in fruticetis, rarius in gramine, cepi. Alia individua, circa *Halam Saxonum*, *Dresdam*, *Vindobonam*, *Norimbergam*, *Sickershausen*, nec non circa *Genuam* et in *Regione Pedemontana*, capta, mihi transmissa sunt.

Varietates:

1. *Segmentis 2 et 3 maculis nigris.* — *Segmento* 2 vel basi vel apice vel lateribus nigro; 3 margine nigricante.

2. *Segmento* 4 *rufo aut rufomaculato.* — *Segmento* 4 rarissime toto rufo, aut rufo maculis duabus nigris, saepius autem basi rufa.

3. *Solo segmento 2 rufo; femoribus omnibus totis rufis.* — *Longitudo* 2 linearum. *Pedes* rufi, trochanteribus et coxis nigris, tibiis posticis summa basi summoque apice nigricantibus, tarsis fuscis. *Abdomen* nigrum; segmento 2 dilute rufo apice nigro.

Marem unicum *Richter* mense Augusto in *Sudetis Silesiae* cepit.

4. *Pedibus totis rufis, solis coxis posticis macula nigra.* —

Marem unicum cepi prope *Gottingam.*

5. *Pedibus posticis totis nigris.* —

Feminam unicam *etruscam* a *Sanvitale* mecum communicavit.

6. *Femoribus anterioribus nigromaculatis.* — *Femora* media interdum, rarius etiam antica, externe basin versus nigricant; rarissime media et antica nigra sunt, apice rufo.

Synonyma:

Ichn. laevigatus Gravenh. Ped. n. 121.

Nota:

De *antennis* et *oris partibus Nees ab Esenbeck* in literis haec mecum communicavit:

Antennae subsetaceae, apice recurvae, articulis 30; radicula brevi angusta; scapo subcylindrico crasso, diametro sua parum longiore; pedicello subobconico exserto, articulum quartum disciformem minutissimum in fovea apicis fovente; reliquis cylindricis, longitudine decrescentibus, discretis, ultimo acutiusculo.

Clypeus vix discretus, planiusculus, margine antico rotundato. — *Labrum* breve obtusum. — *Mandibula* breviuscula, parum arcuata, superficie exteriori plana, basin versus rugulosa, pubescente, ante articulationem sulculo obsoleto recurvo impressa, apice bifida, dentibus brevibus obtusis, infero paulo minore. — *Maxilla* omnino qualis in Pimpla instigatore, stipite paulo angustiore, fere semicylindrico. — *Palpi maxillares* graciles, maxilla duplo longiores, filiformes, pubescentes, quinquearticulati; articulo 1 elongato obconico corneo, reliquis inaequalibus subspongiosis, pallidis; 2 breviori, cultriformi (i. e. compresso, basi

angustiori, margine anteriori curvo, posteriori recto, apice truncato subobliquo); reliquis filiformibus, 3 longissimo, 4 et 5 brevioribus (secundi circiter longitudine) aequalibus, hoc acutiusculo. — *Labium: Mentum* cuneiforme compressum convexum, basi gibbum, margine antico rotundato, dentibus nullis conspicuis: *Lingua* mento dimidio brevior, ascendens, truncata, angulis acutis deflexoconniventibus, obsolete ciliatis. — *Palpi labiales* lingua plus duplo longiores, filiformes graciles, quadriarticulati; articulo 1 subclavato corneo, apice obliquo, pellucente, pallido, reliquis pallidis subspongiosis pubescentibus; 2 breviori subcompresso, latitudine paulo longiore, basi et apice obliquo; 3 cylindrico, parum longiore; 4 filiformi obtusiusculo, longitudine articuli primi.

70. M. SPLENDENS. n.

Segmentis 2 et 3 basi rufis; pedibus rufis, posticorum coxis et femoribus nigris. f.

Statura et proportio partium omnino feminae speciei praecedentis; an ejus varietas minuta?

Longitudo 1⅓ linearum. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate et radio testaceopiceis, radice albida, squamula fusca apice pallidiore; areola quinqueangulari incompleta. *Pedes* anteriores rufi, coxis supra nigris; postici nigri, trochanterum apice, femorum summa basi et summo apice,

tibiis tarsisque, rufis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 basi rufis. *Aculeus* brevissimus.

Feminam unicam cepit *Manger* prope *Warmbrunn.*

71. M. DECIPIENS. n.

Segmento secundo et petioli basi castaneis; pedibus fuscis, femorum basi et apice testaceis, tibiis posticis ferrugineis apice nigro. f.

Longitudo 1 2/3 linearum. *Antennae* crassiusculae, corpore dimidio paulo breviores, fuscoferrugineae, articulo 1 nigro. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* mediocres fumatohyalinae, stigmate fusco, radio et squamula piceis, radice albida; areola quinqueangulari incompleta. *Pedes* mediocres fusci, femoribus basi et apice piceotestaceis, tibiis posticis ferrugineis apice nigricante. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, lanceolatum; segmento 1 nigro, petiolo basin versus rufocastaneo, parte antica quadrata, paulo latiore, at duobus trientibus breviore, quam petiolus; 2 badio, margine summo castaneo; reliquis nigris. *Aculeus* vix subexsertus.

Feminam unicam, prope *Sickershausen* captam, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit.

Varietas:

1. *Segmentis tribus anticis rufomarginatis; pedibus testaceis, posticis nigromaculatis.* f.? — *Longitudo* 1 1/3 linearum. *Antennae* subcrassius-

culae filiformes curvatae, corporis dimidii longitudine. *Thorax* cylindricogibbulus. *Alae* mediocres tenerae hyalinae; stigmate et radio pallidepiceis; radice et squamula albidis; areola quinqueangulari incompleta. *Pedes* mediocres testaceofulvi; postici coxis, femoribus ab apice ad medium usque, nigris, tibiis summo apice fuscescente. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 apicem versus vix paululum dilatato, nigro, margine fulvo, parte antica quadrata, dimidio breviore quam petiolus; 2 et 3 fulvis, dorso nigro; 4 margine laterali fulvo; reliquis nigris. *Aculeus* (?) brevissimus subexsertus.

Individuum unicum prope *Sickershausen* captum est.

Nota:

De *aculeo* varietatis descriptae conferre velis notam ad *Hemitelem crassicornem*.

FAMILIA II,

seu subgenus:

TRYPHON.

Abdomine oblongo, subsessili aut subpetiolato; antennis gracilibus aut mediocribus; pedibus mediocribus.

Caput rarius thorace latius (e. g. Tryph. erythrocephalo, latifronti, etc.), plerumque thoracis latitudine aut thorace paulo angustius; vel breve, collum versus angustatum, vel paulo longius et collum versus haud angustatum; speciebus duabus (Tryph. elongatori et brachyacantho) fronte cornuta. — *Oculi* ovales aut suborbiculati, plus minus prominentes, majores minoresve; pro ratione minimi in capitibus maximis (e. g. Tryph. cephaloti, sphaerocephalo etc.), maximi Tryphoni nano. — *Antennae* subgraciles, vel corporis longitudine, vel eo breviores, apice plus minus curvatae, medio crassiores Tryph. procuratori. — Plura de *antennis* et de *oris partibus* leges in notis ad Camp. marginatorium et brunniventrem. — *Thorax* gibbus aut gibbulus, rarissime globosus aut gibbulo-cylindricus. — *Scutellum* convexum aut gibbum, triangulare apice obtuso, rarius subquadratum (e. g. Tryph. marginatorio et mesoxantho). — *Alae* mediocres aut subamplae. Areola triangularis aut suborbiculata, sessilis aut petiolata, haec interdum minutissima seu subobsoleta (e. g. Tryph. pratensi et erythropalpo); quibusdam non nisi vestigia quaedam obsoletissima hujus areolae supersunt, e. g. Tryph. optico, intermedio, luteifronti; multi ea omnino carent; Tryphoni nano autem haec areola quinqueangularis est. In cellula interiore

saepe initium nervi dividentis conspicitur, quod, in Tr. maculato, usque ad medium cellulae excurrit. — *Pedes* pluribus mediocres; multis vero subgraciles subelongati, v. c. Tr. insolenti, evolanti, vernali, etc. aut crassiusculi; rarissime autem crassi, scilicet Tr. elegantulo. — *Abdomen* subsessile aut subpetiolatum, rarius sessile (Tr. clypeatori); thorace longius, ejus autem latitudine vel paulo angustius; oblongum, nonnunquam lanceolatum aut fusiforme, aut versus segmentum quartum sensim dilatatum. Segmentum primum canaliculatum plurimis sensim in petiolum abit, basin versus sensim angustiorem; tuberculis lateralibus plerumque ultra medium segmenti, rarius in ipso medio, rarissime ante medium (e. g. in Tr. brachyacantho), sitis. Apex abdominis feminarum crassiusculus esse solet. — *Aculeus* brevissimus subexsertus.

De affinitatibus hujus subgeneris cum *Mesoleptis,* hos conferre velis. — *Tr. elegantulus,* pedibus crassis et areola deficiente, totaque corporis forma, ad species quasdam *familiae tertiae,* seu subgeneris *Exochorum,* v. c. *Ex. gravem* et *gravipedem,* quorum pedes paulo graciliores, frons paulo minus protuberans, quam in reliquis cospeciebus, sunt, adpropinquat, sed elegantulo pedes sunt teretiores quam Exochis, qui pedes compressos habent, et totus habitus externus elegantulum ab Exochis removet; sed *Exochus frenator* et *cristator,* ratione pedum graciliorum et formae abdominis, medium tenent inter ambas familias, easque

jungere videntur. — *Hemiteles breviventris*, abdomine subsessili, Tryphonibus responderet, nisi areola quinqueangulari incompleta, quae nota characteristica Hemitelium est, differret. — Ad Tryphones etiam spectant mares nonnulli *Phytodietorum* abdomine subsessili; *Tr. scabriculus* autem forsan mas est *Phytodieti nigri;* marem *Phytodieti segmentatoris*, priusquam feminam ejus noveram, Tryphonibus consociaveram. Feminae Phytodietorum aculeo satis a Tryphonibus differunt. — *Mesochorus splendidulus*, habitu toto, quodammodo cum *Tryphone formoso* cognatus esse videtur, distat autem satis, abdomine petiolato, areola majore rhomboidali etc.; sed *Mesochorus scutellatus*, unica hujus subgeneris species segmento primo haud petiolato, sed basin versus sensim angustato, habitu toto, praecipueque illa segmenti primi forma, cum *Tr. multicolore* fere congruit, attamen forma areolae stylisque duobus analibus exsertis maris, distinguitur. — Mares *Plectiscorum* a quibusdam Tryphonibus abdomine subpetiolato, quales sunt *Tr. intermedius*, *flavicinctus*, etc. vix, nec nisi parvitate, discerni possunt. — *Tr. clypeator*, abdomine sessili sublineari, ad *Pimplas* spectat, praesertim ad subgenus *Lissonotarum*, ob segmenta levia; sed etiam mares alii, e. g. *Tryphonis virgultorum*, *vepretorum*, *optici*, ad nonnullas Lissonotas, areola triangulari, forma abdominis prope accedunt. Feminae amborum subgenerum satis aculeo differunt. Analogia quaedam est inter *Tr. elongatorem* et *brachyacan-*

thum et *Lissonotam bicornem*, ob frontem cornutam; caeteris autem haec et illi satis discrepant. — Ipsarum *Pimplarum genuinarum* familiae sextae mares quidam, abdomine apicem versus sensim crassiore, incisuris et impressionibus minus distinctis, minusque profundis, segmento primo longiore et basin versus sensim angustato, e. g. mares *Pimplae turionellae*, arctissime nonnullis Tryphonum maribus abdomine subsessili, e. g. *Tryph. vepretorum*, junguntur, ita ut limites inter individua mascula Tryphonum et Pimplarum collabantur; feminae autem aculeo differunt. — Tryphones segmento primo aequilato, petiolo brevi lato, tuberculis lateralibus ultra medium segmenti sitis, areola deficiente, quales sunt *Tr. armillatorius, formosus, scalaris, sexlituratus*, speciebus nonnullis *Bassorum* respondent: Horum species nempe, quibus tubercula ista inter medium et basin segmenti sita sunt, v. c. *Bassus exsultans* et praeprimis *B. graculus*, cui segmentum primum ipsum basin versus sensim angustatum est, illis speciebus Tryphonum adeo adpropinquant, ut limites amborum subgenerum omnino deleantur, idque eo magis, cum species allegatae amborum etiam habitu, colore, et reliquarum partium forma atque proportione, affinitatem intimam manifestent. *Tryphon incisus* autem prope accedit ad *Bassum multicolorem*, segmentis 2—4 linea transversali incisis. — *Tryphon nanus*, ob areolam quinqueangularem et parvitatem corporis, ad *Orthocentros* spectat. — Species unica *Eucerotis*, segmento

primo levi subquadrato, basin versus paulo angustato, ad Tryphones referri posset, nisi antennarum forma nimis differret; quamvis enim *Tr. procurator*, antennis medio crassioribus, quodammodo cum Eucerote conferri posset, tamen dilatatio antennarum Eucerotis multo distinctior est. — Mares *Exetastarum*, abdomine haud compresso, praeprimis qui areolam parvam triangularem habent, v. c. *Exet. albitarsus*, transeunt ad Tryphonum species pedibus subelongatis; quales sunt *Tr. evolans, insolens, vernalis* etc. etiam *Tr. longipes, semicaligatus, italicus, quadrilineatus*, corpore pedibusque longioribus atque gracilioribus, ad Exetastas adpropinquant; *Tryphonem virgultorum* autem ipse antea Exetastis consociaveram. Quaedam Tryphonum feminae, abdominis apice vix aut omnino non incrassato, sed potius subcompresso, v. c. feminae *Tr. segmentarii* et *involutoris*, Exetastis respondent hac abdominis forma, e. g. *Exetastae nigripenni.* Exetastae quidem pedibus longioribus et areola majore distinguuntur, sed *Tryph. segmentarius* quoque pedibus subelongatis incedit.

SECTIO I.

1) *Scutello et abdomine nigris, segmentorum summis marginibus plerumque pallidioribus.*

Abdomen rarius totum nigrum est; plerumque marginibus summis segmentorum castaneis aut albentibus. — Quaedam species, v. c. *Tr. vepretorum, scalaris,* et *naevius,* variant *scutelli apice albo,* eoque ad sectionem 2 propius accedunt. *Tr. subnitidus* segmentis 4—6 lateribus badiis, et *Tr. rubiginosus,* segmentis 3—7 castaneis basi nigra, ad sectionem 4 spectant.

E *sectione 2* varietates *Tr. caligati, aulici* et *armillati,* scutello toto nigro, huc referri possint.

2) Scutello pallide notato, abdomine vel toto nigro, vel segmentorum marginibus pallidioribus.
3) Scutello pallido, abdomine vel toto rufo, vel rufo et nigro.
4) (p. 219) Scutello nigro, abdomine vel toto rufo, vel rufo et nigro, vel flavo et nigro.

72. T. MURINUS. n.

Capite thoraceque pilosellis; basi tibiarum posticarum, annuloque tarsorum posticorum albis; femoribus anterioribus castaneis. m.

Longitudo 5 linearum. *Antennae* corpore breviores, subsetaceae, curvatae, subtus fuscoferrugineae basi nigra. *Thorax* subpilosellus gibbulus. *Alae* mediocres, hyalinae; stigmate radio et radice nigris, squamula ferruginea; areola subirregulari subpetiolata. *Pedes* graciles elongati, nigri; anteriores femoribus castaneis, tibiis anticis nigrocastaneis puncto parvo albo basali, mediis quoque summa basi alba; postici basi tibiarum et articulis 2—4 tarsorum albis. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, thoracis latitudine, oblongo-ovatum, segmento primo subcanaliculato.

Marem unicum *austriacum Dahl* transmisit.

73, T. PILOSELLUS. n.

Capite thoraceque pilosellis, tibiis tarsisque fuscopiceis. m.

Longitudo 4⅔ linearum. *Antennae* dimidio corpore longiores, subsetaceae, apice involutae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae; stigmate radio radice et squamula fuscis; areola triangulari aut subquinqueangulari, regulari. *Pedes* graciles, tarsis tibiisque fuscopiceis; coxis tro-

chanteribus et femoribus nigris pilosellis. *Abdomen* capite et thorace paulo longius pauloque angustius, subcylindricum, subsericans; segmento 1 subcanaliculato, subpilosello.

Marem unicum *austriacum* D*ahl* transmisit.

Mesoleius.

74, T. NIGER. n.

Facie et tibiarum posticarum medio albotestaceis; pedibus anterioribus rufis, trochanteribus stramineis, coxis nigris. f.

Statura et proportio partium feminae speciei sequentis.

Longitudo 4⅓ linearum. *Caput* ore et facie stramineis, mandibulis apice nigro. *Antennae* stramineae, supra ferrugineae apicem versus rufae. *Thorax* puncto albido ad radicem alarum. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula albidis; areola triangulari irregulari subsessili. *Pedes* anteriores diluterufi, coxis nigris puncto apicali stramineo, trochanteribus stramineis; postici nigri, trochanteribus apice pallidestramineo, tibiis stramineis apice et summa basi nigris, tarsis ex fusco testaceis. *Aculeus* brevissimus subexsertus.

Feminam unicam *Manger* prope *Warmbrunn* cepit.

75. T. PRAEROGATOR.

Ore pedibusque fulvis. m. f. (Coxis posticis antennisque *maris* fuscis, *feminae* fulvis.)

Longitudo maris 4—5, feminae 3—4 linearum. *Caput* palpis et mandibulis fulvis, his apice nigro, labro et clypei margine fulvis aut ferrugineis. *Antennae* fere corporis longitudine, apicem versus sensim tenuiores et paulo recurvae, *maris* totae nigrae, *feminae* fulvoferrugineae, supra basin versus interdum fuscae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, fumatohyalinae seu hyalinae; stigmate et radio maris nigris, feminae stramineis; radice et squamula stramineis; areola transversa, triangulari, regulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* mediocres fulvi; postici summis femorum et tibiarum apicibus, nec non tarsorum articulo 1, nigricantibus; coxis posticis, rarius etiam mediis, mari nigris. *Abdomen* subsessile; *maris* thorace duplo longius et paulo angustius, sublineare aut oblongo-subclavatum; *feminae* capitis thoracisque longitudine vel paulo longius, thoracis latitudine, oblongum, apice crassius; segmento 1 laevi, seu lineis duabus obsoletis subelevatis, apicem versus sensim paululum dilatato; segmentis 2 et 3 rarius marginibus subfuscis. *Aculeus* exsertus, brevissimus.

Nonnullos mares et feminas cepi, mensibus Iulii et Augusti anni 1809, in fruticetis circa *Grohnde.*

Varietas:

1. *Femoribus posticis fuscis.* m. *Pedes* anteriores fulvi, coxis mediis interdum fuscis; postici coxis nigris, trochanteribus vel totis fulvis vel supra nigris, femoribus fuscis aut nigricantibus subtus castaneis, tibiis sordide fulvis apicem versus nigris, tarsis fuscis, articulis 3—5 ferrugineis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 margine summo subcastaneo. — Caetera omnino sicut in mare genuino.

Duo individua, cum maribus genuinis eodem die et loco capta.

Synonyma maris:

Ichn. praerogator Linn. Faun. n. 1619. — Syst. ed. XII p. 936, n. 44; habitat in Phalaenae Salicis larva.
„ Fabr. Syst. p. 338, n. 63. — Ent. Syst. II, p. 171, n. 158.
„ Müll. prodr. n. 1817.
„ Schrank Austr. n. 739; longitudine 2½ lin.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2694, n. 44.
„ Villers, p. 171, n. 109; in Gallia australi.
„ Christ p. 373; antennis brevibus.
„ Olivier p. 191, n. 136.
„ Cederhielm p. 162, n. 501.
„ Schrank Boica p. 959, n. 11; longitudine 2½ linearum.
„ Walkenaer p. 61, n. 63.
„ Thunb. Ichn. n. 479; tibiis posticis fuscis.
Bassus praerogator Fabr. Piez. p. 99, n. 23.

Synonyma feminae:

Ichn. chrysogaster Gmel. ed. Linn. p. 2709, n. 359 (haud *I. chr.* p. 2705, n. 323, abdomine flavo etc. satis diversus).

Nota:

Plures auctorum laudatorum Linneum aut Fabricium aut alium auctorem excerpserunt. De reliquis autem, qui *Ichneum. praerogatorem* secundum naturam descripserunt, graviter dubito, num omnes unam eandemque speciem, quin immo unum idemque genus, coram habuerint, quod ob nimiam brevitatem descriptionum plurimarum, vix erui potest. Quaeritur etiam, num meus *Tr. praerogator*, si ejusdem nominis Ichneumones reliquorum auctorum coram haberem, ad unum eorum referri possit; nam, e multitudine auctorum citatorum, haec species ubique in Europa vulgata esse videtur; meum autem praerogatorem bis tantum, paucisque speciminibus, cepi, nec aliunde haec species mecum communicata est. Cum attamen descriptiones, ab auctoribus laudatis exhibitae, ad meam speciem quadrent, me haud vituperandum esse existimo, quod illas ad hanc adhibuerim. — Sed *Ichneumon praerogator Rossii,* n. 768, abdomine falcato, tarsis albis apicibus nigris, huc haud referri potest.

76. T. COMPUNCTOR.

Sericans; pedibus rufis, coxis et tibiarum posticarum apice nigris; ore et antennis ferrugineis. m. f.

Statura et proportio partium omnino speciei praecedentis, sed areola magis irregulari et angustiore.

Longitudo 3—4$^2/_3$ linearum. *Caput* ore ferrugineo aut subfulvo, mandibulis apice et basi nigris. *Antennae* vel rufae subtus dilutiores, vel ferrugineae supra fuscae, articulo 1 semper toto nigro. *Alae* hyalinae aut fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut nigris, radice testacea aut fulva, squamula rufa aut fulva; areola triangulari subirregulari subpetiolata. *Pedes* rufi aut fulvi, coxis nigris; postici tibiarum apice nigro, tarsis plerumque fuscescentibus aut nigricantibus articulo 1 basi pallido. *Abdomen* sericans, *mari* thorace duplo longius vel paulo brevius, eoque paulo angustius, lineare; *feminae* capite thoraceque paulo longius, thorace paululum angustius, suboblongolineare, apice crassius; ut plurimum segmentis 2 et 3, rarius omnibus, margine summo testaceo aut subcastaneo, 6 et 7 rarissime margine albicante. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Mares et feminas, mense Maji in quercetis, *Roentgen* circa *Reinhausen*, ego ipse circa *Scheidnich*, ceperunt. Quaedam alia individua, circa

Vratislaviam, Vindobonam et *Genuam* capta mihi transmissa sunt; genuense a germanicis differt antennis, excepto articulo 1, rufis subtus dilutioribus, segmentis 6 et 7 margine summo albicante.

Synonyma:

Ichn. compunctor Linn. Fauna n. 1609. — Syst. ed. XII p. 934, n. 33; frequens apud nos in pupis papilionum.

Nota:

De *Ichn. compunctore* reliquorum auctorum vide notam ad *Mesostenum gladiatorem.*

77. T. CLYPEATOR.

Clypeo pedibusque rufis, coxis et trochanteribus nigris; abdomine incisuris 1—4 rufescentibus. m.

Statura et proportio partium maris praecedentis; sed pedibus et abdomine paulo gracilioribus, areola minore petiolata.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* clypeo et mandibulis rufis, facie subsericeo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio testaceopiceis radice et squamula pallidestramineis; areola petiolata subirregulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, sublineare; segmentis 1—5

sensim perparum latioribus, incisuris 1—4 rufescentibus.

Marem unicum *pedemontanum Bonelli* transmisit.

Synonyma:

Ichn. clypeator Gravenh. Ped. n. 122.

Nota:

Ob abdomen sessile sublineare haec species transit ad familiam sextam *Pimplarum*.

Mesoleius.

78. T. ALACER. n.

Ore pedibusque rufis, horum posticis apice tibiarum tarsisque nigris. m.

Statura et proportio partium maris *Tr. praerogatoris*, n. 75; antennis autem longioribus, femoribus gracilioribus, areola irregulari obliqua. — An mas ad speciem sequentem?

Longitudo 4¼ linearum. *Caput* ore sordide-rufo, mandibulis apice nigris. *Antennae* corpore paulo longiores, subsetaceae, apicem versus subrecurvae. *Alae* subamplae subhyalinae, stigmate radio radice et squamula stramineis; areola irregulari obliqua petiolata. *Pedes* subgraciles rufi; postici tarsis tibiisque nigris, his basin versus rufescentibus. *Abdomen* sericeum, segmentorum marginibus summis subcastaneis.

Individuum unum *austriacum Dahl* transmisit.

79. T. RAPINATOR. n.

Pedibus rufis; tarsis posticis, tibiarum posticarum apice, coxisque nigris. m. f. (*mas* ore rufo, facie flavomaculata; *femina* trochanteribus nigris).

Statura et proportio partium *Tr. praerogatoris*, n. 75; sed pedibus plerumque gracilioribus et longioribus, areola irregulari et minore. Mas gracilior est quam femina.

Longitudo maris 4, feminae 4 $^1/_5$ —5 linearum. *Caput maris* palpis et mandibulis rufis, his apice nigro; maculis facialibus utrimque duabus, supra clypeum sitis, sordideflavis. *Antennae maris* subtus rufoferrugineae, articulis 1 et 2 totis nigris. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radice stramineis, radio fusco; squamula maris ferruginea, feminae fusca aut nigra; areola triangulari irregulari petiolata. *Pedes* rufi, coxis omnibus, nec non tarsis posticis et tibiarum posticarum apice, nigris; trochanteribus feminae nigris, maris sola posticorum basi nigra. *Abdomen* sericeum. *Aculeus* brevissimus exsertus.

Maris unici meae collectionis patria mihi ignota est. — *Feminas* duas cepi mense Augusto in gramine prope *Cudowam;* duas alias, *austriacas, Dahl* transmisit.

Nota:

Ichneumon Geoffroii n. 14 pag. 327, quem ad marem *Pimplae instigatoris* adhibui, huc quoque referri potest, excepta varietate scutello albo.

80. T. NITIDUS. n.

Pedibus rufis, trochanteribus posticis coxisque nigris. m.

Statura et proportio partium maris praecedentis; sed abdomine paulo graciliore, nervo inferiore cellulae internae, qui in praecedente specie arcuatus est, angulato. His notis etiam a specie sequente differt, quae praeterea cellula intermedia caret.

Longitudo 5 linearum. *Caput* palpis et labro rufoferrugineis. *Antennae* corpore breviores, subsetaceae, apice curvatae. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate radice et squamula stramineis, radio fusco; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* graciles fulvi; coxis nigris apice summo rufo; trochanteribus posticis supra nigris; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* laeve nitidum, capite thoraceque longius et angustius; segmento primo apicem versus sensim paulo dilatato, tuberculis lateralibus inter medium et basin sitis, parte antica latitudine longiore; segmentis 2—6 aequilatis.

Marem unicum *Manger* cepit prope *Warmbrunn.*

81. T. MELANCHOLICUS.

Tibiis tarsisque anterioribus, femoribusque rufis. m.

Longitudo 3—4¾ linearum. *Antennae* graciles subsetaceae, fere corporis longitudine, porrectae aut apicem versus subcurvatae. *Thorax* gibbulus seu gibbulocylindricus. *Alae* mediocres hyalinae aut subfumatohyalinae; stigmate et squamula fuscis aut nigris, radio piceo aut fusco, radice sordide straminea; areola nulla. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici etiam tibiis tarsisque nigris aut fuscis, illis plerumque basin versus subrufescentibus, rarius geniculo femorum nigricante. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, thorace paulo angustius, subdepressum, elongatum, vel aequilatum vel apicem versus sensim perparum dilatatum; segmento 1 opaco, confertissime puncto, latitudine longiore, tuberculis lateralibus prominentibus inter medium et basin; segmentis reliquis laevibus nitidis.

Unum marem cepi mense Iulio prope *Helmstadium* in Petroselino florente, alterum *Richter* mense Majo prope *Vratislaviam* cepit; quidam alii, prope *Warmbrunn*, *Sickershausen*, *Gottingam*, nec non in *Regione Pedemontana* et in *Volhynia*, capti, mihi sunt transmissi.

Synonyma:

Ichn. melancholicus Grav. Ped. n. 123.

82. T. FLAVOGUTTATUS. n.

Pedibus rufis; coxis et trochanteribus anterioribus flavis, posticis nigris; ore et macula ante alas flavis; antennis rufescentibus. f.

Statura et proportio partium speciei sequentis; segmento 1 autem basin versus multo angustiore.

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore flavo. *Antennae* fere corporis longitudine, apice curvatae, rufae, supra paulo obscuriores, articulo 1 toto nigro. *Thorax* linea flava ante alas. *Alae* amplae, hyalinae, irideae, stigmate stramineo, radio piceo basin versus stramineo, radice et squamula flavis. *Pedes* graciles rufi; anteriores coxis et trochanteribus flavis, illis basi nigra, his supra puncto fusco; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo, tibiis pallidetestaceis apice fusco, tarsis testaceofuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, subfusiforme, apice subcompressoclavatum; segmento 1 basin versus sensim angustato, subpetiolato, tuberculis lateralibus ante basin sitis; 2 margine summo albido. *Aculeus* brevis exsertus.

Unicam cepi feminam, die 27 Augusti, in monte *Reiftraeger*, in Pino.

Nota:

Haec femina, segmento 1 basin versus angustiore quam in reliquis cospeciebus familiae secundae, spectat ad *familiam primam* Tryphonum.

Mesoleius.

83. T. MOLLIS. n.

Pedibus rufis; tarsis posticis, tibiarum posticarum apice, coxisque nigris; facie flava. f.

Statura et proportio partium omnino feminae *Tr. formosi* e sectione secunda; antennis paulo longioribus.

Longitudo 3 linearum. *Caput* palpis ferrugineis; labro mandibulis clypeo et facie albidis, hac infra antennas lineolis tribus longitudinalibus brevibus nigris. *Antennae* corpore paulo longiores, subfiliformes, apice curvatae, fuscae, subtus ferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Alae* subamplae, hyalinae, stigmate et radio fusconigris, radice et squamula albidis; areola nulla. *Pedes* rufofulvi, coxis et basi trochanterum nigris; postici tarsis quoque et tibiarum apice nigris. *Abdomen* subsericeum, segmentorum ultimorum marginibus summis subalbidis. *Aculeus* brevissimus.

Unicum specimen cepi die tertio Iunii in fruticetis prope *Barterodam.*

Nota:

Haec species habitu naturali toto prope accedit ad *Mesoleptum limitarem*, n. 7, sed differt satis segmento 1 breviore, areola nulla, etc.

Mesoleius (?)

84. T. SYLVESTRIS. n.

Pedibus fulvis, posticorum tibiis tarsisque fuscis. m.

Statura et proportio partium *Tr. melancholici*, n. 81.

Longitudo $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{5}$ linearum. *Caput* palpis subfulvis aut fuscescentibus. *Antennae* corporis longitudine aut paulo breviores, apice incurvae. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae; stigmate et radio nigris aut fuscis; radice et squamula piceostramineis aut fuscis; areola nulla, rarissime minuta irregulari longepetiolata. *Pedes* fulvi aut rufi; postici tarsis tibiisque nigrofuscis, his interdum basin versus brunneis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine vel paululum longius, thorace paulo angustius, sublineare aut subfusiforme; segmento 1 ut plurimum subcanaliculato, subscabriculo et subopaco, tuberculis lateralibus inter medium et basin sitis.

Individua quaedam cepi mense Iulio prope *Oedelem* in frutetis, mense Augusto prope *Cudowam* in gramine; nonnulla alia, inter quae unicum, idque maximum, areola parva, segmento 1 nitidiore, *Manger* prope *Warmbrunn* legit.

85. T. CALCATOR.

Pedibus fulvis.

Longitudo $2\frac{1}{4}$—3 linearum. *Caput* labro, vel etiam mandibulis, ferrugineis. *Antennae* di-

midio corpore paulo longiores, subsetaceae, apice plerumque subcurvatae, nigrae aut fuscoferruginеae. *Thorax* gibbus. *Scutellum* elevatum. *Alae* mediocres hyalinae, radio et stigmate nigris, radice straminea, squamula fusca aut straminea; areola nulla. *Pedes* mediocres rufofulvi. *Abdomen* subsessile, capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum seu ovatofusiforme, depressiusculum; segmentis 1—4 canaliculatis, canalicula interdum obsoletissima; 1 fere latitudine longitudinis, basin versus sensim angustato; 2 et 3 interdum marginibus summis obsoletecastaneis.

Individua quaedam, circa *Warmbrunn Niesky* et *Norimbergam* capta, mecum communicata sunt.

Synonyma:

Ichn. calcator Müll. Prodr. n. 1835.
" *erythropus* Gmel. ed. Linn. p. 2705, n. 329.

86. T. FASCIATUS. n.

Tarsis tibiisque anterioribus, femoribusque rufis; segmentis 2 et 3 fascia castanea. m.

Longitudo 3 linearum. *Caput* palpis piceostramineis. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, subsetaceae, apice subcurvatae. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice straminea; areola irregulari subpetiolata subincompleta. *Pedes* mediocres, rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris; postici etiam tarsis geniculis et tibiis

nigricantibus, his basin versus subfuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, oblongum, subsessile; segmento 1 apicem versus sensim paulo dilatato, obsoletecanaliculato; 2 et 3 fascia obscurocastanea.

Marem unum *Roentgen* cepit mense Iunio in *Hercynia*.

87. T. MACULATUS. n.

Femoribus rufis, anterioribus macula nigra; tibiis rufis, posticis supra fuscescentibus; segmento 3 castaneomaculato; facie flavomaculata. m.

Longitudo 4 linearum. *Caput* clypeo et orbitis oculorum internis latis flavis. *Antennae* porrectae filiformes, longitudine corporis, fusconigrae, subtus ferrugineae apicem versus sensim dilutiores. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice straminea; areola parva triangulari regulari subpetiolata, nervo exteriore subobsoleto; cellulae interioris nervo dividente usque ad medium cellulae producto. *Pedes* mediocres, femoribus posticis subvalidis; rufi, coxis et trochanteribus nigris; anteriores femoribus extra basin versus nigris; postici tibiis tarsisque extra fuscis. *Abdomen* subsessile, capite et thorace paulo longius et angustius, subcompressum; segmento 3 picturis quibusdam irregularibus castaneis.

Unicum marem *genuensem a Spinola* transmisit.

Nota:

Haec species habitu toto naturali, abdomine subcompresso, femoribus posticis validioribus, cellulae interioris forma et nervo dividente longo, a reliquis hujus familiae speciebus discedit.

88. T. CARBONARIUS. n.

Femoribus rufis, posticorum geniculis nigris; tibiis anterioribus rufis, posticis nigris medio testaceoalbis; ore flavo. m.

Longitudo 3⅓ linearum. *Caput* ore flavo, mandibulis apice nigro. *Antennae* vix corporis longitudine, porrectae, subfiliformes, fuscae, subtus ferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* gibbulus, puncto stramineo ad radicem alarum. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula flavis; areola triangulari irregulari petiolata parva. *Pedes* mediocres rufi, coxis totis nigris, trochanteribus basi fuscis; geniculis femorum anteriorum flavis, posticorum nigris; tibiis posticis nigris, ante basin flavoalbidis; tarsis posticis nigris. *Abdomen* subsessile, capite thoraceque longius, thoracis latitudine, fusiforme depressum punctum, segmento 1 canaliculato.

Marem unicum *austriacum Dahl* mihi transmisit.

Absoleus.

89. T. VEPRETORUM. n.

Pedibus rufis, tarsis tibiisque posticis nigris, his ante basin testaceis; antennis subtus ferrugineis. m. f. (*mas* facie flava).

Longitudo maris 3—4⅓, feminae 3½—4½ linearum. *Caput maris* facie oreque flavis, mandibulis apice nigro; *feminae* mandibulis rufocastaneis apice nigro, palpis fuscopiceis. *Antennae maris* corporis longitudine, filiformes, apice incurvae, subtus ferrugineae articulis 1 et 2 plerumque flavis; *feminae* corpore paululum breviores subsetaceae, apice incurvae, subtus ferrugineae articulis 1 et 2 totis nigris. *Thorax* gibbulus, mari plerumque puncto albo infra alas. *Alae* subfumatohyalinae seu hyalinae, stigmate et radio testaceis aut fuscis; radice et squamula pallidetestaceis, in femina plerumque ferrugineis; areola parva triangulari irregulari petiolata aut subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi, feminae interdum coxis anterioribus externe nigris; postici tarsis et tibiis nigris, his *mari* a medio ad basin usque albidofulvis, spinis apicalibus albentibus, *feminae* ante basin annulo lato albido aut fulvo aut rufo; tarsis mediis fuscescentibus. *Abdomen maris* capite thoraceque paulo longius, plerumque paulo angustius, linearicylindricum aut linearifusiforme, *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine fusiforme subsessile; segmento 1 canaliculato, 2 feminae interdum subcanaliculato. *Aculeus* exsertus perbrevis.

Quaedam individua, mascula et feminina, cepi mense Majo in fruticetis circa *Gottingam*, nec vero mares cum feminis eodem loco et die, sed solos mares die 20 Maji in loco altiore, circa *Kochs Lust*, feminas autem die 26 Maji in horto suburbano. Marem circa *Warmbrunn* captum, feminasque plures, ibidem nec non circa *Zobten*, *Vindobonam* et *Genuam* lectas, accepi.

Varietas:

1. *Scutelli apice albo.* m. — Caetera cum mare genuino congruunt.

Hoc individuum cum maribus genuinis circa *Kochs Lust* captum est.

Nota:

Mas unicus prope Warmbrunn captus differt a reliquis maribus parvitate, antennarum articulis 1 et 2 totis nigris, nec non puncto albo infra alas deficiente, hisque notis magis cum feminis convenit.

Varietas, scutelli apice albo, medium tenet inter genuinum *Tr. vepretorum* et *Tr. aulicum* sectionis secundae, at areola triangulari, segmento 1 paululum breviore et latiore, ab *aulico* differt.

90. T. INTEGRATOR.

Pedibus rufis, posticorum tarsis et tibiarum apice nigris; ore flavo. m. f. (*mas* facie flava).

Habitus totus naturalis et *statura* sicut in specie antecedente; areola autem majore, segmento 1

basin versus angustiore; femina statura et proportione partium omnino *Tr. virgultorum* respondet.

Longitudo 2—3½ linearum. *Caput* ore flavo; *maris* facie vel flava linea longitudinali nigra abbreviata, vel infra antennas nigra supra clypeum flava. *Antennae* articulis 1—3 totis nigris; sequentibus haud raro subtus ferrugineis, rarius rufis. *Alae* subfumatohyalinae; stigmate maris fusco aut piceo aut stramineo, feminae semper stramineo, radio fusco, radice et squamula flavoalbidis, areola irregulari triangulari petiolata. *Pedes* rufi, postici tarsis et tibiarum apice nigris. *Abdomen* pruinososericeum.

Mares et feminas copiose cepi mense Augusto, in fruticetis, rarius in gramine, circa *Warmbrunn*; duos mares, eodem mense, prope *Salzbrunn*.

Synonyma maris:

Ichn. integrator Müll. Prodr. n. 1824.

91. T. SUBNITIDUS. n.

Segmentorum marginibus flavicantibus; femoribus tibiisque anterioribus subtus stramineis; ore et antennis subtus flavis. m.

Statura et proportio partium *Mesolepti cinctuli*, n. 23, eique affinis; segmento primo autem breviore et latiore.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* ore flavo, mandibulis apice et basi nigris. *Antennae* filiformes, subtus dilutefulvae, articulis 1—3 totis

nigris. *Alae* subhyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice straminea; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores coxis et trochanteribus nigris, femoribus nigris subtus piceostramineis, tibiis et tarsis supra fuscoferrugineis subtus stramineis; postici nigri, tarsis fuscis. *Abdomen* segmento 1 canaliculato toto nigro, reliquis margine summo flavicante; 4—6 praeterea lateribus badiis.

Individuum unicum prope *Norimbergam* captum *Sturmio* debeo.

92. T. RUBIGINOSUS. n.

Segmentorum marginibus, ore et antennis subtus, ferrugineis; tibiis et tarsis anterioribus fulvis. m?

Statura tota paulo crassiore, imprimis capite majore et latiore, haec species a praecedente et reliquis cognatis proximis distinguitur.

Longitudo 3—3⅔ linearum. *Caput* ore ferrugineo. *Antennae* subtus ferrugineae aut rufae, articulis 1—3 totis nigris. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula flavis, areola irregulari subpetiolata. *Pedes* nigri; anteriores tibiis tarsisque, nec non femorum apice aut latere altero fere toto, fulvis. *Abdomen* segmentis 1 et 2 nigris, hoc margine castaneo; reliquis vel nigris margine castaneo, vel castaneis basi nigra.

Individua quaedam *etrusca a Sanvitale* mihi transmisit.

93. T. LUTEOMARGINATUS. n.

Marginibus segmentorum 2—4, facie et antennis subtus, testaceis; pedibus anterioribus testaceis, basi coxarum et femorum nigra, posticis nigris, tibiis et tarsorum articulis albidis apice nigro. f.

Longitudo 2¾—3 linearum. *Caput* ore et facie testaceoflavis. *Antennae* filiformes, subcurvatae, corpore dimidio paulo longiores, fuscae aut fuscoferrugineae; subtus articulo 1 testaceo, sequentibus fulvoferrugineis. *Thorax* gibbus. *Alae* subamplae, hyalinae; radio et stigmate fuscis, radice straminea, squamula picea; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres, testaceostraminei; anteriores coxis nigris apice stramineo, femoribus externe basin versus fuscis; postici coxis femoribus et trochanterum basi nigris, tibiis et tarsorum articulis albidis apice fusco aut nigro. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongoclavatum, subsessile, segmentis 2—4 summis marginibus testaceis. *Aculeus* brevissimus.

Unam feminam cepi circa *Gottingam;* alteram mense Iunio in fruticetis prope *Pepelwitz;* tertiam *genuensem a Spinola* transmisit.

Exenterus.

94. T. GNATHOXANTHUS. n.

Segmentis margine summo albido; pedibus rufis, posticis tibiis tarsisque nigris; ore et macula genarum flavis. f.

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput* ore clypeo et genarum puncto pallideflavis. *Antennae* corpore breviores filiformes, apice curvatae. *Thorax* gibbulus. *Alae* amplae subfumatohyalinae; radio et stigmate fusconigris, radice et squamula pallideflavis; areola irregulari petiolata parva. *Pedes* mediocres rufi; anteriores trochanteribus flavis; postici tarsis tibiisque nigerrimis, his summa basi rufa. *Abdomen* subsessile, capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, segmentis 2—5 aequilatis; 1 latiore et breviore quam plurimis cospeciebus, (sicut in *Tryph. scalari*, n. 96), lineis duabus elevatis; reliquis summo margine albis. *Aculeus* exsertus brevis.

Feminas duas *Manger* cepit prope *Warmbrunn*.

Nota:

An femina *Tr. quinquecincti*, n. 106, sectionis 2. ?

95. T. RUFIPES. n.

Pedibus rufis, posticorum tarsis et tibiarum apice nigris; antennis rufis, articulo primo nigro subtus albo; facie albida. f.

Statura brevior et crassior quam in reliquis hujus sectionis cospeciebus.

Longitudo paululum ultra 3 lineas. *Caput* subbuccatum, ore facie et genarum macula albis, linea transversali supra clypeum et apice mandibularum nigris. *Antennae* corpore dimidio longiores, setaceae, rufae, subtus dilutiores, articulo 1 nigro subtus albo. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula albis. *Pedes* mediocres. *Abdomen* ovatum, subsessile, capitis et thoracis longitudine et latitudine; segmento 1 subcanaliculato, fere latitudine longitudinis, basin versus sensim angustato, tuberculis lateralibus inter basin et medium sitis; 2—5 longitudine duplo latioribus, sensim brevioribus et angustioribus. *Aculeus* exsertus brevis crassiusculus, vaginis compressis.

Unicam feminam cepi die 15 Augusti in fruticeto prope *Warmbrunn.*

96. T. SCALARIS. n.

Marginibus dorsalibus segmentorum, facie et linea ante alas, albidis; pedibus fulvis, coxis posticis nigris; antennis subtus ferrugineis, articulis 1 et 2 albidis. m.

Statura et proportio partium sicut individuis gracilioribus *Tr. sexliturati*, n. 102; antennis autem perpaulo longioribus. E defectu aculei et apice abdominis haud incrassato patet, hunc *scalarem* esse marem. An mas *sexliturati?*

Longitudo 3 — fere 4 linearum. *Caput* facie ore genisque alboflavis; mandibularum basi et punctis tribus infra antennas nigris. *Antennae* corpore breviores aut vix ejus longitudine, supra fuscae, subtus ferrugineae articulis 1 et 2 albidis. *Thorax* colli margine laterali vel toto vel ex parte, et linea suturali ante alas, flavoalbis. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscis, squamula et radice albidis, areola irregulari petiolata. *Pedes* rufi aut fulvi; anteriores coxis et trochanteribus pallideflavis; postici coxis nigris subtus apice pallideflavo, trochanteribus subtus pallideflavis, supra basi nigra apice fulvo, tibiis apice tarsisque fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongum, subsessile; segmento 1 apicem versus sensim paulo dilatato, lineis duabus elevatis, ut plurimum puncto marginali dorsali albido; segmentis reliquis puncto, seu linea, marginali dorsali, latera versus abbreviata, albida.

Nonnulla individua cepi mense Majo in fruticetis *valli Gottingensis;* duo alia, circa *Norimbergam* capta, *Sturm* mecum communicavit.

Varietas:

1. *Scutello apice albido.* m. — Caetera sicut in mare genuino, cum quo etiam haec varietas eodem loco et die capta est.

Nota:

Iidem auctores, quorum sub *Tr. sexliturato* mentionem faciam, hic etiam allegari possent.

97. T. PINGUIS.

Marginibus segmentorum summis rufescentibus; pedibus flavis, posticorum coxis et femoribus, nec non tibiarum et articulorum tarsi apicibus, nigris. m. f. (*Femina* antennis subtus ferrugineis).

Statura et proportio partium maris sicut in praecedente; primo segmento autem laeviore. Femina est statura crassiore.

Longitudo maris 4 linearum, vel paulo minor, feminae 3—4 linearum. *Corpus* totum griseosericeum, praeprimis in mare. *Caput maris* palpis et labio rufis, mandibulis flavis, *feminae* ore ferrugineo aut flavo; mandibulis apice nigro. *Antennae* corpore breviores, filiformes, *maris* subtus interdum fuscoferrugineis articulo 1 flavo, *feminae* subtus articulis 1 et 2 flavis, 3 nigro, 4 nigro

aut ferrugineo, sequentibus ferrugineis plerumque sensim dilutioribus. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate radice et squamula stramineis, radio maris stramineo feminae fuscescente; areola irregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* maris subgraciles, feminae mediocres; anteriores flavi, coxis nigris subtus flavis, femoribus externe fulvis plerumque basin versus nigris; postici coxis nigris, trochanteribus flavis, femoribus nigris geniculo flavo aut fulvo, tibiis albidis aut flavis apice nigro, tarsis *maris* articulo 1 albido apice nigro, 2 et 3 nigris basi albida, 4 et 5 nigris, *feminae* flavis aut fulvis, articulorum apicibus nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongum, feminae interdum paulo longius et latius ovatum; subsessile; segmento 1 apicem versus sensim paulo latiore; marginibus segmentorum rufis aut castaneis. *Aculeus* exsertus brevissimus niger. *Genitale masculum* exsertum brevissimum conicum rufum.

Marem et feminam cepi vere prope *Scheidnich.* Praeterea duos mares, prope *Marienthal* et in *Regione Pedemontana* captos, tresque feminas, circa *Dresdam* et *Vindobonam* captas, accepi.

Synonyma:

Ichn. pinguis Gravenh. Ped. n. 124.

Nota:

Feminae prope Scheidnich captae, alterique austriacae, ventre ante anum corpuscula multa

ellipticopyriformia, straminea, apice nigra, racemose juncta, adhaerent. Ova esse videntur, ab animali mortis angore parta, quemadmodum multorum bombycum feminae, acu perforatae, ova parere et ad anum coacervare solent.

98. T. NAEVIUS.

Marginibus segmentorum summis albidis; pedibus rufis, posticorum tarsis et tibiarum apice fuscis; facie et thoracis picturis flavis. m. f.

Longitudo maris $2\frac{1}{3}$—$3\frac{1}{2}$, feminae 3—$3\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* ore facie et puncto, seu macula, genarum flavis, mandibulis apice ferrugineo aut nigro. *Antennae* filiformes, fere corporis longitudine, apice incurvae; subtus articulo 1 flavo, feminae interdum rufo, 2—5 ferrugineis aut testaceis, reliquis maris fuscis feminae ferrugineis. *Thorax* gibbus, *feminae* puncto flavo ante alas, *maris* linea ante alas, lineola sub alis, colli parte infera, lineola una lata aut lineolis duabus angustioribus ad latera pectoris, flavis. *Alae* mediocres, feminae amplae; hyalinae; stigmate et radio maris fuscopiceis, feminae stramineis; radice et squamula flavis; areola triangulari, subregulari, subpetiolata. *Pedes maris* graciles; anteriores fulvotestacei, coxis et trochanteribus flavis; postici rufofulvi, trochanteribus subtus flavescentibus, tarsis et tibiarum apice fuscis, interdum coxis basi nigra; *feminae* rufi; anteriores coxis testa-

ceis; postici tarsis fuscis, tibiis subtestaceis apice fusco. *Abdomen maris* subpetiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel paulo longius et latius, sublineare aut subfusiforme; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, laevi, tuberculis lateralibus inter medium et basin sitis, ut plurimum protuberantibus; 2 plerumque margine summo testaceo aut castaneo; 4—7 margine summo testaceo-subglaucescente, interdum obsoleto; *feminae* capite et thorace longius, latitudine thoracis, segmentis 1—4 sensim dilatatis, 4—7 aut 3—7 margine tenuissimo albido. *Aculeus* exsertus brevis.

Mares plures, prope *Hennersdorf*, (in umbellatis) *Warmbrunn*, *Niesky*, *Sickershausen*, *Norimbergam* et in *Volhynia* captos, nonnullasque feminas, circa *Vratislaviam* et *Warmbrunn* captas, accepi.

Varietas:

1. *Scutelli apice summo subalbente.* f. — Caetera sicut in feminis genuinis.

Synonyma:

Ichn. naevius Gmel. ed. Linn. p 2699 n. 269 (haud confundendus cum *Ichneum. naevio* Gmel. p. 2708, n. 344, luteo etc.).

Nota:

Femina hujus speciei statura et proportione partium optime convenit cum feminis majoribus

Mesolepti limitaris; segmento primo vix paulo crassiore, colore faciei et stigmatis differt. De mare hic descripto adhuc dubius haereo, num potius ad hanc aut illam feminam collocandus sit; facie cum *naevio* stigmate autem cum *limitari* melius congruit.

99. T. FLAVOCINCTUS.

Marginibus segmentorum summis subpallidis, ore stramineo, punctis duobus thoracis albidis; pedibus fulvis, posticorum tibiis albis apice nigro tarsis nigris. f.

Longitudo 2⅓ linearum. *Caput* clypeo oreque stramineis, mandibulis apice fusco. *Antennae* corpore paululum breviores, subsetaceae, apice curvatae, fuscae. *Thorax* gibbulus, punctis duobus dorsalibus albidis ante collum. *Alae* amplae, hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis. *Pedes* subgraciles fulvi; postici tibiis albidis apice nigro, tarsis nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, oblongum, nigrum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato; 4—7 marginibus summis pallidioribus. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Feminam unicam *Roentgen* cepit prope *Niesky.*

Synonyma:

Ichn. flavicinctus Gmel. ed. Linn. p. 2701. n. 292.

100. T. NANUS. n.

Areola quinqueangulari; basi antennarum flava; pedibus fulvis, coxis anterioribus albis, posticis nigris. f.

Longitudo 1½ linearum vel paulo longior. *Caput* palpis albis, mandibulis flavis, facie griseosericea. *Antennae* filiformes corpore breviores; articulo 1 flavo, supra puncto nigro; reliquis nigris, 2—5 subtus testaceis. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavis; areola quinqueangulari regulari. *Pedes* mediocres, stramineofulvi; anteriores coxis et trochanteribus albidis; postici coxis nigris apice albido, trochanteribus albidis, tarsis nec non tibiarum apice et summa basi nigricantibus. *Abdomen* subsessile, oblongoovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 basin versus sensim angustato, fere triangulari, latitudine paulo longiore. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Feminas duas *Besser* e *Volhynia* mihi transmisit.

Nota:

Haec species *familiam XII Cryptorum* et *II Bassorum* cum hac *familia II Tryphonum* jungere videtur; nam forma corporis totius atque abdominis, nec non aculeus brevis, *huic Trypho-*

num familiae respondent, a cujus reliquis speciebus haec areola quinqueangulari differt. Haec areola, aculeus brevis, pedes, et corpus parvum, spectant ad *Bassorum familiam II,* a qua hic Tryphon segmento primo basin versus valde angustato differt. Exiguitas et abdominis forma ei cum *familia XII Cryptorum* communes sunt, cujus species autem areola haud quinqueangulari, aculeo longiore, etc. distinguuntur.

SECTIO II.

Scutello pallidenotato; abdomine vel toto nigro, vel segmentorum marginibus pallidioribus.

Scutellum plerumque vel totum albidum aut flavum est, vel macula albida aut flava, majore minoreve, notatum; rarius nigrum apice rufo (*Tr. melanoleuci* feminae), hoc interdum obsoletissimo (*Tryphoni nigritarso*). — *Abdomen* paucis totum nigrum est, plurimis segmentorum marginibus distinctius aut obsoletius pallidis; interdum segmento uno alterove fere toto badio (*Tr. aulici* mari), aut dorso flavo (*Tr. marginatorio*) vel fulvescente (*Tr. formosi* mari), aut abdominis medio rufo (*Tr. armillatorii* varietati), quo haec sectio in tertiam transit. — Varietates *Tr. armillatorii, aulici* et *caligati*, scutello toto nigro, ad sectionem primam spectant.

E *sectione prima* varietates *Tr. vepretorum, scalaris* et *naevii*, scutello apice albo, ad hanc propius accedunt.

101. T. NIGRITARSUS. n.

Pedibus fulvis, posticorum tarsis tibiisque nigris, his medio albis; mandibulis flavis. f.

Statura et proportio partium *Bassi picti;* segmento 1 attamen angustiore.

Longitudo 2¾ linearum. *Caput* palpis piceoferrugineis, mandibulis flavis apice nigro, labro ferrugineo. *Antennae* subfiliformes, apice involutae, vel totae fuscae vel rufae supra fuscoferrugineae, articulis 1 et 2 totis nigris. *Scutellum* vel apice vel lateribus albidum. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice flava, squamula alba; areola parva irregulari petiolata aut subpetiolata. *Pedes* mediocres fulvi; postici tarsis nigris, tibiis albis basi apiceque nigris. *Abdomen* subsessile, capite thoraceque vix paulo longius, thorace paulo angustius, oblongum; segmento 1 canaliculato aut subcanaliculato, apicem versus sensim dilatato. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Unam feminam *Manger* cepit prope *Warmbrunn;* alteram, eamque antennis subtus rufis, scutello lateribus albis, areola petiolata, segmento 1 subcanaliculato, ipse die 27 Iulii prope *Oedelem* cepi.

Exenterus

102. T. SEXLITURATUS. n.

Marginibus segmentorum, facie, pectore, linea ante alas, albidis; antennis subtus pedibusque fulvis, tarsis posticis fuscis. f.

Longitudo $2\frac{1}{3}$—$3\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* subglobosum; ore, genis, facie, plerumque orbitis oculorum frontalibus, eburneis aut alboflavis. *Antennae* filiformes, corpore breviores, apice paulo incurvae; supra ferrugineae, articulis 1—10 fuscis sensim pallidioribus, subtus fulvoferrugineae articulis 1 et 2 alboflavis. *Thorax* gibbus; linea ante alas, lineola transversa sub scutello alteraque infra alas, pectore et colli parte infera, pallideflavis. *Scutellum* apice alboflavo. *Alae* subamplae, hyalinae, irideae; stigmate et radio testaceis aut stramineis, radice et squamula albidis, areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* subgraciles, fulvi aut diluterufi; anteriores coxis et trochanteribus albidoflavis; postici tarsis, interdum quoque tibiarum apice, subfuscescentibus aut nigris, tibiis rarius nigricantibus summa basi ferruginea, coxis et trochanteribus interdum flavo- aut albido-variis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongum, subsessile; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine paululum longiore, subtilissime aciculato, lineis duabus elevatis longitudinalibus, puncto dorsali marginali albido; sequentibus laevibus nitidis, puncto seu linea transversali marginali dorsali,

margine laterali, ventreque, albidis aut alboflavis. *Aculeus* exsertus brevissimus albidus.

Feminas duas cepi die 21 Maji in *vallo Gottingensi*; quaedam aliae circa *Warmbrunn*, *Sickershausen*, *Norimbergam* et *Aboam* captae, mecum communicatae sunt. Warmbrunnensis est omnium maxima, tibiisque posticis apice nigro insignis.

Synonyma dubia:

Ichn. lituratorius Linn. Fauna n. 1594. — Syst. XII. p. 932, n. 17.
„ Müll. Prodr. n. 1780.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2681, n. 17.
„ Villers p. 146, n. 35 (ubi autem observatio adjecta delenda est, nam Ichneumon, de quo auctor in hac observatione loquitur, certo ad hanc speciem haud spectat).
„ Christ p. 343 (ubi autem verba Linneana, *incisuris quatuor margine medio lineola lutea*, haud recte verbis die vier mittlern Ringe sind gelb in linguam germanicam translata sunt).
„ Olivier p. 173 n. 45.

Nota:

Linneus et reliqui auctores citati, qui descriptionem Linneanam verbotenus receperunt, dicunt quidem, segmenta quatuor margine medio flava esse, quod cum nostra specie haud convenit, cui omnia segmenta margine albidoflavonotata sunt;

sed reliquis characteribus ista species Linneana nostrae optime respondet.

Ichn. lituratorius Schrank Boica n. 2097, segmentis 2—5 ferrugineis etc., satis differt, et ad nostrum *Bassum laetatorium* adhibitus est.

Bassus pedatorius Panzeri Faunae fasc. 102, tab. 20, nostro Tryphoni quidem satis affinis est, sed magnitudine eum nimis excedit.

103. T. IMPRESSUS. n.

Segmentis 1—3 linea transversali impressa, margine testaceo, thorace et scutello albido-notatis; pedibus fulvis, tibiis posticis nigris medio albo. f.

Primo inspectu haec species antecedenti affinis esse videtur, differt autem sculptura abdominis, antennis longioribus, cellulae interioris nervo exteriore magis anguloso, fere in angulum rectum fracto.

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore rufescente. *Antennae* filiformes, porrectae, corporis longitudine; articulo 1 nigro, sequentibus fuscis subtus ferrugineis. *Thorax* gibbulus; linea ante alas, puncto infra alas, lineola transversali infra scutellum, flavoalbis; metathorace punctis confertis scabro. *Scutellum* apice et lateribus flavoalbidis. *Alae* hyalinae, irideae; stigmate radio et reliquis nervis stramineis, radice et squamula pallidioribus; areola minuta triangulari subpetiolata. *Pe-*

des fulvi; postici tibiis albis basi et apice nigrofuscis, tarsis articulo 1 nigrofusco (reliquis deficientibus). *Abdomen* forma et proportione segmentorum sicut in specie praecedente, punctis confertis scabriculum, apicem versus laevius; segmento 1 lineis duabus elevatis longitudinalibus, canaliculo transversali, margine albido; 2 et 3 canaliculo transversali obsoletiore, margine testaceoalbo. *Aculeus* subexsertus fuscus.

Unicum individuum *de Heyden* prope *Meiningen* cepit.

Acrotomus.

104. T. LUCIDULUS. n.

Segmentorum marginibus albentibus; pedibus fulvis, tarsis posticis fuscis; facie genisque flavis. f.

Longitudo 2¼—2⅔ linearum. *Caput* subglobosum subbuccatum, thorace latius, facie genis oreque flavis, facie ut plurimum lineola longitudinali abbreviata nigra. *Antennae* corpore dimidio longiores, subfiliformes, subtus ferrugineae aut ferrugineofuscae, basin versus nigrae. *Thorax* gibbus; colli parte infera, interdum etiam margine laterali, lineolaque infra scutellum, flavis. *Scutellum* apice flavo. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice pallidestraminea, squamula flavescente aut ferruginea; areola irregulari subpetiolata aut petiolata. *Pedes* graciles, rufofulvi aut fulvi; coxis et trochanteribus anterioribus aut anticis, vel totis vel tantum subtus, pal-

lideflavis; postici tarsis et tibiarum apice subfuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace vix paulo angustius, oblongum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, canaliculato, toto nigro; sequentibus margine laterali et summo apicali albentibus; 2 et 3 rarius ante marginem albentem obscurocastaneis; ventre flavo-albo. *Aculeus* absconditus.

Quasdam feminas cepi mensibus Iunii et Augusti circa *Helmstadium* et *Oedelem* in umbellatis; quasdam, easque colli margine laterali et coxis anterioribus totis albidoflavis a reliquis distinctas, mense Septembri in *vallo Gottingensi* loco aprico circumvolitantes. Unum individuum *genuense a Spinola* transmisit.

Varietates:

1. *Pedibus posticis totis fulvis.* f. — *Thorax* colli marginibus omnibus, puncto infra alas, lineolaque infra scutellum flavis. — Caetera sicut in plurimis individuis genuinis.

Unicum individuum *fennicum Sahlbergio* debeo.

2. *Segmentis 2—6 rufis, basi nigra, margine alboflavo.* f. — Caetera individuis plurimis genuinis respondent.

Unum individuum prope *Vratislaviam* captum est.

Nota:

Forsan haec species cum sequente jungenda est.

Exenterus,

105. T. SEXCINCTUS. n.

Segmentorum marginibus albidis; maculis duabus faciei flavis; pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque fuscis. m?

Statura et proportio partium omnino speciei sequentis; antennis paulo longioribus.

Longitudo 2⅔ — fere 3 linearum. *Caput* subglobosum; ore clypeo et maculis duabus faciei flavis, mandibulis apice nigro aut fusco, clypeo interdum apice ferrugineo. *Antennae* vix corpore paulo breviores, fuscae, subtus interdum fuscoferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* lineola infra scutellum flava. *Scutellum* vel totum vel apice solo flavum. *Alae* mediocres, hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola irregulari petiolata aut subpetiolata, *Pedes* graciles, rufi aut fulvi; postici tarsis et tibiis, plerumque coxarum parte supera et trochanterum basi, fuscis aut nigricantibus, subsericeis. *Abdomen* nitidum, sericeum, capite et thorace vix paulo longius, thorace angustius, linearioblongum; segmento 1 canaliculato aut subcanaliculato, toto nigro; sequentibus margine laterali et apicali albidis, 7 plerumque margine fulvo; ventre flavo.

Individua duo *genuensia* transmisit *a Spinola;* tertium *Roentgen* cepit mense Iunio in *Hercynia,* idque majus, clypeo et coxis trochanteribusque totis flavis, segmento 7 albidomarginato.

106. T. QUINQUECINCTUS.

Segmentorum marginibus albis; pedibus fulvis, posticorum tarsis tibiisque nigris; facie alboflava; antennis subtus fulvis articulo primo albo. m.

Longitudo 3¾—4 linearum. *Caput* subglobosum, thorace latius, oculis subprosilientibus; facie et ore, interdum etiam macula genarum, flavoalbis. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, porrectae, fuscae, subtus fulvae articulo 1 albido. *Thorax* gibbus, linea transversa sub scutello, interdum etiam colli parte infera et prothoracis macula laterali, flavoalbidis. *Scutellum* apice albido. *Alae* mediocres, hyalinae aut subfumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* subgraciles fulvi; anteriores subtus pallidiores, postici tibiis et tarsis nigris sericeis. *Abdomen* subsessile, thorace duplo longius et paulo angustius, segmentis 1—5 sensim latioribus; segmento 1 canaliculato, seu lineis duabus elevatis; 2 lineola dorsali albida marginali; sequentibus nitidioribus, margine apicali et laterali albis.

Mares duos *Roentgen* cepit mense Iunii in *Hercynia;* tertium *pedemontanum*, eumque majorem et crassiorem, genis collo et lateribus thoracis albomaculatis, lineis duabus segmenti primi distinctioribus, *Bonelli* transmisit.

Synonyma:

Ichn. quinquecinctus Grav. Ped. n. 125.

Nota:

Conferre velis notam ad *Tr. gnathoxanthum*, n. 94.

Excentrus.

107. T. SUCCINCTUS. n.

Marginibus segmentorum, collo facieque albidis; pedibus fulvis, posticorum tarsis tibiisque nigricantibus. m?

Statura et proportio partium omnino *sexcincti* n. 105.

Longitudo 3 linearum. *Caput* facie oreque albidoflavis. *Antennae* fuscae; subtus paulo pallidiores, interdum rufae, articulis 1 et 2 semper totis fuscis. *Thorax* colli margine, seu collo toto, puncto sub alis, lineaque transversa sub scutello, albidoflavis. *Scutellum* apice albidoflavo. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscis, radice et squamula flavis; areola triangulari irregulari subsessili. *Pedes* fulvi, coxis et trochanteribus anterioribus albidostramineis, tibiis tarsisque posticis sericeo-nigricantibus aut fuscis. *Abdomen* sericeum; segmentis 2—7 margine apicali et laterali albidis, ventre flavo.

Individuum unum cepi die 12 Iulii in umbellatis prope *Barterodam*; alterum, idque antennis subtus rufescentibus, prope *Warmbrunn* captum est.

Nota:

Individui prope Barterodam capti anus stylis duobus exsertis brevissimis instructus est, uno superiore stramineo tenuiore, altero inferiore crassiore apice fusco. Individui Warmbrunnensis segmentum quintum ventre prominens stylum exsert unicum crassiusculum stramineum. Hae partes potius masculae quam femininae esse videntur.

108. T. MARGINELLUS. n.

Marginibus segmentorum albidis, pedibus antennis et scutelli apice rufis, facie flava. f.

Statura et habitus prope accedunt ad species duas sequentes; sed a *multicolore* hic differt areola deficiente, a *melanoleuco* segmento primo angustiore, ab utroque autem pedibus crassioribus, brevioribus, totis rufis; a speciebus praecedentibus (*succincto, quinquecincto*) capite haud subgloboso.

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore et facie flavis, mandibularum apice et macula faciali fuscis. *Antennae* articulis 1 et 2 nigris subtus testaceoflavis, 3 rufo basi nigra, sequentibus rufis supra obscurioribus. *Thorax* maculis duabus dorsalibus parvis ante collum, punctisque duobus ad alarum radicem pallideflavis, puncto diluterufo infra scutellum. *Scutellum* ipsum apice diluterufo. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula pallideflavis. *Pedes* mediocres rufi, anteriores coxis et trochanteribus subtus flavis.

Abdomen oblongoovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, nigrum, sericeum; segmentis 2 et 3 summo margine testaceo; sequentibus summo margine sordidealbo; ventre compressiusculo sordidealbo. *Aculeus* brevissimus subexsertus.

Unicam feminam cepi die 2 Iulii in fruticeto prope *Scheidnich*.

Mesoleius.

109. T. MULTICOLOR. n.

Segmentorum marginibus albidis; antennis pedibusque rufis, coxis anterioribus flavis, tarsis posticis et tibiarum posticarum apice fuscis; facie flava. f.

Statura et proportio partium *Mesolepti limitaris*, n. 7, feminae; segmento primo vix paulo latiore, angustiore autem quam plurimis speciebus cognatis hujus familiae.

Longitudo $2\frac{2}{3}$—4 linearum. *Caput* ore et facie flavis. *Antennae* rufoferrugineae; articulo 1 supra nigro, subtus interdum flavicante. *Thorax* puncto ante alas, plerumque altero infra scutellum, rarius etiam lineola infra alas, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* hyalinae irideae, stigmate stramineo, radio fusco, radice et squamula flavis; areola irregulari petiolata. *Pedes* rufofulvi; anteriores coxis et trochanteribus flavis; postici tarsis nigricantibus, tibiis sordidealbidis aut fuscotestaceis apice nigricante. *Abdomen* segmento 1 laevi

nigro; sequentibus margine exalbido, ventre flavo. *Aculeus* exsertus brevis.

Copiam feminarum legi, mensibus Iunii et Iulii prope *Scheidnich*, in gramine et fruticetis; quaedam aliae, circa *Warmbrunn* et *Reichenstein* captae, mihi transmissae sunt.

Nota:

Si haec femina scutello toto nigro gauderet, eam cum femina *Tr. naevii*, n. 98, sectionis primae, conjungerem; attamen individuum, puncto flavo infra scutellum nullo, idque omnium minimum, in feminae Tr. naevii individuum, scutelli apice pallido, transire videtur.

110. T. MELANOLEUCUS. n.

Marginibus segmentorum albidis; pedibus rufis, posticorum tarsis nigris, tibiis albidis apice nigro; ore flavo; scutello apice rufo aut stramineo. f.

Longitudo 2⅓—3½ linearum. *Caput* ore et clypeo albidoflavis, mandibulis apice ferrugineofusco. *Antennae* corporis longitudine, vel paulo breviores paulove longiores, apice subcurvatae, nigrofuscae; subtus apicem versus ferrugineae. *Thorax* gibbus; puncto ante alas, lineolaque sub scutello, albidis, hac interdum castanea. *Alae* subamplae, hyalinae, stigmate et radio nigris aut fuscis, radice et squamula exalbidis; interdum rudimento minutissimo nervi exterioris areolae tri-

angularis irregularis subpetiolatae. *Pedes* subgraciles rufi; postici tarsis nigris, tibiis testaceis aut exalbidis apice nigro. *Abdomen* capite et thorace paululum longius, interdum eorum longitudine, thoracis latitudine, ovatofusiforme seu oblongo-ovatum, vel totum nigrum vel marginibus summis segmentorum albidis, segmentis 4—7 interdum margine laterali latius albo; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, subcanaliculato. *Aculeus* brevis exsertus niger.

Feminam cepi medio mensis Septembris in fruticeto prope *Scheidnich;* quaedam aliae, circa *Vindobonam* et *Gottingam* captae, mecum communicatae sunt.

Nota:

Conferas notam ad *Tr. aulicum*, n. 113.

Mesoleius.

111. T. CALIGATUS. n.

Ore, puncto scutellari, pedibusque rufis; tarsis et tibiis posticis nigris, his ante basin albidis aut ferrugineis. f.

Statura et proportio partium *Tr. virgultorum,* n. 112, et *vepretorum* n. 89 feminae; sed corpore toto majore pauloque crassiore, segmento primo quoque basin versus minus angustato, et defectu areolae differt. Forsan autem varietas *Tr. aulici,* n. 113, esse posset, a quo quidem magnitudine et scutelli colore differt.

Longitudo 4⅓ — paulo ultra 5 lineas. *Caput* ore rufo aut testaceo. *Antennae* apice curvatae; vel fuscae, subtus ferrugineae; vel rufae, articulis 1 et 2 nigris, plerumque subtus puncto rufo, 3 basi nigra. *Thorax* puncto ante alas, interdum quoque altero infra alas, rarius tertio infra scutellum, rufo. *Scutellum* disco aut apice rufo, interdum obsoleto. *Alae* subfumatohyalinae aut hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula rufis. *Pedes* rufi; postici tibiis tarsisque nigris, illis ante basin albidis aut obsoleteferrugineis. *Abdomen* segmento 1 canaliculato. *Aculeus* exsertus perbrevis.

Nonnullas feminas accepi, circa *Warmbrunn Norimbergam* et *Aboam* captas; norimbergensis minima est, antennisque obscurioribus, puncto rufo infra scutellum, alis hyalinis, tibiis posticis ante basin albidis, a reliquis differt.

Varietas maris?

Scutello nigro; facie flava. m. — *Statura* et proportio partium sicut in feminis genuinis. *Longitudo* 3⅔ linearum. *Caput* ore et facie albidoflavis; punctis tribus supra clypeum, uno infra antennas, nec non mandibularum apice, nigris. *Antennae* filiformes, corpore dimidio paulo longiores, subtus fuscoferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* puncto albido ad alarum radicem. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula albidis. *Pedes* diluterufi; postici

tibiis albis, apice nigro, summa basi fusca, tarsis nigris.

Unicum individuum circa *Vratislaviam* captum est.

Nota:

De mare descripto admodum dubius sum, num verus hujus speciei mas sit. Eodem jure etiam *Tr. sylvestris*, n. 84, e prima sectione, pro hujus feminae mare haberi posset, qui quidem statura tota angustiore, imprimis antennis pedibusque gracilioribus, a his feminis differt, sed colore capitis et pedum magis convenit.

Mesoleius.

112. T. VIRGULTORUM. n.

Pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque nigris. f.

Longitudo 3½—4 linearum. *Caput* palpis et mandibulis fulvis, his apice nigro. *Antennae* corporis longitudine, subsetaceae, apice incurvae; fuscae aut fuscoferrugineae, subtus ferrugineae, articulis 1 et 2 totis nigris. *Thorax* gibbus laevis nitidus, puncto eborino aut obsoleto rufo infra scutellum. *Scutellum* eborinum. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis aut stramineoferrugineis; areola petiolata subirregulari. *Pedes* mediocres rufi; anteriores plerumque tibiis pallidioribus; postici elongati, tarsis et tibiis nigris, his

interdum basin versus fuscis. *Abdomen* subsericeum, capite thoraceque vix paulo longius, thorace paulo angustius, linearioblongum seu oblongoovatum; segmento 1 nitido subcanaliculato, apicem versus sensim dilatato. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Nonnullas cepi feminas die 3 Iunii in fruticetis circa *Barterodam*; una, prope *Sickershausen* capta, mihi transmissa est; unam, puncto rufo infra scutellum, vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

Mesoleius.

113. T. AULICUS. n.

> Pedibus fulvis aut rufis, posticorum tarsis et tibiis nigris, his medio albidis. m. f. (*Mas* facie flava, antennis subtus testaceis; *femina* ore testaceo).

Longitudo 2½—4 linearum. *Caput feminae* ore stramineo aut fulvostramineo, mandibulis apice nigro, clypeo interdum ferrugineo; *maris* facie et ore pallideflavis, mandibulis apice nigro. *Antennae* setaceae; *maris* vix corporis longitudine, fuscae, subtus testaceae articulis 1 et 2 pallideflavis; *feminae* corporis longitudine vel paulo longiores, rarius corpore paulo breviores, apice recurvae, nigrae, subtus ut plurimum fuscae. *Thorax* gibbulus; puncto ante alas alteroque infra alas, saepius attamen obsoletis, feminae praeterea interdum punctis duobus minutis dorsalibus ante

collum, et colli margine supero, flavis; puncto infra scutellum maris fulvo aut rufo, feminae plerumque flavo. *Scutellum maris* fulvum aut rufum, *feminae* vel totum albidoflavum, vel apice solo aut limbo albidoflavo. *Alae* mediocres hyalinae; stigmate et radio stramineis aut fuscis, feminae rarius nigris; radice et squamula pallideflavis; areola nulla, seu nervo obsoleto exteriore areolae triangularis petiolatae. *Pedes* mediocres fulvi, feminae interdum rufi; anteriores maris pallidefulvi aut flavescentes; postici tarsis nigris, tibiis albis basi summa et apice nigris spinis albis, femoribus feminae plerumque geniculo nigro. *Abdomen maris* capite thoraceque vix paulo longius, thorace paulo angustius, segmento 1 canaliculato, 3 interdum dorso fuscobadio; *feminae* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, fusiforme seu oblongoovatum, segmento 1 subcanaliculato, reliquis ut plurimum margine summo subalbente. *Aculeus* brevissimus.

Marem cepi mense Majo in fruticetis prope *Scheidnich*, alterum circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit. Nonnullas feminas cepi mensibus Iulii et Septembris in fruticetis prope *Scheidnich* et *Oedelem;* aliae quaedam circa *Warmbrunn*, *Norimbergam* et *Genuam* captae, transmissae sunt. Genuensis est omnium minima, scutelloque albo medio nigro a reliquis differt. Norimbergensium altera, antennis abdomineque paulo brevioribus, clypeo ferrugineo, thorace fere toto nigro (punctulo solo

albo infra scutellum), scutello apice albo, a reliquis se distinguit.

Varietas:

1. *Scutello toto nigro.* f. — *Thorax* solo puncto albo ante squamulam alarum. *Alae* stigmate et radio nigris. — Caetera sicut in plurimis feminis genuinis.

Unicum individuum *ab Uechtritz* cepit die 27 Iunii in monte prope *Habelschwerdt* in flore Chaerophylli hirsuti.

Nota:

Feminae genuinae hujus speciei *Tryphoni melanoleuco,* n. 110, peraffines sunt; plurimae autem abdomine et antennis longioribus, scutello toto flavo, segmentorum marginibus pallidis obsoletioribus, distinguuntur; sed individuum norimbergense, antennis abdomineque brevioribus etc., cujus supra mentio facta est, inter ambas species medium tenere videtur.

Forsan *Ichneumon Tenthredinum* Scharfenbergii p. 974, n. 39, ad nostram speciem adhiberi posset, nisi mas, a Scharfenbergio descriptus, a mare *aulici* nostri differret.

Mesoleius.

114. T. OPTICUS. n.

Segmentorum nonnullorum marginibus, linea ante alas, oreque albidis; pedibus rufis, posticorum tarsis nigris, tibiis albis apice nigro. m. f. (*Mas* facie tota, scutello, picturis pectoralibus et lateralibus thoracis, nec non coxis et trochanteribus anterioribus, albidis, antennis subtus ferrugineis articulis 1 et 2 flavis. *Femina* scutello et picturis pectoralibus et lateralibus thoracis, nec non coxis et trochanteribus, rufis, facie antennisque nigris).

Mas.

Statura et proportio partium *Tr. naevii,* n. 98, segmento 1 autem haud subpetiolato sed subsessili canaliculato.

Longitudo 3 linearum. *Caput* oculis prominulis; facie oreque flavis, mandibulis apice nigro. *Antennae* fuscae, subtus ferrugineae articulis 1 et 2 flavis. *Thorax* linea ante alas, puncto infra scutellum, lineola sub alis, macula lineari pectoris, colli parte infera, suturaque laterali inter prothoracem et metathoracem, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice et squamula flavis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* subgraciles, fulvi, tibiis pallidioribus; anteriores coxis et trochanteribus albidotestaceis; postici tibiis albis apice nigro, tarsis nigris. *Abdomen* segmentis 2—4 marginibus summis exalbidis.

Femina.

Statura et proportio partium omnino feminae speciei antecedentis.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* ore et clypeo eborinis, apice mandibularum nigro. *Thorax* linea ante alas et puncto infra scutellum albis, pectore et metathoracis macula laterali rufis. *Scutellum* rufum apice albo. *Alae* subamplae, hyalinae, radio et stigmate nigris, radice et squamula albis; areola irregulari petiolata, nervo exteriore obsoleto. *Pedes* rufi, postici tarsis et tibiis nigris, his annulo medio albo. *Abdomen* ventre et segmentorum 3—7 marginibus summis albidis. *Aculeus* brevissimus niger.

Hujus speciei par *austriacum Dahl* mecum communicavit; feminam alteram, circa *Norimbergam* captam, *Sturm* transmisit.

Mesoleius.

116. T. HAEMATODES. n.

Segmentorum marginibus summis albidis; scutello pedibusque rufis, tarsis posticis et tibiarum posticarum apice nigris; ore et linea ante alas flavis. f.

Statura et proportio partium *Tr. aulici* feminae, n. 113; sed antennis paulo brevioribus.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* ore flavo. *Antennae* fuscoferrugineae, articulis 1 et 2 nigris. *Thorax* puncto infra alas et linea apice hamata

ante alas flavis, puncto infra scutellum diluterufo. *Scutellum* diluterufum. *Alae* hyalinae, irideae, stigmate testaceo, radio fusco, radice et squamula albidis. *Pedes* fulvorufi; anteriores coxis et trochanteribus subtus flavis; postici tarsis et tibiarum apice nigris. *Abdomen* ventre flavo; dorso marginibus segmentorum 1—4 distinctioribus, 5—7 obsoletioribus, albidis. *Aculeus* exsertus brevis.

Feminam unicam, prope *Warmbrunn* captam, *Manger* transmisit.

Mesoleius.

117. T. STERNOXANTHUS. n.

Segmentorum marginibus obsoletissime albidis; facie pectore et linea ante alas flavis, pedibus fulvis, coxis anterioribus flavis, tarsis posticis et tibiarum posticarum apice fuscis. f.

Statura et proportio partium feminae praecedentis; antennis autem longioribus.

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore et facie flavis, hac linea longitudinali abbreviata nigra. *Antennae* porrectae filiformes, longitudine 3½ linearum. *Thorax* lineola infra alas, linea apice hamata ante alas, pectoreque, flavis. *Scutellum* flavum, medio diluterufo. *Alae* subhyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola alae dextrae nulla, alae sinistrae irregulari subsessili. *Pedes* rufofulvi; anteriores coxis et trochanteribus flavis; postici tarsis et tibiarum sordidelutearum apice nigris. *Abdomen* segmen-

torum marginibus obsoletissime albidis. *Aculeus* exsertus brevis.

Feminam unicam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

118. T. BILINEATUS. n.

Segmentorum marginibus substramineis; linea ante alas oreque flavis; pedibus fulvis, posticorum tarsis tibiisque fuscis, his medio pallidis. f.

A reliquis cospeciebus affinibus haec differt praesertim parte antica segmenti primi latiore convexiore et laeviore.

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore flavo. *Antennae* filiformes, corpore breviores, subtus testaceae. *Thorax* gibbulus; linea lata ante alas, lineolaque infra alas, flavis. *Scutellum* medio flavum. *Alae* mediocres hyalinae irideae, radio et stigmate piceotestaceis, radice et squamula flavis, areola nulla. *Pedes* mediocres, fulvi; anteriores coxis et trochanteribus flavis; postici tarsis tibiisque fuscis, his medio albidis. *Abdomen* capite thoraceque angustius et paulo longius, ventre compressiusculo; segmento 1 parte antica subquadrata convexa laevi subcanaliculata, latitudine segmentorum reliquorum, duplo latiore et longiore quam petiolus brevis crassus; segmentis reliquis subtestaceoalbido-marginatis. *Aculeus* subexsertus.

Unum individuum *Manger* cepit prope *Warmbrunn*.

Varietas:

1. *Facie flavopunctata.* f. — *Longitudo* 2 linearum. *Facies* punctis tribus flavis supra clypeum. *Antennae* nigrae, articulo primo subtus flavo. *Scutellum* nigrum punctis duobus testaceis apicalibus. *Tibiae* posticae medio testaceae. — Caetera omnino sicut in femina genuina.

Feminam unam cepi vere circa *Scheidnich*.

Nota:

Conferre velis notam ad sequentem.

119. T. SCABRICULUS. n.

Corpore toto subtus flavo; thorace et scutello lineis duabus albidis; segmentis ultimis subalbidomarginatis; pedibus testaceis basi pallidioribus. m.

Statura gracilis plurium marium (v. c. *nitidi, armillatorii* etc.) sed petiolo paulo distinctiore, tuberculis lateralibus magis prominulis.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* flavum, oculis fronte vertice et occipite nigris. *Antennae* graciles, filiformes, corporis longitudine, apice curvatae; articulis 1 et 2 subtus flavis, sequentibus subtus testaceis sensim obscurioribus, ultimis totis fuscis. *Thorax* gibbulocylindricus nitidus, metathorace scabroso opaco; linea suturali ante alas, suturisque lateralibus, albidostramineis; pectore nec non colli et metathoracis parte infera

stramineoflavis. *Scutellum* marginibus lateralibus tenuibus exalbidis. *Alae* mediocres hyalinae irideae, stigmate et radio piceotestaceis, radice et squamula albidostramineis, areola nulla. *Pedes* graciles, testacei, coxis et trochanteribus stramineoflavis, unguibus fuscis; postici tibiis et tarsorum articulis apice subfuscescente. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace fere dimidio angustius, sublineare, subpetiolatum; segmento 1 parte antica aciculata opaca, apicem versus sensim paululum dilatata, latitudine fere duplo longiore, duploque latiore et longiore quam petiolus; 2 et 3 latitudine longioribus, aciculatis, margine nitidis; reliquis brevioribus laevibus nitidis margine summo albente; ventre flavo.

Individuum unicum *fennicum Sahlberg* transmisit.

Nota:

Nisi *Tr. bilineati*, (n. 118) segmenta 1 et 2 laevissima et nitidissima essent, eum pro femina hujus scabriculi habere possem. — Caeterum autem haec species etiam *familiae VIII Cryptorum* perquam affinis est, immo pro mare *Phytodieti nigri* haberi posset, qui, oculis armatis examinatus, etiam segmento 1 subaciculato gaudet.

Mesoleius.

120. T. ARMILLATORIUS.

Segmentis pallidemarginatis, mediis dorso testaceis; pedibus rufis, anterioribus coxis et trochanteribus flavis, posticis tarsis et tibiarum apice nigris; pectore facie et thoracis picturis albidis. m.

Longitudo $2\frac{1}{3}$—4 linearum. *Caput* facie et ore flavis aut eborinis, rarius colore roseo tinctis; mandibulis apice fusco. *Antennae* corpore paulo breviores paulove longiores, filiformes, apice plus minus curvatae; subtus articulis 1 et 2 albidis aut flavis, reliquis plerumque ferrugineis aut fulvis. *Thorax* gibbulus; colli margine, pectore, linea suturali lata vel macula ante alas, puncto infra alas, plerumque lineola infra scutellum et sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, rarissime etiam puncto dorsali, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* subamplae, hyalinae, irideae; stigmate et radio fuscis aut piceis, rarius testaceis, radice et squamula exalbidis aut flavis; areola vel omnino nulla, vel triangulari irregulari subpetiolata incompleta, aut vestigio obsoletissimo nervi exterioris. *Pedes* subgraciles, rufi; anteriores coxis et trochanteribus, rarius etiam femorum apicibus, pallideflavis; postici tarsis nigris aut fuscis, tibiis testaceis aut exalbidis apice nigro aut fusco, interdum femorum apice nigricante aut fusco vel coxis et trochanteribus totis aut infra pallideflavis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine vel paulo

longius, thorace angustius, depressiusculum; segmentis 2—5 aequilatis; 1 subsessili, subcanaliculato, apicem versus sensim latiore, latitudine plus duplo longiore, tuberculis lateralibus ante basin sitis; colore variabili: *a*) segmento 3 margine et basi pallidetestaceis; segmentis reliquis vel omnibus vel plurimis eorum margine exalbido. *b*) Segmentis exalbidomarginatis, 1 et ultimis interdum totis nigris; colore exalbido aut fulvotestaceo marginis et baseos segmenti tertii, vel etiam quarti, ita extenso ut dorso confluat, tandemque segmenta ipsa interdum exalbida aut fulvotestacea, macula magna laterali nigra, evadant. *c*) Segmentis 2—7 albidomarginatis; 3 rufo, puncto laterali nigro; 4 dorso rufescente.

Haec species, varietatibus omnibus abdominis descriptis, circa *Warmbrunn* reperitur. Varietas *b* omnium est frequentissima, eamque mensibus Iunii et Augusti, in fruticetis et gramine circa *Warmbrunn* et *Scheidnich* cepi. Varietas *a* etiam circa *Helmstadium* degit.

Varietates:

1. *Abdomine nigro, segmentorum omnium aut intermediorum margine exalbido aut testaceo. Thorax* interdum prothorace albidoflavo, regione circa scutellum linea brevi lata juxta radicem alae et macula infra alas nigris, linea lata abbreviata longitudinali fusca ante collum, metathorace subtus et lateribus flavoalbis. — Caetera sicut in speciei genuinae individuis plurimis.

Duo individua, circa *Warmbrunn* capta, unumque *fennicum*, idque picturis thoracis descriptis insigne, mihi transmissa sunt.

2. *Abdomine nigro, medio rufo.* — *Abdomen* segmento 2 rufomarginato; 3 et 4 rufis, 4 macula aut puncto laterali nigro; sequentibus interdum obsolete castaneomarginatis. *Thorax* plerumque pectore nigromaculato. — Caetera sicut in pluribus individuis speciei genuinae.

Unum individuum cepi mense Octobris in rubetis prope *Scheidnich*; quaedam alia, circa *Vratislaviam* et *Warmbrunn* capta, mecum communicata sunt.

3. *Scutello nigro, puncto pallido obsoleto.* — *Longitudo* 4 linearum vel paulo minor. *Thorax* colli margine, macula subtriangulari aut linea lata ante alas, puncto infra alas flavis, pectore vel flavo nigromaculato vel nigro maculis duabus flavotestaceis, puncto ferrugineo obsoleto infra scutellum. *Scutellum* ipsum nigrum, puncto apicali ferrugineo aut subtestaceo subobsoleto. *Abdomen* segmentis vel omnibus vel tribus primis exalbidomarginatis; 3 dorso, imprimis ad basin et marginem, testaceo aut subferrugineo. — Caetera sicut in pluribus individuis genuinis.

Duo individua *fennica Sahlbergio* debeo.

4. *Scutello toto nigro.* — *Thorax* linea hamata ante alas, lineola infra alas, colli margine supero et infero pectoreque flavoalbis. *Abdomen*

segmentis 2—7 albidomarginatis, 3 dorso ferrugineotestaceo. — Caetera cum specie genuina conveniunt.

Hoc individuum *Manger* prope *Warmbrunn* cepit.

Synonyma:

Ichn. armillatorius Grav. Uebers. n. 3758 (haud confundendus cum *Ichneum. armillatorio* Thunb. Ichn. n. 594, abdomine nigro immaculato etc.).

Nota:

Quaeritur an haec species forsan mas sit *Tr. sternoxanthi*, n. 117, aut *sexliturati*, n. 102. — Varietas secunda autem pro mare *luteifrontis*, e sectione tertia, haberi posset, cui colore capitis antennarum pedum abdominis et alarum, nec non defectu areolae, respondet.

Mesoleius.

121. T. FORMOSUS. n.

Prothoracis dorso rufo; ore, picturis thoracis et marginibus segmentorum albidis; pedibus fulvis, posticis tarsis et tibiarum apice nigris. m. f. (*Mas* facie albida, pedibus anterioribus stramineis; *femina* punctis duobus faciei albidis.)

Statura et proportio partium maris sicut in specie antecedente, feminae sicut *Tr. melanoleuci* feminae, n. 110.

Longitudo maris $3\frac{1}{2}$, feminae 3 linearum. *Caput* ore et clypeo albidis; facie maris tota albida, feminae nigra puncto parvo albido ad orbitas oculorum internas. *Antennae maris* fuscae, subtus ferrugineae articulis 1 et 2 albidis; *feminae* totae ferrugineae, articulis 1 et 2 totis nigris. *Thorax maris* niger, prothoracis dorso rufo; pectore, colli marginibus, linea apice hamata ante alas, puncto infra alas alteroque infra scutellum, albidis; *feminae* prothorace toto rufo, collo toto nigro; lineis punctisque flavis sicut in mare; metathoracis macula laterali rufa. *Scutellum* albidum. *Alae* hyalinae, stigmate et radio nigris aut fuscis, radice et squamula albidis; areola nulla. *Pedes* anteriores maris testaceostraminei; feminae fulvi, geniculis trochanteribus et latere infero coxarum stramineis; postici coxis fulvis, maris subtus stramineis, trochanteribus subtus stramineis, femoribus fulvis geniculis pallidis, tibiis sordide stramineis, apice, feminae etiam ante basin, nigris, tarsis nigris. *Abdomen* segmentorum marginibus glaucoalbidis; mari praeterea segmenti tertii basi et dorso, nec non puncto ad basin segmenti quarti, stramineofulvis; ventre albido. *Aculeus* brevissimus exsertus albus.

Marem cepi die 25 Maji in gramine prope *Kochs Lust*; feminam circa *Gottingam*, nescio quo loco et die.

Mesoleius

122. T. SANGUINICOLLIS. n.

Prothorace, scutello et pedibus rufis, horum posticis apice nigro; segmentorum marginibus summis albis. m. f. (*Mas* facie, coxis et trochanteribus anterioribus, picturisque thoracis, flavis.)

Longitudo maris $2\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$, feminae $2\frac{2}{3}$—$3\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* maris facie et ore, feminae solo ore, alboflavis. *Antennae* filiformes, corporis longitudine, rufae aut ferrugineae; articulis 1 et 2 nigris, maris subtus flavis. *Thorax* gibbulus, rufus, *maris* collo, metathorace et linea lata longitudinali dorsali prothoracis, nigris; linea apice hamata ante alas, lineola infra alas, interdum etiam pectore, flavis, puncto rufo infra scutellum; *feminae* collo et metathoracis dorso, interdum etiam linea longitudinali prothoracis, rarius metathorace toto et macula laterali prothoracis, nigris, puncto infra scutellum rufo rarius flavo. *Scutellum* rufum, feminae rarius flavolimbatum. *Alae* mediocres, hyalinae aut subhyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis aut nigris, radice et squamula pallideflavis; areola nulla. *Pedes* mediocres rufi; postici tarsis nigris, tibiis maris apice nigro feminae vel totis nigris vel medio fuscoferrugineo aut exalbido; anteriores maris coxis et trochanteribus flavis. *Abdomen maris* subsessile, cylindricum, capite thoraceque vix paulo longius pauloque angustius, basi subscabriculum opacum, apicem versus sensim

laevius et nitidius; *feminae* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, fusiforme seu oblongoovatum; segmentis 2—7 albomarginatis, feminae etiam margine laterali et ventre albidis. *Aculeus* subexsertus brevissimus niger.

Nonnullos mares et feminas *Manger* circa *Warmbrunn* legit. Praeterea quaedam feminae, in *Austria* et, mense Maji, prope *Vratislaviam* captae, mecum communicatae sunt; unam (*berolinensem?*) vidi in Museo *Klugii.*

Nota:

Quo minores feminae sunt, eo magis color niger in thorace praevalet; minima, prope *Warmbrunn* capta, metathorace toto nigro et prothoracis macula laterali nigra, a reliquis differt. — E feminis duabus *austriacis,* quas *Dahl* sub nomine *Ichn. sanguinicollis Ziegleri* misit, altera antennis rufis, limbo scutelli et puncto infra scutellum flavis, tibiarum posticarum medio exalbido, insignis est.

123. T. RIDIBUNDUS. n.

Marginibus segmentorum 2 et 3, pedibus anterioribus, maculisque faciei, flavis.

Statura tota graciliore, imprimis segmento 1 basin versus angustiore, haec species a cognatis (*Tr. marginatorio,* n. 125, *apiario,* n. 126 etc.) differt.

Longitudo 3½ linearum vel paulo major. *Caput* ore et facie flavis, hac linea longitudinali

nigra. *Thorax* puncto seu lineola obsoleta infra alas, lineolaque sub scutello, flavis. *Scutellum* apice flavo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores straminei, coxis et trochanteribus pallidioribus, femoribus externe fuscis; postici coxis et femoribus nigris, trochanteribus stramineis, tarsis tibiisque fuscis, his basi et interne pallidetestaceis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine; segmentis 1—5 sensim dilatatis; 1 latitudine triplo longiore, basin versus subangustato, canaliculato; 2 et 3 margine flavo; sequentibus margine pallido obsoletissimo.

Individua duo *Manger* prope *Warmbrunn* cepit.

124. T. PRUINOSUS. n.

Sericeus, abdomine sessili; pedibus anterioribus rufis, basi nigris; capite thoraceque testaceo-submaculatis. m.

Habitu toto, corpore crassiore, pedibus posticis longioribus et validioribus, femoribus compressis, etc. haec species a cospeciebus reliquis hujus sectionis discedit.

Longitudo paululum ultra 4 lineas. *Caput* puncto ad orbitas oculorum frontales, alteroque ad orbitas occipitales, testaceis. *Antennae* subsetaceae, porrectae, fere corporis longitudine. *Thorax* gibbus; punctis duobus dorsalibus ante

collum, lineolaque transversa infra scutellum, substramineis. *Scutellum* margine apicali et puncto in angulis baseos substramineis. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et squamula nigris, radio et radice fuscoferrugineis. *Pedes* anteriores graciliores, fulvoferruginei, coxis et trochanteribus nec non femorum mediorum basi nigris; postici longiores et validiores, toti nigri. *Abdomen* sessile, vix capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongoovatum, subtilissime punctum; segmento 1 longitudine paulo latiore, fasciola laterali marginali obsoleta substraminea; marginibus segmentorum summis substramineis.

Unicum marem *austriacum Dahl* transmisit.

Varietas:

1. *Pedibus stramineis, coxis et trochanteribus fuscis; posticis etiam tibiis tarsisque fuscis.* m. — *Statura* gracilior, indeque segmentum 1 angustius, quam in mare genuino. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* palpis, orbitis oculorum internis et parte media externarum, stramineis. *Antennae* articulo 1 subtus fuscoferrugineo (articulis reliquis deficientibus). *Thorax* punctis duobus obsoletis ante collum et lineola sub scutello stramineis. *Scutellum* apice stramineo. *Alae* subhyalinae; stigmate radio et squamula fuscopiceis, radice straminea. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongum, sessile, sericeum; segmento 1 apicem versus paulo

dilatato, latitudine longitudinis; marginibus segmentorum omnium summis subtestaceis.

Marem unicum *gallicum Brongniart* mihi transmisit.

Excenterus.

125. T. MARGINATORIUS.

Marginibus segmentorum 1 et 2 fascia lata flava, segmentis reliquis subflavomarginatis; facie, maculis thoracis, tibiisque flavis.

Longitudo $3\frac{1}{3}$—4 linearum. *Caput* subglobosum, confertim et subtilissime punctum; ore et facie, plerumque etiam macula genarum, flavis; linea longitudinali faciei, regione infra antennas, sutura inter faciem et clypeum, apiceque mandibularum nigris. De partibus oris v. notam. *Antennae* subsetaceae, corpore dimidio paulo longiores, fuscae; subtus fulvae aut fulvotestaceae, articulis 1 et 2 flavis. *Thorax* gibbus; colli marginibus, interdum subobsoletis, maculis duabus dorsalibus ante collum, lineola infra scutellum alteraque infra alas, plerumque puncto laterali prothoracis, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres, hyalinae seu subfumatohyalinae; stigmate radio et squamula fuscis aut nigris, radice flava; areola subregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres subgraciles; anteriores nigri, subtus flavi, tibiis tarsisque saepius totis flavis, tibiis mediis tamen externe apicem versus semper plus minus fuscis aut nigris; coxis mediis plerumque nigris subtus

puncto flavo, rarius totis nigris; postici coxis et femoribus nigris, trochanteribus rarius totis nigris aut flavis, plerumque supra nigris subtus flavis, tibiis flavis apice et summa basi nigris aut nigrofuscis, tarsis vel rufis aut flavofulvis articulorum apicibus fuscis, vel fuscis basi articuli primi vel etiam secundi flava. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius pauloque angustius, sessile, subcylindricum, apice paulo crassiore; segmento 1 latitudine paulo longiore, aequilato, scabroso, lineis duabus elevatis, margine lato flavo, rarius macula dorsali flava cum margine flavo confluente; 2 punctis confertis scabroso, margine lato, plerumque punctis duobus dorsalibus cum margine confluentibus, flavis, rarius segmento toto flavo angulis baseos solis nigris; 3—4—6 margine summo dorsali glauco aut flavicante, 3 praeterea rarissime macula dorsali didyma flavicante; 5 et 6 ventre plerisque (feminis?) sub specie valvulae prominentibus.

Quaedam individua cepi, fine Septembris, in pino sylvestri circa *Trajectum ad Viadrum;* nonnulla *ab Uechtritz* legit circa *Steglitz et Zittau* in eadem arbore; *Klugio* pluria individua prorepe-runt *e larvis Tenthredinis pini.* — Alia, circa *Warmbrunn, Sickershausen, Vindobonam, Parmam* et *Aboam* capta, transmissa sunt.

Varietates:

1. *Segmentis 1 et 2 margine medio dorsali flavo.* — *Longitudo* $2\frac{2}{3}$—$4\frac{1}{2}$ linearum. *Abdomen* segmentis 1 et 2 margine dorsali medio flavo;

3 et 4 plerumque summo margine obsolete testaceo. — Caetera omnino sicut in specie genuina; *facie* rarissime nigra, orbitis oculorum frontalibus, lineolis duabus longitudinalibus brevibus infra antennas, maculisque duabus parvis supra clypeum, flavis; *thorace* rarissime fere toto nigro, solis punctis duobus ante collum et lineola infra scutellum flavis.

Individua quaedam, circa *Warmbrunn, Sickershausen, Hannoveram* et in *Hercynia* capta, mecum communicata sunt. Nonnulla *ab Esenbeck* nactus est *e larvis Pteroni pini* et *rufi*. — Individuum maximum, idque abdomine paulo breviore, prothorace fere toto nigro, genis coxis anterioribus et trochanteribus posticis totis nigris, a reliquis discedens, e collectione *Roentgeniana* in meam translatum, forsan circa *Niesky* captum est. Omnium individuorum minimum autem, idque unicum facie nigra flavomaculata, *Sahlberg* e *Fennia* transmisit.

2. *Segmentis* 1—6 *marginibus aequalibus flavis*. — *Longitudo* 2½—4 linearum. *Caput* ore et facie flavis aut ferrugineis; regione infra antennas, linea longitudinali, lineaque transversali aut fascia supra clypeum, nigris; macula genarum flava. *Antennae* vel sicut in specie genuina, vel fuscae apicem versus et subtus diluteferrugineae. *Abdomen* segmentis 1—6 flavomarginatis, marginibus aequalibus plus minus tenuibus; margine segmenti primi rarius in puncta tria dissoluto. — Caetera cum specie genuina conveniunt.

Quaedam individua in Museo *Comitis de Hoffmannsegg* vidi, unum *fennicum Sahlberg* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. marginatorius Fabr. Ent. p. 145, n. 48; habitat Kiliae.

Cryptus marginatorius Fabr. Piez. p. 76, n. 24.

„ Trentep. in Iside 1826 p. 223 in Adn. (ubi tamen femorum nigrorum nulla fit mentio.)

Ichn. amictorius Panzer Fauna Fasc. 80, tab. 14; habitat Norimbergae. (Haec icon, caeteris optime ad nostra specimina quadrans, cellularum cubitalium numero forma et situ longe differt, nescio an enormitate speciminis exhibiti, an incuria delineatoris aut sculptoris.)

Nota:

De *Ichneumone marginatorio* reliquorum auctorum, qui huc haud spectat, conferas quaeso quae sub *Ichn. occisorio*, n. 149, monui.

Antennas et *oris partes Nees ab Esenbeck* accuratius examinavit et his verbis descripsit:

Antennae breviusculae recurvae filiformi-setaceae, pubescentes, articulis 37. Radicula brevissima; scapo cylindrico, apice excavato; pedicello disciformi, exserto; articulo accessorio (quarto) annuliformi; reliquis subcylindricis decrescenti-

bus, contiguis, 4 anterioribus multo longioribus, extremis subtransversis, ultimo oblongo obtuso.

Clypeus linea arcuata, puncto utrimque impresso, discretus, transversus, margine infero rotundato. — *Labrum* breve transversum, fere totum retractum. — *Mandibulae* arcuatae latae, nec crassae, diametro baseos et apicis subaequalibus, margine supero et infero angustis, prominulis, facie exteriori convexiuscula laeviuscula, apice acuto bifido, dentibus aequalibus acutis. *Maxillae* longitudine labii idque amplectentes: *Stipes* valde compressus, facie infera cornea angusta linearilanceolata, apice parum obliqua, planiuscula: *Mala* stipitis longitudine, membranacea, biarticulata; articulo infero majore subquadrato, apice cordiformi, lobo interiori majori plano, rotundato, exteriori minori erecto ovato obtuso; articulo superiori angustiori, e sinu inferi enato, quadrato, marginibus supero et exteriori rectis, interiori parum arcuato ciliato, angulo exteriori acuto. — *Palpi maxillares* mala circiter duplo longiores, pubescentes incurvi; articulis inaequalibus, primo clavato truncato, secundo et tertio cultriformibus, quarto rhomboideo tenuiore, quinto tenui filiformi, acutiusculo, longitudo relativa $^1/_2 \cdot {}_3 \cdot {}_5 \cdot {}_4 \cdot$ — *Labium: Mentum* corneum obconicum convexiusculum laeve, apice rotundatum obsolete tridentatum, dentibus obtusis: *Lingua* membranacea, mento dimidio brevior et angustior, rectiuscula, apice acute emarginata, laciniis triangularibus acutiusculis, parum deflexis,

ciliatis. — *Palpi labiales* linguam haud duplo excedentes, filiformes, pubescentes, quadriarticulati; articulo primo longo clavato truncato, secundo et tertio brevissimis, fere obovatis aut obconicis, quarto tenui filiformi acutiusculo.

126. T. APIARIUS. n.

Marginibus segmentorum, maculis capitis, pedibus anterioribus subtus, tibiis posticis pro parte, flavis.

Statura et proportio partium speciei antecedentis.

Longitudo vel paulo supra vel paulo infra 4 lineas. *Caput* ore, orbitis oculorum internis, macula faciali, flavis. *Antennae* nigrofuscae; articulis 1—3 totis nigris, sequentibus subtus ferrugineis. *Thorax* lineola sub scutello flava. *Scutellum* apice flavo. *Alae* fumatohyalinae, marginem exteriorem versus fuscohyalinae; stigmate radio radice et squamula fuscis, rarius stigmate rufo radio et radice ferrugineis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores subtus flavi, trochanteribus totis fuscis, tibiis externe, praesertim apicem versus, fuscescentibus; postici tibiis flavis, externe fuscescentibus apicem versus nigris. *Abdomen* segmentis flavomarginatis; 1 interdum solo puncto marginali flavo, rarissime toto nigro.

Individuum unum vidi in Museo *Klugii;* alterum, idque minimum, segmento 1 puncto margi-

nali flavo, prope *Sickershausen* captum, tertium, idque maximum, segmento 1 toto nigro, circa *Dresdam* captum, mihi transmissa sunt.

Varietas:

1. *Facie tota maculisque thoracis flavis.* — *Longitudo* fere 5 linearum. *Caput* ore facie et genarum parte infera flavis. *Antennae* subtus rufae, articulis 1—3 totis nigris. *Thorax* collo, linea transversali infra scutellum, lineola infra alas, linea laterali perpendiculari prothoracis, maculaque laterali metathoracis, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* fumatohyalinae, marginem exteriorem versus fuscohyalinae, stigmate et radio rufis, radice et squamula flavis; areola triangulari subsessili. *Pedes* anteriores flavi, basi trochanterum et latere supero femorum fusconigris; postici nigrofusci, apicibus femorum trochanterum et coxarum flavis, tibiis flavis apice nigro. *Abdomen* segmento 1 macula marginali, sequentibus margine, ultimis fere totis, flavis.

Unicum individuum, circa *Trajectum ad Moenum* captum, *de Heyden* transmisit.

127. T. INCISUS. n.

Segmentis canalicula transversali incisis; macula ante alas, femoribus, tibiis et abdomine flavis, segmentorum macula dorsali nigra.

Statura brevior et crassior quam in reliquis cospeciebus.

Longitudo paululum ultra 2 lineas. *Caput* ore flavo. *Antennae* filiformes, porrectae, corpore paulo breviores, ferrugineae, supra obscuriores, articulo 1 nigro subtus flavo. *Thorax* globosus; macula ante alas et lineola infra scutellum flavis. *Scutellum* flavum pulvinatum. *Alae* subhyalinae, irideae, stigmate stramineoflavo, radio fusco, radice flava, squamula nigra; areola subtriangulari sessili. *Pedes* flavi; trochanteribus et coxis nigris, anterioribus subtus flavis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et paulo latius, subsessile subovatum; segmento 1 latitudine longitudinis, scabro, lineis duabus elevatis, nigro, margine flavo; 2—5 transversis, linea media transversali incisis et quasi bipartitis, flavis, macula dorsali nigra in parte basali; 6 et 7 flavis dorso nigro.

Individuum unicum *a Steven* e *Tauria* mecum communicavit.

SECTIO III.

Scutello pallido; abdomine vel toto rufo, vel rufo et nigro.

Scutellum rarius totum rufum (*Tr. nigricipeti*), aut totum flavum (*Tr. nigrolineato*), sed plerumque macula seu puncto albido, interdum minuto (in *Tr. intermedio*, *albocincto*), notatum est. — *Abdomen* rarius totum rufum (*Tr. nigricipeti*), aut fulvum segmentorum marginibus flavis (*Tr. nigrolineato*), aut tricolor (*Tr. albocincto*) est, plerumque rufum, basi apiceque, vel basi sola, nigrum.

E sectione secunda huc spectant *Tr. armillatorii* varietas abdomine nigro, medio rufo, nec non *Tr. aulici* et *formosi* mares et *Tr. marginatorius*, abdominis dorso badio-, seu fulvo-, seu flavo-maculato. — *E sectione quarta* varietas *Tr. elegantuli*, scutelli apice flavo, adpropinquat.

128. T. IMMATURUS. n.

Scutello rufo; abdomine pedibus et facie testaceostramineis; ano, coxis posticis et tibiarum posticarum apice, nigris, m.

Longitudo 4 linearum. *Caput* ore et facie flavis. *Antennae* porrectae subsetaceae, corporis longitudine, rufae, subtus dilutiores, articulo 1 nigro subtus flavo. *Thorax* gibbulus; lineola flava infra alas, altera obsolete rufa ante alas, punctoque rufo infra *scutellum* rufum. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio rufis, radice et squamula flavis; areola nulla. *Pedes* subelongati flavi; postici coxis nigris rufomaculatis, femoribus rufis, tibiis apicem versus rufis apice ipso nigro. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius et paulo angustius, depressiusculum; segmentis 1—5 sensim latioribus, 1—3 flavis, 4 rufo basi flava, 5 rufo disco nigro, 6 et 7 nigris.

Marem unicum *Manger* prope *Warmbrunn* cepit.

Mesoleius.

129. T. RUFUS. n.

Rufus, scutello flavo; capite thoraceque nigris, flavo rufoque maculatis; pedibus posticis nigromaculatis. f.

Longitudo 7—7½ linearum. *Caput* vel nigrum, ore flavo, mandibularum apice nigro, facie flava aut rufa orbitis oculorum flavis, semper autem

linea longitudinali nigra aut fulva, orbitis oculorum supernis et externis totis latis rufis; vel rufum, ore plerumque facie testaceis aut flavis, regione circa stemmata nigra, oculis cinereis. *Antennae* corpore breviores aut fere ejus longitudine, subsetaceae, apice curvatae, rufae, articulo 1 vel supra vel toto nigro, interdum etiam articulis 2—4 supra nigris. *Thorax* gibbulus niger; macula aut linea lata ante alas rufo flavoque mixta, lineola infra alas punctoque infra scutellum rufis aut flavis; saepius etiam macula aut puncto laterali prothoracis, colli margine laterali vel etiam supero, sutura laterali inter prothoracem et metathoracem, rufis, interdum colore flavo mixtis; ut plurimum etiam lineis duabus dorsalibus longitudinalibus tenuibus rufis; metathoracis dorso vel toto fulvo vel maculis duabus fulvis aut rufis. *Scutellum* flavum. *Alae* flavescentifumatohyalinae, stigmate et radio rufis aut fuscopiceis, radice et squamula flavis, areola irregulari, majore minoreve, petiolata. *Pedes* graciles, subelongati; vel rufi, anteriores pallidiores subtus flavi, coxis posticis basi nigra; vel coxis et trochanteribus omnibus plus minus nigromaculatis, femoribus posticis basin versus nigris; vel femoribus mediis basi nigricante, posticis nigris apicem versus aut superne rufis geniculo flavo; tibiis posticis flavis, apicem versus fulvis aut rufis, apice ipso plerumque nigricante; tarsis fulvis aut flavicantibus, anterioribus pallidioribus. *Abdomen* thorace duplo longius, ejusque latitudine vel paululum angustius, elongatofusiforme, apice sub-

crassius et subcompressiusculum; segmento 1 canaliculato, apicem versus sensim dilatato, fere subpetiolato, latitudine triplo longiore, nigro aut rufo, vel nigromaculato, semper autem margine fulvo aut flavo; sequentibus rufis, 2 interdum margine flavo, 5 et 6 interdum linea transversali nigricante. *Aculeus* brevissimus exsertus.

Nonnulla individua, circa *Warmbrunn*, *Vratislaviam* et *Aboam* capta, mecum communicata sunt; quaedam alia, in *Hercynia* et circa *Berolinum* capta, vidi in Museis *Comitis de Hoffmannsegg* et *Klugii.* — Maximum, cum aliis circa Warmbrunn captum, picturis pallidioribus capitis thoracis abdominis et pedum, areolaque majore, a reliquis se distinguit.

Nota:

Conferre velis notam ad sp. sequentem.

Euryproctus.

130. T. NIGRICEPS. n.

Rufus, capite nigro, ore rufo.

Longitudo 5½ linearum. *Antennae* subsetaceae porrectae, corporis longitudine, supra fuscescentes. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate piceostramineo, radio fusco, radice testacea, squamula rufa, areola nulla. *Pedes* mediocres subelongati. *Abdomen* thorace duplo longius, ejus autem latitudine, apicem versus sensim dilatatum; segmento 1 sicut in specie praecedente

(cum qua hic Tryph. statura et proportione partium convenit) formato, canaliculato, tuberculis lateralibus in medio sitis.

Unum individuum *Roentgen* cepit mense Iunii in *Hercynia;* duo alia vidi in museo *Klugii.*

Nota:

Haec species et antecedens, segmento primo longiore subpetiolato, tuberculis lateralibus in medio sitis, ad familiam primam propius accedunt.

131. T. NIGROLINEATUS. n.

Flavus, oculis ocellis et lineis tribus thoracis nigris, segmentis 1—4 dorso fulvis. f.

Longitudo $2\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* mandibularum apice oculis et ocellis nigris. *Antennae* subfiliformes, corpore paululum longiores, apice curvatae, ferrugineae, apicem versus obscuriores, articulo 1 flavo. *Thorax* gibbus, lineis tribus longitudinalibus parallelis dorsi prothoracis nigris. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio pallide stramineis, radice et squamula flavis, cellula cubitali intermedia nulla. *Pedes* mediocres; postici pallidefulvi, trochanteribus et coxis flavis, tarsis nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace vix paulo angustius, ovatum, segmentis 1—4 fulvis margine flavo, sequentibus flavis. *Aculeus* niger brevissimus.

Feminam unicam *norimbergensem Sturm* transmisit.

Nota:

Conferre velis notam ad *Tr. exornatum*, n. 14.

132. T. ALBOCINCTUS.

Scutelli apice rufo; abdomine rufo, basi nigra, marginibus segmentorum albidis; pedibus anterioribus flavis, coxis et latere supero femorum nigris. m.

Statura et proportio partium *Mesolepti cinctuli*, n. 23; segmento 1 autem minus angusto.

Longitudo 4—4⅓ linearum. *Caput* ore stramineo, mandibularum basi et apice nigris. *Antennae* fuscae, subtus pallidiores aut fulvae, articulis 1—4 totis nigris. *Scutellum* puncto parvo apicali rufo aut fulvo. *Alae* hyalinae, stigmate et radio stramineis aut fuscis, radice straminea, squamula nigra; areola subirregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores flavi, coxis et femorum latere superiore nigris, trochanteribus interdum supra nigris; postici nigri, tibiis medio albidis apice subtus ferrugineis, tarsis fuscis, femorum apice flavicante. *Abdomen* segmento 1 laevi aut subcanaliculato, nigro; 2 nigro, margine rufo aut castaneo; 3 rufo aut castaneo, margine albido, angulis baseos seu basi tota nigris; 4 rufo aut castaneo, margine albido, basi et interdum fascia ante marginem nigris;

sequentibus rufis aut castaneis, margine albido, interdum basi nigra, lateribus flavomarginatis.

Mares tres, circa *Vindobonam*, *Genuam* et in *regione Pedemontana* capti, mihi transmissi sunt.

Synonyma:

Ichn. albicinctus Grav. Ped. n. 126.

Exenterus

133. T. TRIANGULATORIUS. n.

Abdomine pedibusque rufis, basi nigris; facie flavomaculata. m.

Statura et proportio partium omnino sicut in individuis gracilioribus speciei antecedentis.

Longitudo 4 linearum. *Caput* ore et facie flavis, macula magna triangulari faciei et apice mandibularum nigris. *Antennae* fulvae, supra fuscae, articulo 1 nigro. *Thorax* gibbus, puncto infra scutellum flavo. *Scutellum* flavum. *Alae* subamplae, hyalinae, radio et stigmate nigris, squamula et radice flavis; areola irregulari subsessili. *Pedes* graciles; anteriores fulvi, coxis et trochanterum basi nigris; postici rufi, coxis trochanteribus et femorum summa basi nigris, tarsis et tibiarum latere externo rufofuscis. *Abdomen* thorace fere duplo longius, eoque angustius, subclavato-fusiforme; segmento 1 canaliculato, basin versus sensim angustato, nigro; 2 nigro, margine rufo; reliquis rufis aut castaneis, macula dorsali, distinctiore vel obsoletiore, nigra.

Marem unum cepi mense Iunio in fruteto prope *Fürstenstein;* alterum *norimbergensem Sturm* mecum communicavit.

Varietas:

1. *Coxis anterioribus flavomaculatis, abdomine tricolore.* — *Statura* et proportio partium omnino individuorum crassiorum speciei praecedentis, n. 132.

Longitudo 3½ — 4 linearum. *Caput* ore flavo; facie vel flava infra antennas nigra, vel nigra orbitis oculorum internis et lineolis duabus brevibus longitudinalibus flavis. *Antennae* rufae aut ferrugineae, supra fuscae, apice plerumque totae rufae, articulis 1 — 3 totis nigris. *Thorax* totus niger. *Scutellum* apice summo flavo. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscis, radice et squamula flavis, areola irregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores coxis nigris subtus vel totis flavis vel puncto flavo, trochanteribus flavis, femoribus rufis, tibiis et tarsis diluterufis aut pallidetestaceis; postici coxis nigris interdum subtus flavis, trochanteribus flavis interdum supra nigris, femoribus rufis puncto basali alteroque apicali nigris, tibiis rufis aut testaceis apice et annulo ante basin nigricantibus, tarsis nigricantibus. *Abdomen* segmento 1 nigro; 2 — 5 rufis, basi nigra, 3 — 5 margine dorsali glauco; 6 flavicante, interdum basi rufa; 7 rufo aut flavo.

Unum individuum *Richter,* mense Maji, prope *Vratislaviam,* alterum *Manger* prope *Warm-*

brunn ceperunt, tertium *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Nota:

Conferas notam ad *Mesoleptum cinctulum* n. 23. — Forsan hic *triangulatorius* cum *albocincto*, n. 132, in unam speciem, cinctulo cognatam, conjungi deberet.

134. T. TRICOLOR. n.

Abdomine rufo, marginibus segmentorum flavis, segmento 1 toto nigro; pedibus facie et pectore flavis. m.

Statura et proportio partium omnino specierum duarum antecedentium; sed tuberculis lateralibus segmenti primi multo magis prominentibus.

Longitudo 4¼ linearum. *Caput* testaceoflavum, fronte et vertice nigris. *Antennae* articulo 1 nigro, subtus flavo; 2—4 nigris; sequentibus testaceoflavis, supra fuscis sensim ferrugineis. *Thorax* collo, pectore, puncto infra scutellum, alteroque infra alas, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* subhyalinae; radio stigmate radice et squamula pallidestramineis; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores flavi, femoribus supra rufofulvis; postici coxis flavis supra nigris, trochanteribus flavis, femoribus testaceorufis basi summa nigra, tibiis sordidetestaceis basi nigra, tarsis fuscis. *Abdomen* segmento 1 nigro, reliquis fulvorufis margine flavicante.

Marem unicum, prope *Trajectum ad Moenum* captum, *de Heyden* transmisit.

Exenterus.

135. T. ICTERICUS. n.

Abdomine rufo, segmenti primi basi nigra; maculis duabus dorsalibus thoracis, femoribus tibiisque anterioribus subtus, tibiis posticis ante basin, flavis. f. ?

Longitudo 3 linearum. *Caput* orbitis oculorum frontalibus flavis tenuissimis. *Antennae* filiformes, corpore dimidio vix paulo longiores, apice curvatae, fuscae. *Thorax* gibbus; colli marginibus, lineis duabus obliquis ante collum, lineolaque sub scutello, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* mediocres hyalinae; stigmate radio et squamula fuscis, radice straminea; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* subgraciles, nigri; anteriores femoribus tibiisque subtus olivaceoflavicantibus; postici tibiis ante basin olivaceis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, sessile, oblongum, convexum, rufum; segmento 1 latitudine paululum longiore, aequilato, basi nigra, lineis duabus elevatis.

Unicum individuum, ut videtur sexus feminini, *Brongniart* e *Gallia* transmisit.

136. T. SEGMENTARIUS.

Abdominis medio rufo; pedibus anterioribus rufis, coxis et trochanteribus nigro flavoque maculatis; tibiis posticis basi albida; facie et antennarum basi subtus flavis. m. f.

Statura maris gracilior est quam feminae, cumque statura et partium proportione *Tryphonis vernalis*, e sectione quarta, convenit; segmento 1 attamen paulo breviore. *Femina* affinis est *Mesolepto ruficorni* n. 26 qui autem segmento 1 longiore et angustiore differt.

Longitudo 3½, feminae interdum 4, linearum. *Caput* ore et facie flavis, mandibulis apice nigro, feminae etiam linea longitudinali faciei nigra. *Antennae* rufae aut ferrugineae, supra obscuriores, articulis 1 et 2 nigris subtus flavis; feminae supra vel totae vel basin versus fuscae. *Scutellum* apice flavo; feminae interdum fere totum flavum. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscis, radice et squamula flavis; areola irregulari, petiolata aut subpetiolata, nervo exteriore in femina interdum subobliterato. *Pedes* anteriores *maris* fulvi, trochanteribus et coxis flavis, his puncto laterali nigro, *feminae* rufi, coxis nigris apice flavo, trochanteribus flavis plerumque supra puncto nigro; postici nigri, trochanteribus maris apice flavo feminae apice ferrugineo, tibiis a medio ad basin albidis aut interdum in femina testaceis.

Abdomen segmento 1 nigro, feminae apice rufo; 2—4 rufis; sequentibus maris totis nigris; feminae segmento 5 vel nigro lateribus fuscis, vel rufo margine obscuriore, vel toto rufo, 6 plerumque nigro, rarius rufo disco nigricante, 7 nigro. *Aculeus* brevissimus niger.

Marem unicum cepit *Richter* in sylva prope *Landshut*, in umbellatis. — Feminae plures, circa *Norimbergam* et in *Etruria* captae, mecum communicatae sunt.

Varietas:

1. *Coxis anterioribus totis flavis, thorace flavomaculato.* m. — *Longitudo* fere 4 linearum. *Thorax* collo, pectore, punctisque duobus ad radicem alarum, flavis. *Pedes* coxis flavis, posticis supra nigris; trochanteribus flavis; femoribus anterioribus fulvis, posticis rufis apice nigro; tibiis sordideflavis, posticis apice nigro; tarsis anterioribus testaceis, posticis nigris. *Abdomen* segmentis 2—4 et basi quinti rufis.

Hunc marem *Richter* mense Iulii circa *Fürstenstein* cepit.

Synonyma:

Ichn. segmentarius Fabr. Mant. p. 262, n, 27; habitat Kiliae.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2681, n. 97.
„ Villers p. 152. n. 52.
„ Olivier p. 172. n. 41.

Ichn. segmentorius Fabr. Ent. p. 149, n. 63.
Bassus segmentorius Fabr. Piez. p. 97. n. 13.

Nota:

Ichn. segmentorius Thunb. Ichn. n. 515 huc non spectat, segmentis 1—3 flavis distinctus.

137. T. COLON. n.

Abdominis medio rufo; pedibus anterioribus fulvostramineis, coxis et trochanteribus albido nigroque variis; tibiis posticis basi exalbida, facie flava, antennarum annulo albo. m.

Longitudo 3—4 linearum. *Caput* facie oreque flavis. *Antennae* subsetaceae, fere corporis longitudine, apice curvatae, nigrofuscae; articulis 1 et 2 subtus, 12—15 totis, albidoflavis. *Thorax* gibbus, infra scutellum puncto albidoflavo. *Scutellum* albidoflavum. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavis; areola nulla. *Pedes* subgraciles; anteriores coxis nigris subtus plus minus albidis, trochanteribus albidoflavis superne puncto nigro, femoribus fulvis, tibiis tarsisque pallideflavis, unguibus anticis ferrugineis, mediis fuscis; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis geniculo nigro, tibiis nigris basi sordidealbida, tarsis fusconigris, articulo 3 interdum ferrugineo, 4 flavicante aut exalbido rarius fuscescente. *Abdomen*

capite thoraceque paulo longius et angustius, apicem versus sensim dilatatum, subpetiolatum; segmento 1 laevi, latitudine triplo longiore, nigro, interdum margine castaneo; 2 rufo, interdum macula dorsali nigricante; 3 et 4 rufis, hoc interdum margine nigricante; 5 nigro basi badia; 6 et 7 nigris margine summo albido.

Hanc speciem semel cepi mense Augusto, in fruticetis prope *Grohnde;* duo individua, prope *Warmbrunn* capta, *Manger* transmisit.

138. T. CRURALIS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, tibiis posticis albidis apice nigro, tarsis posticis nigris; ore stramineo. f.

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore stramineo, mandibulis apice nigro. *Antennae* corpore breviores, setaceae, apice subcurvatae, fuscae, subtus ferrugineae. *Thorax* gibbulus; puncto albo infra scutellum, altero infra alas. *Scutellum* album. *Alae* mediocres, subhyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula albis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi; tibiis anterioribus externe albidis, posticis albidis apice nigro; tarsis posticis nigris. *Abdomen* subsessile, vix capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius; segmento primo subcanaliculato, basin versus sensim paulo angustato, latitudine duplo

longiore, nigro, margine rufo; 2—4 aequilatis rufis; sequentibus nigris. *Aculeus* brevissimus, niger.

Feminam unicam, prope *Vindobonam* captam, *Dahl* mecum communicavit.

Exenterus (?)

139. T. EXSTIRPATORIUS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis et trochanteribus anterioribus pallidioribus, coxis posticis basi nigra; facie flava. m. f. (*Mas* antennis nigris; *femina* antennis subtus testaceis.)

Longitudo 3 linearum; femina interdum paulo minor. *Caput* ore et facie flavis; hac interdum lineola abbreviata longitudinali punctoque laterali clypei nigris; apice mandibularum nigro. *Antennae* filiformes, *feminae* corpore breviores, testaceae, supra fuscae, articulo 1 interdum toto nigro; *maris* totae nigrae, paulo longiores quam feminae. *Thorax* gibbulus; feminae plerumque lineola infra scutellum flava. *Scutellum* apice flavo. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola irregulari subpetiolata nervo exteriore interdum tenui et mari fere toto deficiente. *Pedes* mediocres, rufi; anteriores coxis et trochanteribus testaceis aut flavis, illis basi nigra; postici coxis basi nigris, rarius fere totis nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, subpetiolatum; seg-

mento primo canaliculato, basin versus angustato, latitudine duplo longiore, nigro, apice rufo; 2 et 3 rufis, interdum punctis duobus dorsalibus nigris; 4 rufo, plerumque ante marginem fusco; 5 et 6 vel totis nigris vel basi rufis; 7 maris exalbido feminae fulvo. *Aculeus* brevissimus fulvus.

Mares et feminas nonnullos cepi mense Iunio in gramine circa *Vratislaviam*; quasdam feminas, circa *Warmbrunn* et *Norimbergam* captas, accepi; norimbergensis a reliquis differt linea nigra faciei et segmentis 5 et 6 basi rufis.

140. T. LATICEPS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis et femoribus posticis nigricantibus; antennis rufis; ore facie genisque flavis. m.?

A praecedente haec species differt capite crassiore, segmento primo paululum longiore.

Longitudo 4 linearum. *Caput* subbuccatum, thorace latius, ore facie et genis flavis. *Antennae* corpore breviores, luteorufae, supra obscuriores. *Thorax* gibbulus, collo subtus rufescente, lineola infra scutellum flava. *Scutellum* flavum. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores testaceorufi; postici femoribus coxis et trochanteribus nigrofuscis, his subtus testaceis, tibiis tarsisque rufis superne fus-

cescentibus, tibiis summa basi testacea. *Abdomen* capite thoraceque parum longius, thoracis latitudine, oblongum; segmento 1 latitudine duplo longiore, apicem versus sensim dilatato, canaliculato, nigro, margine summo rufo; 2—4 rufis; 5 nigro, summo margine et macula laterali castaneis; 6 et 7 nigris; 7 membro conico brevi nigro exserto, sicut in pluribus maribus.

Unicum individuum, circa *Halam Saxonum* captum, *Germar* mecum communicavit.

141. T. LUTEIFRONS. n.

Abdominis medio rufo; pedibus fulvis, tibiis pallidioribus, posticis apice nigro; facie testacea. f.

Longitudo 2⅔ linearum. *Caput* facie et ore flavoferrugineis, apice mandibularum nigro. *Antennae* subfiliformes, corpore paulo breviores, apice curvatae, fuscae, subtus fuscoferrugineae articulo 1 sordide albido. *Thorax* gibbulus. *Scutellum* album. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavescentibus; cellula cubitali intermedia nulla. *Pedes* mediocres, fulvorufi, trochanteribus stramineis; postici tarsis nigris, tibiis albidis apice nigro. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum, subpetiolatum; segmento primo basin versus sensim angustato, latitudine fere duplo longiore, scabriculo, nigro, lineis duabus elevatis obsoletis;

2 nigro apice rufo; 3 rufo; 4 nigro, fascia obscurorufa; sequentibus nigris margine summo pallescente. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Feminam unam cepi mense Iunio prope *Oedelem*.

Nota:

Conferas notam ad *Tr. armillatorium*, n. 120.

142. T. INTERMEDIUS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis nec non tarsis posticis et tibiarum posticarum apice et summa basi nigris; ore alboflavo. f.

Statura et proportio partium speciei praecedentis.

Longitudo 2⅔—3 linearum. *Caput* ore flavo, mandibulis apice nigro. *Antennae* subfiliformes, vix corpore paulo longiores, apice recurvae, vel fuscae subtus ferrugineae, vel nigrae subtus fuscae; articulis 1—3 semper totis nigris. *Scutellum* apice vel sordide albido vel pallideflavo. *Alae* hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula flavis; areola nulla, seu nervo obsoletissimo exteriore areolae irregularis subpetiolatae. *Pedes* rufofulvi; coxis nigris, subtus interdum rufofuscis; trochanteribus flavis, posticis, interdum etiam anterioribus, basi nigra; tibiis posticis apice et basi nigricantibus; tarsis posticis nigris. *Abdomen*

segmento 1 nigro; 2 et 3 rufis, interdum punctis duobus dorsalibus, unoque laterali, nigris subobsoletis; sequentibus nigris, marginibus summis subglaucis. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Unam feminam *Dahl* cepit circa *Vindobonam;* alteram, eamque minorem, antennis obscurioribus, coxis totis nigris, trochanteribus omnibus basi nigra, *Richter* in *Silesiae Sudetis.*

143. T. LEUCOSTOMUS. n.

Abdominis medio, femoribus, tibiisque rufis, harum posticis apice nigro; ore et coxis anterioribus albis; antennis subtus fulvis. f.

Statura et partium proportio feminae *Tr. exstirpatorii*, n. 139, sed capite paulo minore, antennis pedibusque paulo gracilioribus et longioribus; his, nec non sculptura segmentorum 1 et 2, *leucostomus* melius convenit cum *nasuto* e sectione quarta.

Longitudo 2¾ linearum. *Caput* ore, clypeo et punctis duobus faciei, ante clypeum sitis, superne emarginatis, flavoalbis. *Antennae* filiformes, porrectae, longitudine corporis, fuscae, subtus fulvotestaceae. *Thorax* puncto ante alas, alteroque infra alas, albis. *Scutellum* album. *Alae* subfumatohyalinae, radio et stigmate piceis, radice et squamula albis; areola nulla. *Pedes* anteriores fulvi, coxis et trochanteribus alboflavis, coxis mediis subtus macula nigrofusca; postici coxis et tro-

chanteribus nigris, his apice fulvo, femoribus rufis, tibiis fulvis apice nigro, tarsis nigris. *Abdomen* segmento 1 nigro, puncto, opaco, canalicula longitudinali et linea transversali arcuata impresso; 2 rufo, puncto, linea transversali arcuata impresso; 3 rufo, subpuncto, vestigio laterali lineae transversalis impressae; reliquis nitidulis nigris, 4 attamen basi rufo. *Aculeus* subexsertus niger.

Unicam feminam, prope *Trajectum ad Moenum* captam, *de Heyden* mihi transmisit.

SECTIO IV.

Scutello nigro; abdomine vel toto rufo, vel rufo et nigro, vel flavo et nigro.

Abdomen plerumque rufum est, basi et apice vel basi sola nigrum; interdum totum rufum (*Tr. brachyacantho*), aut segmentis intermediis flavis (*Tr. elongato, elegantulo*); rarius tricolor, rufum nempe, apice nigro, ano albo (*Tr. adpropinquatori*). Quibusdam speciebus (*Tr. insolenti, evolanti, zonario* etc.) abdomen nigrum uno solo segmento rufo est; si autem hic color rufus valde obscurus est (*Tr. sexpunctato*), species propius accedit ad sectionem primam. — *Scutellum* in una specie (*Tr. elegantulo*) rarissime apice summo flavicante variat, quo haec sectio tertiae adpropinquat.

E *sectione prima* huic sectioni respondent *Tr. subnitidus* et *rubiginosus*, segmentis mediis pro parte badiis aut castaneis.

Perilissus.

144. T. ERYTHROCEPHALUS. n.

Capite, collo, abdominis medio, pedibusque anticis fulvis. m.

Statura et proportione partium haec species prope accedit ad *Mesoleptum luteolatorem* n. 25, cui etiam toto habitu affinis est; sed capite paulo crassiore, oculis minoribus, segmento primo angustiore, haud canaliculato, petiolo sensim in partem anticam dilatato, satis differt. Capite crassiore quoque ab omnibus reliquis cospeciebus discedit.

Longitudo 2¾ linearum. *Caput* subglobosum, thorace latius, vertice subquadrato longitudine paulo latiore, aurantiacum, oculis parvis ovalibus ocellisque cinereis. *Antennae* filiformes, graciles, porrectae, corpore vix paulo longiores, nigrae; articulis 1 et 2 aurantiacis supra nigris. *Thorax* gibbulus, collo aurantiacofulvo. *Alae* mediocres, hyalinae, irideae, stigmate radio et squamula fuscis, radice pallidestraminea; areola triangulari sessili. *Pedes* graciles; anteriores fulvi, coxis et trochanteribus superne fusconigris; medii nigri, tibiis et femorum apice testaceofulvis; postici nigri, tibiis testaceofulvis apice nigro. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, subpetiolatum, oblongolanceolatum, laeve, nitidum; segmento primo basin versus sensim angustato, laevi, latitudine paulo plus duplo lon-

giore, nigro, margine summo testaceofulvo, tuberculis lateralibus paulo ultra medium (basin versus) sitis; 2 et 3 fulvis, 3 autem macula magna dorsali triangulari nigra; reliquis nigris.

Unicum individuum *fennicum* hujus speciei elegantis *Sahlbergio* debeo.

145. T. ALBIPES. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, trochanteribus et coxis nigris; tibiis posticis albis apice nigro. f.

Haec species quidem duabus sequentibus affinis est, at segmento 1 breviore et latiore, nec non tibiarum posticarum basi haud nigra, differt.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* ore stramineo, mandibularum apice fusco. *Antennae* corporis longitudine, fuscae, apicem versus supra ferrugineae subtus rufae. *Thorax* gibbus. *Alae* amplae, hyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis; areola triangulari irregulari petiolata. *Pedes* mediocres, rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tarsis nigris, tibiis albis apice nigro. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo brevius et angustius, oblongoovatum, subpetiolatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, canaliculato, latitudine longiore, nigro, apice rufo; 2 et 3 rufis; reliquis nigris.

Feminam unicam cepi mense Majo in fruticeto prope *Scheidnich*.

146. T. VARITARSUS. n.

Abdominis medio pedibusque anterioribus rufis, coxis et trochanteribus nigris; pedibus posticis nigris, femoribus rufis, tibiarum medio albo. m. f.

Statura et proportio partium speciei sequentis; segmento primo autem angustiore.

Longitudo 2½—3½ linearum. *Caput* palpis et mandibulis pallidioribus aut flavicantibus, his apice nigro; labro plerumque ferrugineo. *Antennae* corpore paulo breviores, apice curvatae; rarius articulo 4 et sequentibus subtus ferrugineis. *Alae* hyalinae aut fumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris aut fuscis, radice flava; areola irregulari subpetiolata, interiore interdum vestigio nervi dividentis. *Pedes* anteriores coxis et trochanteribus nigris, illis rarius subtus subrufescentibus, femoribus fulvis, tibiis flavis apice plerumque fulvo, tarsis flavis articulorum apicibus fulvis; postici nigri trochanteribus plerumque apice rufo, femoribus rufis, rarius castaneis, geniculis, interdum etiam basi, nigris, tibiis annulo ante basin, interdum subobsoleto, et spinis apicis, plerumque basi summa articulorum tarsi, albidis aut pallideflavis. *Abdomen* segmento 1 canaliculato, latitudine triplo aut plus duplo longiore, sublineari aut apicem versus dilatato, nigro, apice summo interdum castaneo; 2 et 3 rufis; 4 rarius toto rufo aut toto nigro, ut plurimum basi rufa apice nigro;

5 nigro, rarius rufo; 6 et 7 nigris, subsericeis. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Par hujus speciei cepi prope *Oedelem* mense Iulio; mares et feminam *Manger* prope *Warmbrunn* cepit; praeterea etiam mares quidam, circa *Sickershausen* et in *Etruria* capti, unaque femina e *Volhynia*, transmissi sunt.

Varietates:

1. *Trochanteribus anterioribus flavis.* m. f. — *Statura* speciei genuinae, sed abdomine paulo longiore, segmento 1 paulo latiore. — *Longitudo* fere 3 — fere 4 linearum. *Pedes* anteriores coxis ut plurimum inferne, rarius fere totis, pallideflavis, trochanteribus flavis, femoribus fulvis, tibiis et tarsorum articulis vel fulvis vel flavis, apicibus plerumque fulvis; postici nigri, trochanteribus flavescentibus, femoribus rufis geniculis nigris, tibiis annulo lato et spinis apicalibus albis, tarsis summa articulorum basi albidoflava. *Abdomen* capite thoraceque longius, thoracis latitudine, oblongoovatum; segmento 1 nigro apice rufo; 2—3 rufis; 4 vel toto rufo, vel apice nigro, rarius fere toto nigro; reliquis nigris, subsericeis, 5 interdum badio. — Caetera sicut in specie genuina.

Mares plures cepi mensibus Maji Iunii et Iulii, circa *Ahdensted*, *Helmstadium*, *Vratislaviam* et in *Hercynia*, in fruticetis gramine umbellatis; marem *austriacum Dahl* mihi transmisit; mares quosdam et duas feminas *Manger* legit circa *Warmbrunn*.

2. *Segmentis 6 et 7 subrufescentibus.* m. — *Longitudo* 3½ linearum. *Pedes* rufi, coxis supra nigris; postici praeterea geniculis tarsis et tibiis nigris, his spinis apicalibus et annulo angusto obsoleto ante basin, albidis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongoovatum; segmento 1 paulo latiore quam in specie genuina, nigro; 2—4 rufis, 4 lateribus et margine nigris; 5 nigrofusco; 6 et 7 badiis. — Caetera ut in sp. genuina.

Individuum unicum masculum cepi, cum maribus genuinis, circa *Oedelem*, eodem loco et die.

Nota:

Feminae nonnullae genuinae gerunt ventre, ante anum, similes vesiculas oviformes curvatas albidas, apice obtusiore fuscas, numero ternario aut nonario, quales jam in nota ad *Tr. pinguem*, n. 97, descripsi.

147. T. ALBOVINCTUS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis; tibiis posticis nigris annulo albo. f.

Longitudo 2—3 lin rum. *Caput* palpis et mandibulis testaceis aut sordidealbidis, his apice nigro; clypeo interdum castaneo. *Antennae* fere corporis longitudine, subsetaceae, apice subcurvatae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, fuma-

tohyalinae aut hyalinae, stigmate squamula et radio nigris interdum piceis, radice flavescente; areola irregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi; postici tarsis geniculis et tibiis nigris, his ante basin annulo albido, interdum sordido, coxis interdum nigromaculatis. *Abdomen* subpetiolatum, nitidum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongum aut ovatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, canaliculato, latitudine duplo longiore, nigro, tuberculis lateralibus paulo ultra medium sitis; 2 et 3 rufis, 3 plerumque lateribus nigris; sequentibus nigris. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Nonnulla cepi individua circa *Scheidnich* et *Oedelem*, mensibus Iunii et Iulii, in umbellatis; quaedam alia, circa *Warmbrunn* et in *Tauria* capta, mihi transmissa sunt. — Individuum circa Scheidnich captum omnium est minimum clypeoque castaneo, stigmate et radio piceis, areola petiolata, a reliquis differt.

Nota:

Individuorum Warmbrunnensium unum aculeo prorsum caret, saltem nullum ejus vestigium se ostendit; caeterum autem hoc individuum cum reliquis omnino conveniat, quaeritur, num sit mas, num femina aculeo abscondito? Si autem omnia feminae essent, forsan *Tr. dorsalis*, n. 148, earum mas esse posset, qui veruntamen defectu areolae discrepat.

Plurimae feminae ventre vesiculas similes gerunt, quales in feminis *Tr. varitarsi* et *pinguis* conspiciuntur; de quibus conferre velis notas ad n. 146 et 97.

Mesoleius.

148. T. DORSALIS. n.

Segmentis 2 et 3 dorso rufis; pedibus rufis, trochanteribus et coxis anterioribus flavis, tibiis posticis albis apice et summa basi nigris; facie flava; antennis subtus rufis basi flava. m.

Longitudo $2\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* ore et facie pallideflavis. *Antennae* corpore paululum longiores, filiformes, apice curvatae; subtus rufae, articulis 1 et 2 pallideflavis. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallideflavis; areola nulla. *Pedes* mediocres rufi; anteriores coxis et trochanteribus flavicantibus; postici tibiis albis apice et summa basi nigris, tarsis nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paululum angustius, oblongum, depressiusculum, subpetiolatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, subcanaliculato, latitudine paulo plus duplo longiore; 2 margine et macula dorsali rufis; 3 dorso rufo.

Marem unicum *Manger* cepit prope *Warmbrunn.*

Nota:

Conferas notam ad speciem antecedentem.

149. T. OCHROSTOMUS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis nigris; tibiis posticis albicantibus apice fusco; ore flavo. f.

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore et clypeo silaceis, mandibulis apice nigro. *Antennae* subfiliformes, corporis fere longitudine, apice recurvae, fuscae, subtus ferrugineae basin versus fuscescentes articulo 1 toto nigro. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavescentibus; areola parva irregulari petiolata. *Pedes* mediocres; anteriores rufofulvi, trochanteribus tibiis et tarsis pallidioribus, coxis nigris; postici coxis nigris, trochanteribus nigris apice pallideflavicante, femoribus rufofulvis, tibiis sordidealbentibus apice fusco, tarsis fuscis. *Abdomen* subpetiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, apice subclavatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, subcanaliculato, latitudine plus duplo longiore, nigro, apice rufofulvo, tuberculis lateralibus perpaulo ultra medium sitis; 2—4 rufofulvis, 4 attamen lateribus nigris; 5—7 nigris. *Aculeus* brevis absconditus.

Individuum unicum *hannoveranum Reusmann* mecum communicavit.

Tryphon (T. [illegible]) Ontborinn

150. T. TENUICORNIS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis; trochanteribus et coxis flavis, harum posticis basi nigra; tarsis tibiisque posticis fuscis; ore et antennis subtus flavis. m.

Statura et proportio partium speciei sequentis, sed areola majore.

Longitudo 3 — fere 4 linearum. *Caput* ore flavo, facie griseosericante. *Antennae* tenues filiformes, corporis longitudine vel paulo breviores, fuscoferrugineae, subtus flavae, articulo 1 supra nigro. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula flavis; areola subirregulari aut suborbiculata, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* anteriores fulvi, subtus interdum flavi, coxis interdum basi nigra, trochanteribus totis flavis; postici coxis nigris apice flavo aut testaceo, trochanteribus flavis, femoribus rufis interdum geniculo fusco, tibiis vel rufis summo apice fusco vel fuscis basin versus ferrugineis, tarsis fuscis aut ferrugineis. *Abdomen* sericeum, capite thoraceque paulo longius et angustius, vel thoracis latitudine, subpetiolatum subcylindricum; segmentis 2 — 5 — 6 aequilatis; 1 basin versus sensim angustato, latitudine plus duplo longiore, canaliculato, nigro, interdum puncto apicali castaneo; 2 vel nigro apice rufo, vel rufo basi summa nigra; 3 et 4 rufis; reliquis nigris, 5 interdum basi rufa.

Tres mares cepi mensibus Maji et Iulii circa *Vratislaviam* in gramine. Individuum majus, segmentis 2—4 et basi quinti rufis, coxis omnibus nigris apice flavo, antennis paulo brevioribus, abdomine paulo latiore, a minoribus differt.

Varietas:

1. *Facie tota et orbitis oculorum externis flavis; coxis nigris, anterioribus subtus rufis.* m. — *Statura* et proportio partium omnino individuorum genuinorum minorum; capite vix paulo crassiore. *Longitudo* fere 3 linearum. *Caput* ore facie et orbitis oculorum externis latis flavis. *Antennae* fuscae; subtus articulo 1 flavo, sequentibus flavopiceis, apicem versus sensim obscurioribus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavis; areola suborbiculata subpetiolata. *Pedes* rufi; anteriores coxarum basi nigra; postici coxis femorumque basi nigris, tarsis et tibiarum apice fuscescentibus. *Abdomen* segmento 2 lateribus, 3 toto, 4 basi, rufis.

Unicum individuum *a Steven* e *Tauria* transmisit.

Mesoleius.

151. T. ERYTHROCERUS. n.

Abdominis medio rufo; pedibus anterioribus rufis, coxis et femorum basi nigris; tibiis posticis rufis apice nigro; antennis subtus rufis. m. f. (*Mas* facie flava.)

Longitudo maris $2\frac{3}{4}$—4, feminae $3\frac{1}{2}$—4 linearum. *Caput maris* ore et facie flavis, hoc ut plurimum puncto seu lineola longitudinali nigra. *Antennae* subsetaceae, fere longitudine corporis, apice incurvae; articulis 1—4 nigris, 1 attamen mari subtus puncto flavo distinctiore aut obsoletiore; sequentibus subtus rufis aut ferrugineis, ultimis totis rufis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio testaceis aut piceis, radice testaceoflavescente, feminae interdum fuscescente, squamula maris flava feminae nigra; areola vel omnino nulla, vel parva irregulari petiolata, (interdum in ala sinistra nulla, in dextra parva) mari rarissime distinctiore majore et subpetiolata. *Pedes* graciles aut subgraciles; anteriores *maris* rufofulvi, coxis nigris, interdum subtus macula flava, trochanteribus flavis rarius nigris, femoribus basi nigris, mediis interdum extra totis nigris, *feminae* coxis et trochanteribus nigris, femoribus anticis rufis basi nigra mediis nigris apice rufo, tibiis et tarsis rufis; postici nigri, tibiis rufis aut testaceis apice nigro. *Abdomen* subpetiolatum aut subsessile, capite thoraceque paulo longius vel eorum longitudine, thorace pau-

lulum angustius seu latitudine ejus, subfusiforme aut suboblongoclavatum, segmentis 2—5 maris interdum aequilatis; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo aut paulo plus duplo longiore, subcanaliculato, nigro, feminae plerumque margine summo rufo, rarius praeterea fascia petioli badia, tuberculis lateralibus ultra medium sitis; 2 feminae rufo, maris rarius toto nigro aut toto rufo, plerumque rufo puncto dorsali nigro; 3 rufo, feminae rarissime margine nigro; 4 maris rufo apice nigro, rarius nigro basi rufa, feminae rarius toto nigro, plerumque angulis baseos et basi summa rufis; reliquis nigris. *Aculeus* brevissimus subexsertus.

Plures mares et feminas cepi mense Augusto in umbellatis circa *Cudowam; Manger* sexum utrumque legit circa *Warmbrunn.*

Varietates:

1. *Femoribus anterioribus totis rufis.* m. — *Longitudo* 3¼ linearum. *Antennae* paulo longiores et graciliores quam in mare genuino. *Pedes* anteriores rufi, trochanteribus et coxis nigris. *Abdomen* segmentis 2—4 rufis, 4 apice nigro. — Caetera mari genuino respondent.

Individuum unicum *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

2. *Femoribus anterioribus totis fulvis; antennis nigris.* m. f. — *Longitudo* maris 4 linearum, feminae paulo ultra 3 lineas. *Antennae* feminae

totae nigrae, maris articulo primo subtus flavo. *Alae* hyalinae, irideae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula flavis; areola maris parva irregulari petiolata, feminae majore subsessili. *Pedes maris* anteriores coxis nigris apice flavo, trochanteribus flavis, femoribus tibiisque fulvis, his subtus flavis, tarsis flavis; postici nigri, apice trochanterum stramineo, tibiis sordideflavis apice nigro; *feminae* anteriores diluterufi, coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo; postici nigri, tibiis rufis externe fuscescentibus apice fusco, tarsis fuscis. *Abdomen* maris segmentis 2—4 rufis; feminae segmento 3 rufo, 4 nigrofusco basi obscurorufo. — Caetera ut in sp. genuina.

Individuum unicum maris *genuense a Spinola* transmisit, (idque segmento 1 longiore, longitudine latitudinem fere triplo excedente, a genuinis discedens); feminam *Sahlberg* e *Fennia* mecum communicavit (feminis genuinis segmento 1 longiore et angustiore respondentem).

3. *Capite antennisque totis nigris.* m. — *Statura* individuorum genuinorum graciliorum; sed cellula cubitali intermedia majore et pedibus paulo brevioribus. *Longitudo* 3⅓ linearum. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula fusconigris, radice testacea; areola irregulari petiolata. *Pedes* nigri; anteriores tarsis tibiis et femorum apice rufis; postici tibiarum basi summa ferruginea. *Abdomen* sericeum, segmentis 2—5 rufis, 5 fascia fusca.

Unum individuum (an feminam aculeo abscondito?) cepi mense Iunio prope *Vratislaviam* in gramine.

Nota:

Abdomen et segmentum primum forma et proportione multum variant; aliis breviora et latiora sunt, aliis longiora et angustiora; ita, ut in copia haud parva individuorum ne duo hac ratione omnino aequalia sint.

Ctenopelma

152. T. MESOXANTHUS. n.

Segmento primo tumido; abdominis medio, facie, tibiisque flavis, harum posticis apice nigro. m.

Hic Tryphon a reliquis hujus familiae speciebus, imprimis a tribus sequentibus, quibuscum ratione coloris primo aspectu convenire videtur, segmenti primi forma et proportione facile discerni potest. Ab *Ichneumone luctatorio*, forma areolae, nec non segmenti primi petiolo et parte antica multo crassioribus, etc. satis differt.

Longitudo 6½ linearum. *Caput* palpis pallidestramineis, medio mandibularum facieque aurantiacis. *Antennae* filiformes porrectae, corporis longitudine; articulis 1—20 subtus flavis, qui color autem sensim extinguit. *Thorax* gibbus subgriseopilosellus, metathorace tuberculis duobus acutis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio

nigrofuscis, radice flava, squamula nigra; areola triangulari irregulari subsessili. *Pedes* graciles; anteriores coxis et trochanteribus nigris, his subtus flavis, femoribus nigris apice et femorum anticorum latere interno toto flavis, tibiis et tarsis flavis, horum mediis attamen superne fuscis; postici nigri, tibiis flavis apice nigro, tarsis subtus flavicantibus. *Abdomen* thorace duplo longius, vix autem paulo angustius, petiolatum; segmentis 1—3 aequilatis, sequentibus sensim angustioribus; segmento 1 nigro, subgriseopilosello, confertim puncto, lineis duabus longitudinalibus elevatis, parte antica convexa subtumida paulo longiore at fere triplo latiore quam petiolus; 2 et 3 flavis; reliquis nigris, 4 attamen macula semicirculari rufofulva basali.

Marem unicum hujus speciei insignis cepit *Schilling* prope *Vratislaviam.*

Mesolius.

153. T. NIGRICOLLIS. n.

Segmentis 1—4 pedibusque flavis, horum posticis coxis femoribus et tibiarum apice nigris; ore, macula faciali, et antennarum articulis 1 et 2 flavis. m.

Haec species a sequente pedibus gracilioribus et longioribus differt.

Longitudo 4½ linearum. *Caput* facie nigrocinerea, ore clypeo et macula faciali, cum clypeo contigua, flavis, mandibulis apice fusco. *Anten-*

nae graciles subfiliformes, corpore paulo longiores, porrectae; articulis 1 et 2 nigris subtus flavis, 3 toto nigro, sequentibus fuscis subtus dilutefer-rugineis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres sub-fumatohyalinae, stigmate et radio pallidepiceis, radice et squamula flavis; areola nulla. *Pedes* flavi subgraciles; anteriores coxis externe macula nigra; postici coxis femoribus et tibiarum apice nigris. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo lon-gius, thorace angustius, segmentis 2—5 aequi-latis; flavum, segmentis 5—7 nigris, 5 autem basi castanea; 1 subcanaliculato.

Unicum individuum, circa *Gottingam* captum, *Spangenbergio* debeo.

Colpotrochia.

154. T. ELEGANTULUS.

Femoribus crassis; fronte mutica; abdominis medio, tibiis, nec non femorum anticorum latere interno; flavis. m.

Statura et proportio partium speciei sequen-tis; at femoribus crassioribus, fronte mutica, areola nulla, differt.

Longitudo 5—6 linearum. *Antennae* subse-taceae, corpore paulo breviores, porrectae; sub-tus rufae aut ferrugineae aut fuscoferrugineae; articulo 1 nigro, subtus flavo, rarius toto flavo. *Thorax* gibbus, rarius punctis duobus flavis infra scutellum. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut testaceis, radice et

squamula flavis, areola nulla. *Pedes* breviusculi, validi; coxis et trochanteribus nigris, anticis interdum, mediis rarissime, subtus flavis; femoribus anticis subtus et apice, mediis apice solo, flavis; tibiis flavis, posticis apice summo nigro; tarsis anticis flavis, mediis flavis aut ferrugineis articulo 1 flavo, posticis vel fuscis articulo 1 ferrugineo aut flavo, vel flavis articulorum apice obscuriore. *Abdomen* capite thoraceque longius, thorace paululum angustius vel ejus latitudine, segmentis 1—4 sensim paulo dilatatis, subpetiolatum, segmento 1 basin versus sensim angustato, latitudine duplo vel paulo plus duplo longiore, canaliculato, nigro, apice flavo, tuberculis lateralibus fere in medio sitis; 2 et 3 flavis, 2 interdum puncto dorsali nigro; 4 rarius toto nigro, plerumque angulis baseos aut linea transversali ante basin flavis; reliquis nigris.

Nonnulla individua accepi circa *Vratislaviam, Warmbrunn, Gottingam, Genuam* et *Parisios* capta; vratislaviense differt a reliquis, segmento 4 toto nigro; warmbrunnensia punctis duobus flavis infra scutellum notata sunt.

Varietas:

1. *Scutelli apice flavo.* m. — *a*) Punctis duobus flavis infra scutellum; segmento quarto flavo margine nigro. *b*) Linea transversali flava infra scutellum; interdum femoribus mediis latere interno toto, posticis basi, flavis, segmentis 2 et 3

punctis duobus nigricantibus. — Caetera individuis plurimis genuinis respondent.

Var. a cepi medio Septembris in *vallo Gottingensi*, in loco aprico volitantem. — *Varietatis b* individua quaedam *in regione Pedemontana* capta, unumque circa *Parmam* captum, transmissa sunt.

Synonyma:

Ichn. elegantulus Schrank Austr. p. 361 n. 727.
„ Villers p. 181, n. 141.
„ Olivier p. 221, n. 88.
„ Gravenh. Ped. n. 127 (est varietas scutelli apice flavo).
Ichn. mandator Fabr. Mant. p. 266, n. 83; habitat Halae.
„ Fabr. Ent. p. 165, n. 132.
„ Villers p. 179, n. 134.
„ Olivier p. 187, n. 121.
Cryptus mandator Fabr. Piez. p. 86, n. 65.
Ichn. luctatorius var. scutello nigro Villers p. 144, n. 31?
„ Panzer ad Schaeff. Icon. tab. 6 fig. 13.
Anomalon mandator Trentep. in Isidis 1826. III. p. 300.

Nota:

De *Ichn. eleganttuli* Schrankii varietate *scutello flavo* dubius haereo, num ad nostri Tryphonis varietatem, numne potius ad *Ichn. luctatorium* adhibenda sit.

Ichn. mandator Linnei, quem Fabricius sub nomine *Ichneumonis firmatoris* recepit, huc haud spectat.

Caeterum autem conferre velis quae sub *Ichn. luctatorio* monui.

Tryphon (s. a.)

155. T. ELONGATOR.

Fronte cornuta; abdominis medio flavo aut rufo; tibiis nec non latere interno femorum anticorum, flavis, tibiis posticis apice nigro; antennis subtus fulvis. m. f.

Longitudo 2½—5 linearum. *Caput* ore plerumque flavescente aut rufescente, mandibularum apice nigro; cornu frontali erecto, acutiusculo aut obtuso, majore minoreve, nunquam autem longitudinem articuli primi antennarum excedente. *Antennae* setaceae, corpore breviores seu dimidio corpore paulo longiores; articulo 1 nigro, rarissime subtus ferrugineo; sequentibus ut plurimum fulvis aut ferrugineis, supra fuscis, interdum totis fulvis aut ferrugineis. *Thorax* gibbus. *Alae* vel hyalinae vel subfumatohyalinae vel fulvescentihyalinae; stigmate et radio ferrugineis aut piceostramineis, radice straminea, squamula vel nigra vel ferruginea vel straminea; areola irregulari aut subtriangulari, subpetiolata aut sessili. *Pedes* mediocres, subcrassiusculi; coxis et trochanteribus nigris; femoribus anticis flavis aut testaceis

externe basin versus nigris, mediis nigris apice flavo aut testaceo, subtus interdum fere totis testaceis, posticis totis nigris; tibiis flavis, rarius testaceis, posticarum apice et summa basi nigris; tarsis rufis aut rufoferrugineis, unguibus fuscis. *Abdomen* subpetiolatum, capite thoraceque longius, individuis minoribus autem illorum longitudine, thoracis latitudine vel paulo angustius, subclavatum aut subovatum aut fusiforme; segmento 1 canaliculato aut subcanaliculato, apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo aut plus duplo longiore, plerumque nigro, margine rufo aut fulvo, interdum fere toto rufo aut fulvo, basi sola nigra, rarius toto nigro, tuberculis lateralibus inter medium et basin sitis; 2—4, interdum etiam basi quinti, rarissime autem 5 toto, flavis aut fulvis, rarius fulvo flavoque variis, rarissime basi fuscescentibus. *Aculeus* brevissimus niger, saepius omnino absconditus.

Haec species inter vulgatissimas censenda est. Multa legi individua mensibus Iunio — Septembri, ubique in *Silesia*, nec non circa *Gottingam*, *Helmstadium* et *Oedelem*, in pratis sylvis et hortis, ubi praesertim plantas umbelliferas frequentabant, vero etiam in locis graminosis et fruticetis circumvolitabant. Multa alia individua, circa *Halam Saxonum*, *Hannoveram*, *Norimbergam*, *Sickershausen*, *Trajectum ad Moenum*, *Friburgum*, in *Hercynia*, nec non circa *Parisios*, *Monspessulanum*, *Genuam*, in *Regione Pedemontana*, in *Volhynia* et *Tauria*, capta, mihi transmissa sunt.

Varietates:

1. *Antennis totis fuscis*, vel *femoribus anticis totis flavis*, caeteris autem cum individuis genuinis convenientes, passim reperiuntur.

2. *Fronte mutica*. m. — *Longitudo* 4—4½ linearum. *Caput* interdum palpis, macula mandibularum et labro, testaceis. *Antennae* articulis 1 et 2 nigris, sequentibus vel totis nigris vel testaceis supra fuscis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice flava, squamula nigra; areola triangulari irregulari subsessili. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus nigris, anterioribus apicem versus et subtus fulvoflavis, mediis interdum solo apice flavo; tibiis flavis, posticis apice nigro; tarsis fulvis, posticis vel totis vel apicem versus fuscis. *Abdomen* vel segmentis 2—4 rufis; vel segmento 1 rufo basi petioli nigra, 2—5 testaceorufis, 5 margine nigro.

Individuum unum cepi mense Augusto, in umbellatis prope *Cudowam*, una cum multis individuis genuinis; alterum cepit *Richter* prope *Vratislaviam*, idque majus, ore et antennis totis nigris, femoribus mediis solo apice flavo, segmentis 1—5 rufis.

Synonyma:

Ichn. elongator Fabr. Piez. p. 67, n. 72.
„ Gravenh. Ped. n. 128.
„ Trentep. in Iside 1826 p. 224, n. 41 (exclusa varietate *a*, quae ad marem *Crypti titillatoris* spectat).

Nota:

Fabricius loco allegato dicit quidem, pedes esse rufos, femoribus posticis nigris, nec coloris nigri femorum anteriorum coxarum et trochanterum, nec coloris flavi tibiarum, mentionem facit; sed ob acumen parvum acutum frontis, quod Fabricius illi speciei tribuit, haud dubito quin ille Ichneumon ad hanc nostram speciem adhiberi debeat. Num autem Fabricius, sub nomine *Ichn. elongatoris*, forsan duas species confuderit, cum in Ent. Syst. p. 165, n. 130 illius acuminis mentio nulla facta sit, haud possum dijudicare. Idem dubium obtinet de *Ichn. elongatore* auctorum, qui descriptionem ejus verbotenus e Fabricii scriptis, ante Entomologiam systematicam editis, excerpserunt; nam hic Ichn. elongator auctorum ad marem *Alomyae ovatoris* quoque adhiberi potest.

Schaefferi Iconum tab. 168, fig. 8, quam Panzer pro *Ichn. elongatore* habet, nec cum hoc nostro Tryphone, nec cum *Alomya ovatore*, convenit; Panzer vero etiam addit haec verba „*respondet apprime pictura originalis descriptioni hujus speciei, nec vero exemplum coloratum.*"

156. T. FLAVIPES. n.

Abdominis medio femoribusque anterioribus fulvis; tibiis flavis, posticis apice nigro. m.

Statura et proportio partium intermediae sunt inter varietatem secundam (fronte mutica) speciei

antecedentis, et *Tr. vernalem;* ab hoc autem *flavipes* differt antennis pedibusque paulo crassioribus, ab illa autem his membris paulo gracilioribus.

Longitudo 5 linearum. *Caput* macula mandibularum alteraque clypei ferrugineis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et radice piceostramineis, squamula ferruginea; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* anteriores diluterufi; tibiis tarsisque flavis, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, tibiis flavicantibus apice nigro. *Abdomen* segmentis 2 et 3, nec non angulis baseos quarti, rufofulvis.

Marem unicum cepi, mense Augusto, prope *Cudowam* in gramine.

Tryphon (s. d.)

157. T. BRACHYACANTHUS.

Fronte cornuta; abdomine pedibusque fulvis. m. f.

Longitudo $2\frac{1}{3}$—$3\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* palpis et mandibulis testaceis aut ferrugineis, his apice nigro; labro fuscoferrugineo, rarius fusco; tuberculo frontali erecto obtuso brevi, vel teretiusculo, vel subtus concavo basin versus angustiore. *Antennae* subfiliformes, corpore paulo breviores, apice subincurvae, subtus fuscae aut fuscoferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* gibbus. *Alae* fumatohyalinae seu subhyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula flavis aut testaceis;

areola irregulari subsessili. *Pedes* mediocres, fulvi; femoribus posticis saepe geniculo fusco, rarius nigro. *Abdomen* subpetiolatum, *maris* capitis thoracisque longitudine vel paulo longius, thorace angustius, oblongum aut sublineare, *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, apice crassiore quam in mare; fulvum; segmento 1 laevissimo, apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo aut plus duplo longiore, rarissime basi et puncto dorsali nigris, interdum nigro apice fulvo, tuberculis lateralibus in medio vel paulo ante medium sitis. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Mares et feminas cepi mensibus Iulii et Augusti, in umbellatis, rarius in fruticetis, circa *Cudowam, Scheidnich, Helmstadium, Oedelem, Barterodam.* Alia individua, circa *Norimbergam, Sickershausen, Hannoveram, Trajectum ad Moenum, Genuam, Parmam, Florentiam,* in *Regione Pedemontana* et in *Volhynia*, capta, mihi transmissa sunt. *Pedemontana*, omnia sexus masculini, a reliquis segmento 1 nigro apice fulvo se distinguunt. Mas prope *Florentiam* captus, segmenti primi basi et puncto dorsali nigris, longitudineque 3½ linearum insignis est.

Synonyma maris:

Ichn. testaceus Gmel. ed. Linn. p. 2702, n. 303 (haud *I. test.* Fabr. qui ad nostrum *Tr. testaceum*, n. 17, adhibitus est).

Synonyma feminae:

Ichn. brachyacanthus Gmel. ed. Linn. p. 2705, n. 325 (haud pag. 2679, n. 229, qui *Ichn. molitorio* affinis est).

158. T. SCOTOPTERUS.

Alis fuscohyalinis; abdomine pedibusque fulvis, basi nigris. m.

Statura et proportio partium omnino speciei praecedentis; segmento 1 autem paulo breviore et latiore, fronteque mutica, differt.

Longitudo 2¼—2½ linearum. *Corpus* subsericeum. *Caput* ore stramineo, mandibulis apice nigro. *Antennae* filiformes, subtus ferrugineae. *Alae* mediocres, fusco- aut nigro-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula piceostramineis; areola irregulari subsessili. *Pedes* fulvi, coxis nigris. *Abdomen* fulvum; segmento 1 subsessili, latitudine longiore, apicem versus sensim dilatato, nigro.

Individuum *austriacum Dahl* mecum communicavit; *gallicum Brongniartio* debeo.

Varietates:

1. *Abdomine toto rufo aut fulvo,* m. f. — *Statura* et proportio partium maris sicut in mare genuino; femina statura et membris paulo crassioribus quam in mare. — *Longitudo* maris 2¾ linearum, feminae paulo ultra 3 lineas. *Corpus* griseo-

sericeum. *Caput* ore fulvo. *Antennae maris* corporis longitudine, fuscae aut ferrugineae, subtus fulvae, *feminae* subtus ferrugineae, articulis 1 et 2 totis nigris (ultimis deficientibus). *Alae* amplae, maris nigrohyalinae aut fumatohyalinae, feminae hyalinae; stigmate et radio nigris aut ferrugineofuscis, radice et squamula pallidefulvis. *Pedes* feminae paulo longiores pauloque graciliores quam mari; fulvi; coxis nigris, maris apice fulvo. *Abdomen* maris fulvum, feminae rufum; segmento 1 basi fusca. *Aculeus* exsertus brevissimus, niger.

Par *pedemontanum* hujus varietatis *Bonelli* transmisit; marem alterum, alis obscurioribus, *Hartlieb* mense Majo prope *Vratislaviam* cepit.

2. *Abdomine pedibusque totis fulvis.* f. — *Statura* intermedia inter marem et feminam varietatis primae. *Longitudo* 2⅔ linearum. *Caput* ore fulvo. *Antennae* fuscae, subtus dilutefulvae, (apice mutilato). *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallidefulvis. *Pedes* fulvi, tarsis posticis fuscescentibus. *Aculeus* brevissimus niger.

Hanc feminae varietatem *pedemontanam Bonelli* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. scotopterus Grav. Ped. n. 129.

159. T. CEPHALOTES. n.

Capite crassiusculo; abdomine rufo basi nigra; pedibus rufis, coxis et trochanteribus anterioribus flavis, posticis nigris; facie et genis flavis.

Statura et proportio partium omnino *Tr. luciduli*, n. 104, et *mitigosi*, n. 168.

Longitudo 2⅔—3¼ linearum. *Caput* subglobosum; vertice rectangulo, longitudine vix duplo latiore; facie genis et ore flavis, mandibulis apice nigro. *Antennae* graciles, corporis longitudine, vel paulo breviores, porrectae, setaceae, apice subcurvatae, fuscae, subtus ferrugineae aut ferrugineofuscae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, hyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula flavis; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi; coxis anterioribus flavis, posticis nigris; trochanteribus flavis, posticis plerumque supra nigris; femoribus posticis interdum basi apiceque nigris. *Abdomen* subpetiolatum, nitidum, capitis thoracisque longitudine vel paulo longius, thoracis latitudine, ovatum seu oblongoovatum; segmento 1 apicem versus sensim latiore, latitudine duplo longiore, canaliculato, nigro, interdum puncto marginali rufo, tuberculis lateralibus paululum ultra medium sitis; reliquis rufis, 2 plerumque maculis duabus nigris ad basin, 5—7 margine subflavicante, 6 et 7 interdum lateribus nigris. *Aculeus* absconditus (an mas?).

Unum individuum *Roentgen* cepit mense Iunio in *Hercynia;* alterum, *hannoveranum*, *Reusmann* mecum communicavit.

Varietas:

1. *Femoribus posticis totis nigris.* — Caetera speciei genuinae respondent.

Unicum individuum, circa *Hannoveram* captum, *Reusmann* transmisit.

160. T. SPHAEROCEPHALUS. n.

Segmentis 1—4 pedibusque fulvis, coxis anterioribus et trochanteribus flavis, geniculis posticis nigris; facie flava; antennis subtus fulvis. f.

Longitudo 3 linearum. *Caput* subglobosum, facie ore et genis flavis. *Antennae* porrectae setaceae, corpore breviores, fuscae, subtus fulvoferrugineae; articulis 1 et 2 nigris, subtus flavis. *Thorax* gibbus. *Alae* subamplae hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres validiusculi fulvi; anteriores coxis et trochanteribus flavis; postici trochanteribus flavis, apice femorum nigro. *Abdomen* subsessile, oblongoovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, fulvum; segmentis 5—7 nigris, 7 mar-

gine summo flavo; 1 apicem versus sensim parum dilatato, latitudine vix paulo longiore. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Feminam unicam *genuensem a Spinola* mihi transmisit.

161. T. PASTORALIS. n.

Abdominis medio rufo; pedibus rufis, posticorum tarsis et apice femorum tibiarumque nigris; ore flavo. f.

Statura et proportione partium haec species intermedia est inter *Tr. procuratorem*, n. 174, et *mitigosum*, n. 168; ab hoc differt segmento 1 breviore et latiore, 2 linea transversali impresso; a *procuratore*, antennis paulo longioribus (an hujus varietas?).

Longitudo 2½ linearum. *Caput* ore flavo. *Antennae* subtus ferrugineae. *Alae* hyalinae, radio et stigmate fuscis, radice et squamula flavis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* rufi; postici apice femorum et tibiarum tarsisque nigricantibus. *Abdomen* subsessile; segmento 1 laevi, basin versus sensim paulo angustato, nigro; 2—4 rufis, 2 linea transversali impressa; sequentibus nigris margine summo exalbido, 5 basi summa nigra. *Aculeus* exsertus brevis niger.

Feminam unicam *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

Varietates:

1. *Pedibus posticis totis rufis.* f. — *Statura* et proportio partium omnino speciei genuinae, sed cellula cubitali intermedia nulla. — *Longitudo* 2⅔ linearum. *Caput* ore et clypeo stramineis. *Antennae* ferrugineae, subtus dilutiores, articulo 1 supra nigro. *Alae* hyalinae aut subhyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula albidis. *Pedes* rufi, interdum coxis posticis nigris. *Abdomen* segmento 1 nigro margine summo rufo; 2—4 rufis; 2, interdum etiam 3, linea transversa impressa; reliquis nigris summo margine subcanescente.

Unum cepi individuum die 7 Iulii prope *Gottingam* in umbellatis; alterum *Manger* prope *Warmbrunn* cepit.

2? *Pedibus posticis rufis, tarsis et tibiarum apice fuscis.* f. — (Caput deest). *Abdomen* paulo angustius quam in femina genuina; segmentis 2 et 3 rufis; 4 nigro, castaneolimbato; 2 linea transversa impressa obsoleta. — Caetera sicut in specie genuina.

Unicam feminam *ab Uechtritz* mense Iunio circa *Marienthal* cepit.

Tryphon (s. a.)

162. T. QUADRISCULPTUS.

Segmentis 1—4 linea transversali impressis, rufopictis; pedibus rufis, posticorum coxis tarsis et tibiarum apice fuscis. m.

Habitus speciei praecedentis, sed *statura* tota graciliore, segmentis profundius impressis; his Tryphon noster accedit ad familiam primam *Bassorum*, a qua autem forma segmenti primi haud quadrati, sed basin versus sensim angustati, differt.

Longitudo paulo ultra 2 lineas. *Caput* parvum, thorace angustius. *Antennae* filiformes, vix corpore dimidio paululum longiores. *Thorax* gibbulus, lineola testacea obsoleta infra alas. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula albidis; areola nulla, nervo, cellulam interiorem et exteriorem sejungente, prebrevi. *Pedes* subgraciles, testaceorufi; medii coxis subtus fuscescentibus; postici coxis et tarsis fuscis, tibiis albidotestaceis apice et puncto ante basin fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongum; segmento 1 basin versus sensim angustato, sessili, latitudine longitudinis, canaliculato, praetereaque linea transversali inciso, nigro, margine rufo; 2—4 linea transversali incisis, rufis; 2 basi et margine, 3 et 4 margine solo, nigrofuscis; reliquis totis nigris.

Individuum unicum *pedemontanum Bonelli* transmisit.

Synonyma:

Ichn. quadrisculptus Grav. Ped. n. 130.

163. T. BISCULPTUS. n.

Segmentis 2 et 3 linea transversali impressis, rufis, punctis duobus nigris; pedibus rufis, geniculis posticis coxisque nigris, trochanteribus flavis; ore et maculis faciei flavis. m.

Longitudo 3¼ linearum. *Corpus* subgriseosericeum. *Caput* subglobosum; ore et maculis faciei duabus, apice incisis, flavis. *Antennae* subsetaceae, porrectae, corpore breviores, rufae, supra obscuriores; articulis 1 et 2 nigris, subtus flavis. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae; stigmate et radio fuscis, basin versus stramineis; radice et squamula pallidestramineis; areola parva, irregulari, petiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis nigris, trochanteribus flavis; postici praeterea geniculis nigris, tarsis fuscis basi rufa. *Abdomen* sessile, capite thoraceque paulo longius, latitudine thoracis, fusiformicylindricum; segmento 1 latitudine longitudinis, basin versus sensim paulo angustato, subscabriculo, lineis duabus elevatis; 2 et 3 longitudine duplo latioribus, linea transversali impressis, rufis, singulo punctis duobus dorsalibus nigris; reliquis nigris, 4 angulis baseos rufis.

Marem unicum cepi die 1 Septembris in umbellatis prope *Reinerz.*

164. T. FLAVOMACULATUS. n.

Segmentis 3 et 4 rufis; pedibus fulvis, coxis anterioribus trochanteribusque flavis, coxis posticis nigris; ore et maculis faciei flavis. m. f.

Statura et proportio partium *maris* sicut in *Tr. cephalote* n. 159, sed capite haud globoso, abdomine plerumque angustiore. *Femina* statura crassiore a mare discedit, magisque cum femina minore *Tr. nasuti*, n. 172, convenit.

Longitudo maris $2\frac{1}{4}$—$2\frac{3}{4}$, feminae 3 linearum. *Caput* ore flavo, mandibulis apice nigro; facie *feminae* flava, lineola abbreviata nigra, *maris* maculis duabus majoribus minoribusve, interdum etiam puncto genarum, flavis. *Antennae maris* nigrae, subtus ferrugineae rarius fuscae, articulis 1—3 vel totis nigris vel 1 et 2 subtus flavis; *feminae* rufae, subtus dilutiores, articulis 1 et 2 totis nigris. *Alae* fumatohyalinae, maris interdum hyalinae irideae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula flavoalbis; areola subirregulari subpetiolata aut subsessili. *Pedes* maris fulvi, feminae rufi; anteriores coxis et trochanteribus pallideflavis aut stramineis; postici coxis nigris, apice plerumque rufo, maribus interdum subtus pallideflavis, trochanteribus maris pallideflavis plerumque puncto fulvo. *Abdomen maris* subsessile, capitis thoracisque longitudine vel paulo longius, plerumque thorace angustius; segmento 1

apicem versus sensim paulo dilatato, latitudine duplo longiore, nigro; 2 nigro, margine rufo, rarius quoque lateribus aut macula baseos rufis; 3 et 4 rufis, plerumque puncto laterali, interdum dorsali, nigro; reliquis nigris; *feminae* crassius; segmento 1 nigro apice rufo; 2 rufo, punctis duobus dorsalibus nigris; 3 et 4 rufis, margine subfusco; 5 et 6 nigris; 7 testaceo. *Aculeus* brevissimus subexsertus rufus.

Mares nonnullos, circa *Warmbrunn* captos, *Manger* mecum communicavit. Feminam unicam ipse cepi in umbellatis circa *Cudowam*, mense Augusto.

Varietates:

1. *Coxis nigris, anterioribus subtus flavicantibus.* m. — *Caput* ore et facie flavis. *Abdomen* segmento 1 nigro; 2 nigro, apice et lateribus rufis; 3 rufo, puncto dorsali nigro; 4 rufo, margine fuscescente; reliquis nigris. — Caetera sicut in mare genuino.

Unum vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

2. *Facie genisque totis nigris.* m. — *Antennae* articulis 1 et 2 totis nigris. *Coxae* anticae flavae, mediae nigrae apice flavo, posticae totae nigrae. *Tibiae* posticae basi summa flavicante.

Unicum individuum, circa *Warmbrunn* captum, accepi.

3. *Facie genis et segmento quarto totis nigris.* m. — *Antennae* subtus fuscoferrugineae aut fus-

cae, articulis 1 et 2 totis nigris. *Coxae* anteriores albidae basi nigra, posticae nigrae apice albo. *Segmento* 3 vel toto rufo vel basi nigra; reliquis nigris. — Caetera sicut in mare genuino.

Mares duos cepi mensibus Maji et Iulii in gramine et in fruticeto prope *Scheidnich.*

165. T. ORBITALIS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis posticis nigris; facie et orbitis oculorum externis flavis.

A speciebus confinibus (*Tr. albopicto*, n. 166, *flavomaculato*, n. 164, *xanthostomo*, n. 167) haec imprimis antennis longioribus et gracilioribus, capiteque crassiore, discernitur.

Longitudo 2¾ linearum. *Caput* subglobosum, thorace paulo latius; ore facie et orbitis oculorum externis latis pallideflavis. *Antennae* graciles, filiformes, corpore paululum longiores, fuscae; subtus articulis 1 et 2 testaceis, sequentibus ferrugineis sensim obscurioribus. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* fumatohyalinae, irideae, stigmate et radio piceis, squamula et radice pallidestramineis, illa puncto fusco; areola irregulari suborbiculata subpetiolata. *Pedes* diluterufi; coxis posticis totis, anterioribus basi, nigris; femoribus posticis externe basin versus fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine; segmento 1 latitudine fere duplo longiore,

basin versus sensim angustato, lineis duabus elevatis, tuberculis lateralibus in medio sitis, nigro, margine rufo; 2—4 rufis, 4 margine nigro; 5 nigro basi rufa; reliquis nigris. Ex ano prominent valvulae duae breves compressae, de quibus incertus sum, num ad genitalia masculina num ad feminina censendae sint.

Unicum individuum cepit *Hartlieb* mense Majo circa *Vratislaviam*.

Eurypproctus, Mesolei

166. T. ALBOPICTUS. n.

Abdominis medio rufo; pedibus fulvis, coxis anterioribus trochanteribusque albidis, tibiis posticis exalbidis apice fusco; facie et puncto infra alas albidis. m.

Statura et proportio partium omnino *Tr. dorsalis*, n. 148. Peraffinis etiam est *Tr. flavomaculati* mas; sed *albopictus* segmenti primi petiolo tenuiore gaudet.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* ore et facie albidis. *Antennae* subtus articulis 1 et 2 albidis; 3—7 albidotestaceis sensim obscurioribus. *Thorax* puncto albido infra alas. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis; areola alae sinistrae nulla, dextrae irregulari subpetiolata nervo exteriore subobsoleto. *Pedes* fulvi; anteriores coxis et trochanteribus albidis; postici coxis nigris apice exalbido, trochanteribus albidis puncto fusco, tibiis exalbidis apice fusco, tarsis fuscis. *Abdomen* apice crassiusculum; seg-

mento 1 nigro; 2 rufo, punctis duobus dorsalibus nigris; 3 rufo; reliquis nigris, margine summo exalbido; 4 linea media transversali rufa.

Individuum unicum cepit *Manger* circa *Warmbrunn.*

Varietates:

1? *Pedibus anterioribus basi nigromaculatis, facie flavomaculata, thorace toto nigro.* m. — A mare genuino differt capite minore, abdomine et segmento 1 brevioribus, areola distincta etc. An species peculiaris? — *Longitudo* 2½ linearum. *Caput* ore et maculis duabus magnis subcontiguis faciei flavis. *Antennae* articulis 1 et 2 subtus puncto flavo, 3 toto nigro, sequentibus subtus rufis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis, areola subirregulari subpetiolata. *Pedes* coxis nigris, anticis subtus macula flava; trochanteribus flavis, posterioribus basi nigra; femoribus rufis; tibiis pallidetestaceis, posticis apice nigro; tarsis testaceis, posticis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, oblongum; segmento 1 canaliculato, nigro; 2 et 3 rufis; sequentibus nigris, 4 linea media transversa castanea.

Individuum unicum *Manger* cepit prope *Warmbrunn.*

2. *Tibiis posticis rufis apice nigro; thorace antice biguttato.* m. — A specie genuina abdomine angustiore, antennis paululum longioribus,

differt. — *Longitudo* 2¾ linearum. *Caput* ore et facie flavis. *Antennae* fere corporis longitudine; subtus rufae, articulis 1 et 2 albis. *Thorax* guttis duabus dorsalibus ante collum, punctoque infra alas, albis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceofuscis, radice et squamula albis; areola nulla. *Pedes* anteriores fulvi, coxis et trochanteribus alboflavis; postici coxis nigris, trochanteribus alboflavis superne macula nigra, femoribus tibiisque diluterufis apice nigris, tarsis nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius; segmentis 2—5 aequilatis; 1 subcanaliculato, basin versus sensim parum angustato, latitudine duplo longiore nigro; 2 et 3 subquadratis; sequentibus transversalibus sensim brevioribus; 2—4 fulvorufis, 2 punctis duobus dorsalibus nigris.

Hoc individuum *fennicum Sahlbergio* debeo.

167. T. XANTHOSTOMUS. n.

Abdominis medio rufo; pedibus rufis, coxis nigris, trochanteribus flavis basi nigra; ore et puncto faciali flavis. f.

Longitudo 2⅔—3½ linearum. *Caput* ore et puncto faciali subfurcato (furca os versus directa), interdum perparvo, flavis. *Antennae* corpore paulo breviores, vel ejus longitudine, curvatae; articulis 1—4 totis nigris, sequentibus subtus ferrugineis sensim dilutioribus, ultimis interdum totis rufis. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumatohyali-

nae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallideflavis; areola irregulari petiolata. *Pedes* mediocres subgraciles rufi, tibiis subtus flavicantibus; coxis nigris; trochanteribus flavis basi nigra; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* subpetiolatum, capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, latitudine thoracis, oblongum, apice crassum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo vel paulo plus duplo longiore, canaliculato, nigro, apice rufo, tuberculis lateralibus paululum ultra medium, vel fere in ipso medio, sitis; 2—4 rufis, 4 interdum margine nigro; sequentibus nigris, summo margine pallido; ventre flavicante. *Aculeus* absconditus.

Feminas paucas cepi circa *Vratislaviam* et *Warmbrunn*, mensibus Iulii et Augusti, in gramine et fruticetis.

Nota:

Hic Tryphon, petiolo abdominis distinctiore et angustiore, transit in familiam primam; praesertim autem ad *Mesoleptum fulvipedem*, n. 35, propius accedit, cujus femina forsan esse posset, nisi areola differret.

168. T. MITIGOSUS. n.

Segmentis 2—6 pedibusque rufis, coxis posticis basi nigris; facie flava. f.

Longitudo 3¼—3 linearum. *Caput* facie oreque flavis aut flavoferrugineis; apice mandibu-

larum et puncto seu linea faciei nigris. *Antennae* filiformes, corpore breviores, apice subcurvatae, fuscoferrugineae, subtus dilutiores, articulis 1 et 2 nigris subtus subferrugineis aut flavis. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula flavescentibus; areola triangulari irregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi aut rufofulvi; trochanteribus, vel etiam coxis, pallidioribus, coxis posticis basi aut fere totis superne nigris. *Abdomen* subsessile, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, profunde canaliculato, latitudine vix duplo longiore, nigro toto vel apice rufo, tuberculis lateralibus ultra medium sitis; 2—4 subaequilatis, rufis; 5 et 6 rufis, margine subflavicante; 7 nigricante, margine flavicante aut rufo. *Aculeus* brevissimus exsertus.

Duas accepi feminas, circa *Norimbergam* et *Warmbrunn* captas.

Varietates:

1. *Solis segmentis 2—4 rufis.* f. — *Caput* ore et facie totis flavis. *Abdomen* nigrum; segmentis 2—4 rufis, 5 et 6 margine pallido. — Caetera sicut in femina genuina.

Unicum coram habeo individuum, nescio unde missum.

2. *Segmentis 2—5 castaneis, lateribus nigris.* f. — *Corpus* totum paulo crassius quam in

femina genuina. *Longitudo* paulo ultra tres lineas. *Caput* ore, macula genarum, maculisque duabus magnis faciei, flavis. *Antennae* fuscae, subtus ferrugineae; articulis 1 et 2 totis nigris. *Alae* sicut in femina genuina. *Pedes* rufi, anteriores coxis et trochanteribus flavis, postici coxis nigris trochanteribus flavis. *Abdomen* segmento 1 nigro, puncto marginali castaneo; 2—5 rufocastaneis, lateribus nigris, 2 etiam basi nigra, 5 margine flavicante; 6 et 7 nigris margine flavicante. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Hanc varietatem *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

3. *Facie nigra.* f. — *Longitudo* vix 2 linearum. *Caput* ore dilute fulvo. *Antennae* nigrofuscae, basi nigra. *Pedes* rufi, postici coxis nigris subtus apice rufo. *Abdomen* paululum latius magisque ovatum quam in specie genuina. — Caetera feminae genuinae respondent.

Unicum individuum *fennicum Sahlberg* transmisit.

4. *Facie et coxis omnibus nigris.* f. — *Longitudo* fere 3 linearum. *Caput* ore flavo. *Antennae* rufae, supra basin versus fuscae, articulis 1 et 2 totis nigris. *Alae* sicut in femina genuina. *Pedes* rufi; coxis nigris, anterioribus subtus flavicantibus; trochanteribus anterioribus flavis. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice rufo; 2—5 rufis, 5 apice nigro margine pallescente; 6 et 7 nigris margine pallidiore. *Aculeus* exsertus brevis.

Capta est cum varietate secunda.

169. T. NOTATUS. n.

Segmentis 2 et 3 rufis, nigronotatis; pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris; ore flavo aut ferrugineo. m. f.

Longitudo 2 ⅓ — fere 3 linearum. *Caput* ore et clypei margine, vel clypeo toto, flavis aut rufescentibus; mandibulis apice et basi nigris. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, recurvae: articulis 1 et 2 nigris, rarius in femina subtus ferrugineis; sequentibus vel nigris aut fuscis, vel, praesertim in femina, ferrugineis supra parum obscurioribus. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula flavis; interdum vestigio obsoletissimo nervi exterioris areolae triangularis irregularis subpetiolatae. *Pedes* mediocres rufi; coxis et trochanteribus nigris, anterioribus ut plurimum subtus ferrugineis; tarsis posticis interdum fuscis. *Abdomen* maris paulo gracilius quam feminae; subpetiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore, canaliculato, nigro, margine plerumque rufo, tuberculis lateralibus paulo ultra medium sitis; 2 et 3 rufis, punctis duobus nigris, interdum obsoletis, interdum autem magnis et in fasciam coalitis, 3 interdum praeterea margine et lateribus nigris; 4 rarius toto nigro aut rufo, plerumque margine aut dorso rufo castaneove, semper autem

margine summo pallido aut flavo; 5—7 nigris, margine summo flavo aut pallescente. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Mares et feminas legi, mensibus Iulii et Augusti, in umbellatis circa *Warmbrunn* et *Oedelem;* quaedam feminae, in *Austria* et circa *Norimbergam* captae, transmissae mihi sunt.

Varietas:

1. *Trochanteribus anterioribus totis fulvis, tibiis posticis apice fusco.* m. — *Longitudo* 3 linearum. *Os* rufescens. *Antennae* totae nigrae. *Alae* nullo vestigio areolae. *Pedes* fulvorufi, coxis omnibus nec non basi trochanterum posticorum nigris, tibiis posticis stramineis apice nigrofusco, tarsis posticis fuscis basi straminea. *Abdomen* segmento 2 rufo, fascia media nigra; 3 rufo, puncto nigro laterali.

Individuum unicum *hungaricum Comes de Küenburg* transmisit.

170. T. SUBSPINOSUS. n.

Segmentis 2 et 3 pedibusque rufis, coxis nigris; areola nulla. m.

Statura etc. haec species medium tenet inter *Tr. procuratorem;* n. 174, et *notatum*, n. 169; ab hoc segmento 1 paulo breviore et basin versus minus angustato, ab illo defectu areolae differt, ab ambobus autem abdomine subtiliter puncto, minus nitido.

Longitudo 2½ — fere 3 linearum. *Thorax* metathorace tuberculis duobus parvis acutiusculis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate squamula et radio fuscis, radice pallideflava. *Pedes* rufi coxis nigris; postici etiam trochanterum basi nigra, tarsis et tibiarum apice fuscescentibus. *Abdomen* subtiliter punctum, nitidulum, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 canaliculato, basin versus sensim angustato, latitudine paulo longiore, segmentis 2 et 3 rufis.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Trematopygus.

171. T. VELLICANS. n.

Antennis, abdominis medio, pedibusque rufis, coxis nigris; areola nulla. m.

Statura et proportio partium speciei praecedentis; sed antennis pedibusque paulo gracilioribus, thorace mutico.

Longitudo 2½—3¼ linearum. *Caput* mandibularum medio, interdum quoque clypei disco, rufo. *Antennae* graciles filiformes, corpore breviores, diluterufae, supra interdum fuscoferrugineae; articulis 1 et 2 vel totis vel superne nigris. *Alae* fumatohyalinae; stigmate radio et squamula fuscis, hac apice subtestaceo, radice pallideflava. *Pedes* rufi, coxis nigris, anticis interdum subtus rufis; postici tarsis nec non tibiarum et femorum apice fuscescentibus. *Abdomen* subtiliter

punctum, nitidulum; segmento 1 nigro, margine summo castaneo; 2 et 3, nec non basi quarti, castaneis. — Ex *ano* individui majoris (anus minoris mutilatus est) eminent *styli* duo cornei forcipati (fere quemadmodum in Forficulae auriculariae femina, sed breviores).

Individua duo cepit *Richter* mense Majo circa *Vratislaviam;* majus est antennis rufis, articulis 1 et 2 superne nigris, coxis anticis subtus rufis.

172. T. NASUTUS. n.

Segmentis 2—5 pedibusque rufis, coxis nigris, tarsis posticis et apice tibiarum posticarum nigris. m. f. (Facie ore et trochanteribus *maris* flavis, *feminae* nigris.)

Longitudo 3—3⅓ linearum. *Caput maris* facie oreque flavis, lineola longitudinali abbreviata faciei et apice mandibularum nigris. *Antennae* subfiliformes, corporis fere longitudine, apice subrecurvatae, vel totae nigrae, vel fuscae articulo 1 nigro. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumato-hyalinae; stigmate et radio fuscis, radice flava, squamula maris flava feminae nigra; areola nulla. *Pedes* subgraciles; anteriores rufi aut rufofulvi, *maris* trochanteribus flavis, coxis nigris apice flavo, *feminae* coxis et trochanteribus totis nigris; postici nigri, femoribus rufis, tibiis basi fuscorufescente, rarius rufis apice nigro. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, thorace vix paulo

angustius, feminae apice crassiore; segmento 1 apicem versus latiore, canaliculato, subsessili, latitudine longiore, nigro; 2—5 aequilatis, rufis aut castaneis, 5 rarius fusco; 6 et 7 nigris. *Aculeus* vix exsertus.

Marem et feminas cepi mense Iunio in umbellatis prope *Barterodam;* marem alterum *Roentgen* eodem mense retulit ex *Hercynia.*

173. T. MELANOCERUS. n.

Segmentis 2—4 et pedibus rufis, coxis nigris; areola parva petiolata. m.

Longitudo 3—3⅓ linearum. *Caput* palpis et mandibulis rufis aut ferrugineis, his apice et basi nigris; labro interdum rufo. *Antennae* filiformes, subgraciles, fere corporis longitudine. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula stramineoalbis; areola parva aut minuta, irregulari, petiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis et interdum trochanterum basi nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, subpetiolatum; segmento 1 canaliculato, latitudine plus duplo longiore, basin versus sensim angustato, nigro, tuberculis lateralibus in medio, vel paulo ante medium, sitis; 2—4 rufis, 4 interdum margine nigricante; 5—7 nigris.

Mares nonnulli, circa *Warmbrunn, Norimbergam* et *Parisios* capti, mecum communicati sunt.

Trematopygus.

174. T. PROCURATOR.

Segmentis 2 et 3 pedibusque rufis, coxis nigris, m. f. (*Fem.* antennis medio crassioribus).

Longitudo 2½—3 linearum. *Caput* palpis et mandibulis ferrugineis, mandibulis apice et basi nigris. *Antennae* subfiliformes, apice curvatae, corpore breviores; feminae medio paulo crassiores, apicem et basin versus sensim graciliores (quibus haec species ab omnibus cospeciebus hujus generis discernitur), paulo breviores quam mari. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fusconigris, radice et squamula stramineis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis nigris; postici tarsis nigricantibus, maris interdum apice femorum et tibiarum nigricante. *Abdomen* subsessile, capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, feminae apice crassiore; segmento 1 apicem versus paululum dilatato, latitudine longiore, subcanaliculato, scabriculo, plerumque opaco, nigro, interdum margine rufo; reliquis nitidioribus; 2 rufo, macula dorsali nigra; 3 rufo; 4 nigro basi summa rufa; 5—7 nigris. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Marem et feminam cepi mense Maji in gramine circa *Gottingam;* feminas nonnullas eodem mense circa *Vratislaviam.*

Varietates:

1. *Trochanteribus nigris.* m. — *Longitudo* 2⅓—3 linearum. *Caput* interdum clypeo et man-

dibularum macula ferrugineis. *Alae* stigmate et radio, plerumque etiam squamula, nigris aut fuscis, radice albida; areola vel sicut in specie genuina, vel minuta triangulari irregulari petiolata. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici plerumque summo femorum et tibiarum apice fusco, tarsis fuscescentibus. *Abdomen* segmento 1 interdum summo margine rufo, 2 et 3 totis rufis, reliquis nigris.

Nonnullos mares cepi passim in *Silesia*, mensibus Augusti et Septembris, in umbellatis.

2. *Trochanteribus nigris, segmento quarto rufo.* m. — *Statura* crassior est quam in reliquis hujus speciei individuis. *Longitudo* 3¼ linearum. *Caput* palpis et mandibulis fulvoflavis. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici etiam apice femorum et tibiarum nigricante. *Abdomen* segmento 1 margine rufo; 2 et 3 rufis, 2 linea transversali impressa (cujus vestigium vero etiam in feminis genuinis conspici solet); 4 rufo margine nigro.

Marem unicum *pedemontanum Bonelli* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. procurator Grav. Ped. n. 131.

175. T. ZONARIUS.

Segmento 2, vel etiam 3, rufo; pedibus rufis, coxis trochanteribus et femorum basi nigris, tibiis basi alba. m. f.

Statura et proportio partium omnino *Tr. brunniventris* et *rutilatoris*, femoribus posticis autem crassioribus. Mas gracilior.

Longitudo 3 linearum; femina interdum paulo major. *Caput* labro interdum obscuroferrugineo. *Antennae* filiformes, corpore breviores. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris aut fuscis, radice straminea; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus nigris apice rufo, anticis subtus interdum fere totis rufis, posticis crassiusculis rufis, subtus vel puncto basali vel linea longitudinali nigra tibiis basi albida. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace vix paulo angustius, oblongum aut sublineare, subsessile, sericeum, nigrum; segmento 2 rufo; 3 rufo aut nigro, aut dorso badio; 4 rarius dorso badio. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Marem et feminam *Roentgen* prope *Niesky* cepit; ipse cepi marem mense Augusto in umbellatis circa *Cudowam*. Feminam *pedemontanam*, eamque femoribus posticis linea nigra notatis, segmento 3 rufo, 4 dorso badio, *Bonelli* mecum communicavit.

Varietas:

1. *Tibiis anterioribus totis rufis.* m. — Caetera mari genuino prorsum respondent.

Hoc individuum *austriacum Besser* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. zonarius Grav. Ped. n. 132.

Nota:

Femoribus posticis crassioribus haec species medium tenet inter hanc familiam et sequentem; praeprimis autem *Exocho gravi* affinis est, qui attamen areola deficiente, capite angustiore et statura tota graciliore, differt.

176. T. MELANONOTUS. n.

Abdomine rufo, segmentis 1—5 dorso nigro; pedibus rufis, coxis et trochanteribus nec non tibiarum basi summa pallidioribus. f.

Longitudo 2¼ linearum. *Caput* ore ferrugineo. *Antennae* corpore dimidio longiores, curvatae, filiformes, subtus ferrugineae, articulis 1—3 totis nigris. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallideflavis, areola nulla. *Pedes* mediocres, validiusculi, rufi; coxis et trochanteribus, nec non tibiarum summa basi, pallidioribus. *Abdomen* subsessile, capitis thoracisque longitudine, thorace parum angustius; segmento 1 laevi,

basin versus sensim angustato, latitudine longiore, nigro, margine summo rufo; 2—5 rufis, macula magna dorsali basali nigra, anum versus sensim minore; 6 et 7 totis rufis; 6 ventre valvula hiante. *Aculeus* absconditus.

Feminam unam *etruscam a Sanvitale* mihi transmisit.

Erromenus

177. T. BRUNNICANS. n.

Abdomine rufo, basi nigra; pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris. m. f.

Haec species affinis est *Tr. procuratori*, n. 174, sed segmento 1 angustiore et abdomine toto convexiore differt; magis convenit cum *zonario*, n. 175, ita ut individua majora, segmentis ultimis nigris, medium teneant inter *brunnicantem* genuinum et *zonarium*.

Longitudo 2¼ —fere 3 linearum. *Caput* labro subferrugineo, interdum mandibularum medio ferrugineo. *Antennae* subfiliformes, corpore dimidio longiores, porrectae, apice plerumque paulo curvato interdum ferrugineo. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae seu hyalinae, stigmate et radio nigris, squamula et radice stramineis, interdum illa fuscescente; areola triangulari irregulari transversali petiolata, rarissime nulla seu alae dextrae minutissima sinistrae nulla. *Pedes* validiusculi rufi; coxis et trochanteribus nigris, tibiis interdum basi annulo angusto flavicante. *Abdomen*

subsessile, sericeum, capite thoraceque vix paulo longius et angustius, oblongum; feminae capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel paulo longius, apice crasso; segmento 1 apicem versus sensim paulo latiore, latitudine paulo longiore, canaliculato, nigro, margine plerumque castaneo; 2—7 castaneis aut rufis, interdum testaceorufis. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Magnam copiam marium, paucas vero feminas, legi mensibus Maji — Iulii, circa *Scheidnich*, *Helmstadium* et in *Hercynia*, in fruticetis et in gramine, rarissime in umbellatis; marem *austriacum Dahl* mihi transmisit.

Varietas:

1. *Segmentis ultimis nigricantibus.* — *Longitudo* 3 linearum. *Abdomen* segmento 1 nigro margine castaneo, 5 et 6 nigricantibus aut nigris, 7 nigro. — Caetera sicut in individuis genuinis.

Quaedam individua cepi cum genuinis.

Mesoleius.

178. T. SEMICALIGATUS.

Abdominis medio rufo; pedibus anterioribus flavis, femoribus fulvis, posticis nigris, femoribus et tibiarum basi rufis; facie nec non articulo 1 antennarum flavis. m.

Habitus statura et proportio partium maris *Mesolepti Typhae*, n. 39; petiolo attamen breviore.

Longitudo 3½—4½ linearum. *Caput* facie et ore flavis, apice mandibularum nigro. *Antennae* corporis longitudine, rarius longiores, nigrae, articulo 1 subtus flavo. *Alae* subhyalinae, stigmate stramineo aut piceo, radio fusco, radice et squamula flavis; areola triangulari irregulari subsessili aut subpetiolata. *Pedes* anteriores flavi, femoribus, rarius etiam tibiis, fulvis, coxis interdum puncto nigro, rarius nigris apice flavo, mediis rarissime totis nigris; postici rufi aut rufofulvi, tarsis tibiarum apice coxis et trochanteribus, vel trochanterum basi, nigris, tibiis ante basin ut plurimum flavicantibus. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius et angustius, vel thoracis latitudine, subsessile; segmento 1 nigro; 2—5 vel aequilatis vel sensim latioribus; 2 vel toto rufo, vel basi aut puncto laterali nigro, rarius fere toto nigro; 3 rufo, rarius margine nigricante; 4 vel badio, vel rufo apice nigricante, vel toto nigro; reliquis nigris.

Mares plures cepi mense Augusto circa *Cudowam*, in gramine et in umbellatis; nonnulli, circa *Warmbrunn*, nec non in *Austria* et in *Regione pedemontana* capti, mihi transmissi sunt.

Varietates:

1. *Antennis ferrugineis.* m. — *Antennae* paulo breviores quam in mare genuino, vel ferrugineae subtus fulvae, vel fuscae subtus ferrugineae; articulo 1 semper nigro subtus flavo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio ferrugineis, squamula

et radice flavis; areola nulla. *Pedes* anteriores dilutefulvi, trochanteribus flavis, coxis vel flavis puncto laterali nigro vel nigris apice flavo; postici coxis nigris, trochanteribus vel flavis puncto nigro vel totis nigris, femoribus rufis interdum geniculo nigro, tibiis rufis apice nigro, tarsis nigris. *Abdomen* segmento 1 interdum margine rufo; 2—4 rufis, 4 margine fuscescente. — Caetera sicut in specie genuina.

Duo individua cepi mense Augusto in umbellatis, unum prope *Salzbrunn*, alterum, idque minus, antennis obscurioribus, pedibus et segmento primo magis colore nigro imbutis, prope *Cudowam*, cum maribus genuinis eodem loco et die.

2. *Thorace flavoguttato.* m. — *Statura* etc. maris genuini, a quo autem haec varietas, sicut prima, defectu areolae differt. *Longitudo* paulo ultra 4 lineas. *Caput* ore et facie flavis. *Antennae* subtus fulvae articulo 1 flavo. *Thorax* maculis duabus dorsalibus parvis ante collum, punctoque infra alas, flavis. *Alae* stigmate et radio ferrugineis, squamula et radice flavis, areola nulla. *Pedes* anteriores dilute fulvi, coxis et trochanteribus totis flavis; postici coxis et trochanteribus nigris subtus flavis, femoribus tibiisque rufis, harum apice tarsisque fuscis. *Abdomen* segmento 1 margine, 2—4 totis, rufis, 4 margine fusco.

Individuum unicum cepi prope *Salzbrunn* una cum specimine majore varietatis primae.

Synonyma:

Ichn. semicaligatus Gravenh. Ped. n. 109.

Mesoleius

179. T. INSOLENS. n.

Segmento 3 pedibusque rufis, coxis et trochanteribus, nec non tibiarum posticarum apice, nigris. m. f. (*Mas:* palpis albis).

Statura et proportio partium feminae quemadmodum in *Mesolepto sulphurato,* n. 47, segmento 1 autem paulo breviore et basin versus paulo minus augustato. Mas femina gracilior est.

Longitudo 3¾—5 linearum. *Caput* maris palpis albis. *Antennae* corpore paulo longiores brevioresve, apice involutae, subsetaceae. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate stramineo aut subpiceo, radio fusco, radice straminea, squamula flavescente aut fusca; areola subpetiolata irregulari. *Pedes* graciles rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis nigris anterioribus basi rufescentibus, tibiis posticis apice nigro. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, *maris* apicem versus subdilatatum, *feminae* ovatofusiforme; segmento 1 apicem versus sensim parum dilatato, basi foveolato, foveola interdum in canaliculum angustum, ultra medium excurrentem, elongata, tuberculis lateralibus ante basin sitis; 2 feminae interdum macula laterali castanea obsoleta; 3 rufo, feminae interdum margine nigro; reliquis nigris subsericeis. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Marem et duas feminas circa *Gottingam* captas, duasque feminas *austriacas* accepi.

Varietas:

1. *Segmentis 2 et 3 rufis.* m. f. — *Abdomen* mari gracilius est quam mari genuino, segmentis 2—5 aequilatis; segmentis 2 et 3 rufis, 4 maris basi rufocastanea. — Caetera sicut in sp. genuina.

Marem, circa *Trajectum ad Moenum* captum, *de Heyden* mihi transmisit; feminam, circa *Gottingam* captam, *Spangenbergio* debeo.

Nota:

Quaeritur, num forsan haec species cum *Tr. petulante* et *evolante*, n. 180 et 182, in speciem unam conjungenda sit.

180. T. PETULANS. n.

Segmentis 2 et 3 pedibusque rufis, coxis et trochanteribus nigris; antennis subtus fulvis. m.

Statura et proportio partium omnino *Tr. evolantis*, n. 182.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio ferrugineis. *Antennae* subtus fulvae, articulo 1 toto nigro. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice et squamula stramineis; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* et *abdomen* in diagnosi descripti.

Unicum marem *austriacum Dahl* mecum communicavit.

Nota:

Conferas notam ad speciem antecedentem.

181. T. LUTEICORNIS. n.

Antennis testaceis; abdomine pedibusque rufis, coxis et ano nigris. f.

Statura et proportio partium speciei sequentis; capite autem latiore, antennis longioribus.

Longitudo 4½ linearum. *Caput* mandibulis cerinis. *Antennae* filiformes, corpore breviores, fulvotestaceae, articulis 1—3 supra nigrofuscis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio radice squamula nervisque omnibus pallidetestaceis; areola parva triangulari petiolata. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; femoribus posterioribus summa basi, posticis etiam geniculo, nigricantibus; tibiis posticis apice summo nigro. *Abdomen* rufum, segmentis 6 et 7 nigris. *Aculeus* subexsertus niger.

Feminam unicam cepit *ab Uechtritz* in flore Myrrhis sylvestris prope *Langenau*, die 22 Iunii.

182. T. EVOLANS. n.

Segmentis 2 et 3 castaneis, illo basi hoc apice nigris; pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris. m.

Longitudo 3½—4 linearum. *Antennae* corpore breviores, apice recurvatae, subsetaceae. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula piceis; areola minuta petiolata. *Pedes* subgraciles rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis posticis subfuscescentibus. *Abdomen* petiolatum, capite thoraceque vix paulo longius, thorace angustius, fusiforme; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine plus duplo longiore, levi, nigro, tuberculis lateralibus in medio sitis; 2 castaneo, basi nigricante; 3 castaneo, margine nigro; reliquis nigris.

Mares duos, circa *Gottingam* captos, *Spangenberg* mecum communicavit.

Nota:

Conferre velis notam ad *Tryph. insolentem*, n. 179.

183. T. SEXPUNCTATUS. n.

Segmentis 2 et 3 castaneis; tibiis anterioribus femoribusque rufis; coxis nigris, anterioribus subtus flavis; capite thoraceque flavonotatis. f.

Statura et proportio partium omnino *Tr. insolentis*, n. 179.

Longitudo 4 $^1/_5$ linearum. *Caput* ore, punctis duobus faciei et orbitis oculorum internis, flavis, mandibularum apice nigro. *Antennae* subtus ferrugineae, articulis 1 et 2 nigris. *Alae* hyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, radice et squamula piceoferrugineis; areola parva irregulari petiolata. *Pedes* anteriores rufotestacei, coxis nigris apice flavo, trochanteribus superne nigris; postici nigri, femoribus rufis, tibiis inferne basin versus stramineis. *Abdomen* apice compressiusculum; segmentis 2 et 3 obscurocastaneis. *Aculeus* vix subexsertus.

Feminam circa *Vindobonam* captam *Dahl* mihi transmisit.

184. T. COLLARIS. n.

Abdominis medio rufo, nigromaculato; pedibus collo et facie testaceis. f.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* ore et facie testaceis. *Antennae* graciles, corpore paulo longiores, filiformes, apice subcurvatae, fuscae, articulis 1 et 2 subtus testaceis. *Thorax* gibbus;

collo testaceo, margine laterali fusco; prothoracis lateribus ante alas fuscis testaceomarginatis. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis; areola triangulari irregulari subpetiolata, nervo exteriore subobsoleto. *Pedes* graciles, anteriores testacei, postici testaceofulvi. *Abdomen* subpetiolatum, capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, oblongum apice crassiore; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine plus duplo longiore, laevi, nigro, tuberculis lateralibus parum ultra medium sitis; 2 rufo, disco nigro; 3 et 4 rufis, ante marginem fuscis; reliquis nigris, 7 margine summo piceo. *Aculeus* perbrevis piceus.

Feminam *genuensem* mihi transmisit *a Spinola*.

185. T. EXCLAMATIONIS. n.

Segmentis 1—4 pedibusque rufis, facie flava. m. f. (*Mas* linea nigra faciei, coxis et trochanteribus supra nigris; *femina* facie tota flava, coxis et trochanteribus testaceis).

Longitudo 3½—4 linearum. *Caput* ore et facie flavis; maris linea longitudinali faciei, punctis tribus ad clypei marginem superum, apiceque mandibularum, nigris. *Antennae* subfiliformes, corpore dimidio longiores, subcurvatae, subtus rufae articulo 1 dilutiore aut flavicante. *Thorax* gibbus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate nigro, radio et squamula fuscoferrugineis, radice strami-

nea; areola petiolata, triangulari, subregulari. *Pedes* mediocres, validiusculi, rufi; coxis et trochanteribus feminae testaceis, maris coxis nigris subtus rufis, trochanteribus rufis supra fuscis subtus flavicantibus; femoribus posticis feminae geniculo nigro, tibiis posticis maris apice nigro. *Abdomen* subsessile, thoracis latitudine, eo autem fere duplo longius; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine longiore, rufo, basi foveolata, maris nigra; 2—4 rufis, 4 feminae apice fusco; reliquis nigris. *Aculeus* brevis.

Marem *hannoveranum Reusmann* mecum communicavit; feminam vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

186. T. SUBRUFUS.

Segmentis 2—4 rufis; tibiis femoribusque rufis, posticis summo apice nigris; areola nulla. m.

Statura et proportio partium omnino maris antecedentis, sed defectu areolae differt.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* ore ferrugineo, palpis pallidis. *Antennae* obscuroferrugineae, articulo 1 nigro. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula nigra. *Pedes* rufi, trochanteribus et coxis nigris; postici etiam summo femorum et tibiarum apice nigro. *Abdomen* segmento primo margine, 2—4 totis, rufis.

Unicum marem cepi mense Iunio prope *Vratislaviam* in gramine.

Synonyma:

Ichn. subrufus Gmel. ed. Linn. p. 2718, n. 367.

Tryphon (b. a.)

X 187. T. BRUNNIVENTRIS. n.

Segmentis 2—4 rufis; tibiis femoribusque rufis, posticis summo apice nigro; antennis subtus ferrugineis; areola triangulari. m. f.

Statura etc. *Tr. rutilatoris.*

Longitudo 2⅔—5 linearum. *Caput* palpis stramineis aut piceis; mandibulis ut plurimum medio fulvis aut ferrugineis; labro plerumque rubricoso aut fulvo; interdum margine clypei, rarius clypeo toto, fulvo (de structura partium oris consule notam ad hanc speciem); facie rarissime maculis duabus rubricosis subobsoletis. *Antennae* rarissime ferrugineae subtus fulvae, plerumque fuscae subtus ferrugineae aut fuscoferrugineae, articulo 1 ut plurimum toto nigro. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio nigris, rarius ferrugineis, radice straminea, squamula nigra rarissime picea; areola subirregulari subsessili. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus fuscescentibus aut nigris, postici plerumque geniculis et tibiarum apice nigris, tarsis supra fuscis. *Abdomen* subsessile, plerumque sericeum, *maris* capite thoraceque longius et angustius, seu thoracis latitudine, oblongum aut sublineare, *feminae* capite thoraceque paulo lon-

gius, thoracis latitudine, oblongum seu oblongo-ovatum aut sublineare apice crassiore; segmento 1 profunde canaliculato, castaneo basi nigra, aut nigro margine castaneo rufove; 2—4 rufis aut castaneis; reliquis nigris, 5 interdum macula laterali castanea. *Aculeus* brevissimus exsertus niger.

Mares et feminas copiose legi mense Iunio in prato, in floribus umbellatis, prope *Barterodam*; quosdam etiam, eodem mense, in gramine et in frutetis circa *Vratislaviam*, nec non, mense Augusto, prope *Helmstadium* in umbellatis, cepi; nonnulla individua, circa *Niesky*, *Norimbergam* et in *Austria* capta, mihi transmissa sunt.

Varietates:

1. *Coxis et trochanteribus subtus rufescentibus.* f. — *Longitudo* 3 linearum. — Caetera feminis genuinis respondent.

Feminas duas cepi mense Iunio in gramine prope *Vratislaviam*, una cum mare minimo genuino.

2. *Segmento 1 toto rufo.* f. — *Longitudo* $2\frac{2}{3}$ linearum. *Abdomen* rufum, segmentis 5—7 nigris. — Caetera sicut in specie genuina.

Feminam unicam *austriacam* *Besser* mecum communicavit.

Nota:

Descriptio accuratior antennarum et partium oris, auctore *Neeseo ab Esenbeck*, haec est:

Antennae filiformisetaceae, apice recurvae, articulis 38; radicula parva; scapo obconico crasso, apice vix obliquo cavo; pedicello brevi subcylindrico, parum exserto; articulo quarto annuliformi distincto; reliquis omnibus cylindricis, distinctis, quinto longissimo, tum aliquot evidenter decrescentibus, exterioribus plurimis subaequalibus, diametro paulo longioribus, extremo parvo conico obtuso.

Clypeus brevis, linea arcuata impressa discretus, paulo infra transverse carinatus, hinc abrupte declivis, margine infero semicirculari integro. — *Labrum* breve subreconditum rotundatum, ciliatum. — *Mandibulae* omnino quales in *Ophione pugillatore*. — *Maxillae* labio paulo longiores, idque amplectentes: *Stipes* corneus, fere rectangulus, secundum mediam longitudinem obtuse carinatus, apice truncatus, introrsum parum emarginatus, angulo ibidem acuto recto: *Mala* stipite dimidio brevior, membranacea, biarticulata; articulis subaequalibus, infero, pro more, in lobum interiorem semicircularem, ascendentem, dilatato, supero fere quadrato, basin versus parum angustato, margine supero rectiusculo, ciliato, angulis obtusis. — *Palpi maxillares* (quinquearticulati?), articulis tribus anterioribus omnino ut in *Ophione pugillatore*, 1 et 2 corneis, 3 pallido subspongioso pubescente (4 et 5 deficientibus). — *Labium*: *Mentum* corneum obconicum, basin versus compressum, lateribus planis amplis, ramoque ascendente lanceolato latiusculo; margine supero

inter palpos truncato recto, denteque utrinque infra palpos acuto parvo. *Lingua* mento duplo brevior, ascendens subquadrata, margine antico truncato ciliato, vix retusa, angulis obtusis, lateribus deflexis. — *Palpi labiales* filiformes, lingua fere triplo longiores, quadriarticulati; articulo 1 subclavato truncato, 2 et 3 obconicis, illo crassiori, 4 cylindrico obtuso, omnibus corneis pilosis. Longitudinis ratio $\frac{1}{4} \cdot 2 \cdot 3$.

Conferas notam ad speciem sequentem.

Tryphon. (p. a.)

188. T. HELIOPHILUS. n.

Segmentis 2—4 pedibusque rufis; coxis, nec non apice summo femorum et tibiarum posticorum, nigris; ore fulvo; areola triangulari. m. f.

Statura et proportio partium *Tr. rutilatoris.* *Longitudo* 3—4 linearum. *Caput* ore et clypeo cerinis aut fulvoferrugineis, clypeo interdum basi nigra; interdum macula faciei rubricosa obsoleta. *Antennae* fuscae; subtus rarius totae ferrugineae, plerumque basin versus fuscoferrugineae articulo 1 nigro. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris aut fuscis, radice straminea; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* rufi; coxis nigris, interdum subtus rufescentibus summo apice stramineo; postici praeterea geniculis et tibiarum apice summo nigris. *Abdomen* capite

thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongum, maris interdum sublineare, feminae apice crassius; segmento 1 canaliculato nigro, apice rufo; 2—4 rufis; reliquis nigris, 5 rarissime basi rufa. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Mares et feminas cepi mense Iunio circa *Gottingam* et *Oedelem; Germar* par circa *Halam Saxonum* captum mihi transmisit; *a Steven* e *Tauria* marem, eumque unicum segmenti quinti basi rufa.

Nota:

Differentia inter hanc speciem et praecedentem haud majoris est momenti quam differentia inter *rutilatorem* genuinum et nonnullas varietatum ejus. *Tr. heliophilus* distinguitur a praecedente *brunniventri*, segmento 1 paulo angustiore, trochanteribus totis rufis, plerumque statura graciliore et magnitudine inferiore; attamen feminae *brunniventris* varietas 1, coxis et trochanteribus inferne rufis, propius jam accedit ad *heliophilum*, licet, propter staturam crassiorem, potius ad *brunniventrem* referri deberet.

189. T. COTHURNATUS. n.

Segmentis 2 et 3, tibiis anterioribus, femoribusque rufis. f.

Statura et proportio partium feminae praecedentis; antennis et segmento 1 paulo crassioribus.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* ore rufescente. *Antennae* subtus apicem versus ferrugineae. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula nigra; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus, nec non posticorum tarsis tibiis et geniculis, nigris. *Abdomen* subsessile; segmento 1 canaliculato, apice rufo; 2 et 3 rufis. *Aculeus* exsertus brevis niger.

Feminam unicam *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

Varietas:

1. *Segmentis 3 et 4 rufis.* f. — *Longitudo* paululum ultra 4 lineas. *Antennae* subtus ferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Tibiae* posticae subtus fuscoferrugineae. *Abdomen* segmento 1 toto nigro, 2 nigro margine rufo, 3 et 4 totis rufis, sequentibus nigris compressiusculis. — Caetera sicut in femina genuina.

Individuum unicum cepit *Hartlieb*, mense Majo, circa *Vratislaviam*.

190. T. CALCEOLATUS. n.

Segmentis 2—4 pedibusque rufis; tarsis posticis, parte dimidia tibiarum posticarum, coxis trochanteribusque, nigris; areola nulla. m.

Statura et proportio partium *Tr. erythropalpi*, n. 193; areola autem nulla.

Longitudo 3⅔ linearum. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate radio et radice fuscis, squamula nigra. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici etiam tarsis et tibiis ab apice ad medium usque nigris. *Abdomen* segmentis 2—4 rufis, 4 margine nigro.

Marem unicum cepi mense Augusto in umbellatis circa *Cudowam*.

191. T. IRATUS. n.

Segmentis 2—4 femoribus anterioribus tibiisque rufis, facie flava. m.

Statura et proportio partium *Mesolepti nemoralis*, n. 42, sed segmento 1 paulo breviore.

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput* facie et clypeo flavis; ore stramineo, mandibulis apice et basi nigris. *Antennae* subfiliformes, corpore paulo breviores, porrectae, articulis 1 et 2 subtus piceis aut flavis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice straminea; areola irregulari triangulari subpetiolata, interdum nervo exteriore obsoletissimo. *Pedes* subgraciles rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici apice trochanterum rufo, femoribus rarius fere totis nigris aut rufis, plerumque rufis externe nigris, tibiis plerumque apice nigricante. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, subpetiolatum; segmento 1 apicem versus sensim dila-

tato, latitudine duplo aut plus duplo longiore, canaliculato, nigro, interdum puncto marginali rufo; tuberculis lateralibus in medio sitis; 2—4 rufis, 4 interdum margine nigricante.

Nonnulla individua, circa *Norimbergam* capta, *Sturm* mihi transmisit.

Varietas:

1. *Femoribus mediis externe fuscis.* m. — *Ala sinistra* areola omnino caret. — Caetera speciei genuinae respondent.

Unicum individuum cepi in fruteto horti *Barterodae*, mense Iunio.

Exenterus.

192. T. PICTUS. n.

Segmentis 2—4 rufis; pedibus anterioribus fulvis, coxis et trochanteribus flavis, illis supra nigris; tibiis tarsisque posticis testaceis; picturis capitis et antennarum articulo 1 subtus flavis. f.?

Statura et proportio partium *Tr. mitigosi*, n. 168, sed abdomine angustiore (nisi hoc forsan in adglutinando manu compressum sit).

Longitudo 4 linearum. *Caput* subbuccatum; ore, macula genarum, maculisque duabus faciei, linea longitudinali nigra sejunctis, flavis. *Antennae* articulo 1 subtus flavo. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola irregulari subsessili. *Pedes* anteriores fulvi, trochanteribus et coxis flavis, his supra nigris;

postici coxis nigris subtus rufis, trochanteribus flavis superne macula fusca, femoribus nigris superne apicem versus rufis, tibiis et tarsis testaceis. *Abdomen* capite et thorace paulo longius et angustius, subsessile, subcylindricum, apicem versus subcompressoclavatum; segmentis 2—6 aequilatis; 1 nigro, puncto apicali rufo, canaliculato, tuberculis lateralibus prosilientibus, inter medium et basin sitis, parte antica subquadrata, duplo latiore quam petiolus crassiusculus; 2—4 rufis, 4 lateribus nigris. *Aculeus* absconditus.

Unicum individuum *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

Nota:

De sexu hujus individui dubius sum. Affinis esse videtur speciei sequenti, nec vero pro femina ejus haberi potest, ob picturam faciei et formam cellulae cubitalis intermediae, e qua ipsa nervus recurrens oritur, cum hic nervus, in specie sequente, extra istam cellulam nascatur; differt etiam segmenti primi forma et sculptura. A *rutilatore* autem haec species differt pedibus longioribus et gracilioribus.

Trematopygus,

193. T. ERYTHROPALPUS.

Abdominis medio rufo; pedibus anterioribus rufis, coxis et trochanteribus nigris, posticis nigris basi tibiarum rufa; ore, lineis duabus faciei, antennarum articulo 1 subtus, flavis. m.

Longitudo 4—4⅓ linearum. *Caput* ore et clypeo flavicantibus aut fulvis, mandibularum apice et basi nigris; linea flava aut albida, a radice antennarum oblique versus orbitam oculorum inferam decurrente. *Antennae* corpore breviores aut fere longitudine ejus, porrectae, apice recurvae subsetaceae, subtus fuscae aut ferrugineae articulis 1 et 2 flavis aut albidis. *Thorax* gibbulus aut cylindricogibbulus. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae; stigmate et radio fuscis aut ferrugineis aut stramineopiceis, radice et squamula albidis; areola irregulari triangulari, longe petiolata, ut plurimum minuta, interdum subnulla. *Pedes* mediocres, anteriores rufi aut fulvi, coxis et trochanterum basi nigris; postici nigri, apice trochanterum tibiisque rufis, his apice nigro. *Abdomen* subsessile, capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel thorace paululum angustius, sublineare aut oblongoovatum; segmento 1 subaciculato, interdum subcanaliculato, apicem versus perparum dilatato, latitudine duplo longiore, sequentibus paulo angustiore, interdum margine rufo, tuberculis lateralibus inter medium et basin sitis; 2—4 rufis aut castaneis, 4 margine nigro.

Mares nonnullos cepi, mensibus Maji et Iunii, circa *Gottingam* et in *Hercynia*. Individuum in *Sudetis Silesiae* captum *Richtero* debeo.

Varietates:

1. *Abdomine basi rufo.* — *Segmentis* 1—4 totis, 5 lateribus, rufis. — Caetera sicut in sp. genuina.

Individuum *norimbergense Sturm* mecum communicavit.

2? *Facie punctis duobus flavis.* f. — *Statura* et proportione partium haec femina quidem cum mare descripto convenit; discrepat autem cellula cubitali intermedia deficiente, antennis paululum gracilioribus. — *Longitudo* 3½ linearum. *Caput* ore, punctoque infra singulam antennam (vestigio linearum flavarum maris), flavis. *Antennae* fuscae, subtus fulvae articulis 1 et 2 flavis (ultimis deficientibus). *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula alboflavis. *Pedes* anteriores diluterufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, tibiis basin versus rufis. *Abdomen* segmento 1 margine, 2—4 totis, rufis. *Aculeus* exsertus brevis.

Unicam feminam *Hartlieb* cepit mense Majo circa *Vratislaviam*.

Synonyma:

Ichn. erythropalpus Gmel. ed. Linn. p. 2702. n. 297.

194. T. FULVILABRIS. n.

Abdominis medio pedibusque anterioribus rufis; pedibus posticis nigris, tarsis et tibiis rufis, his apice nigro; ore testaceo. f.

Longitudo 4¼ linearum. *Caput* clypeo et labro stramineofulvis; palpis et mandibulis sordidestramineis, his apice nigro. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, porrectae, apice incurvae, subtus ferrugineae. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula flavicantibus; areola irregulari subpetiolata. *Pedes* subgraciles; anteriores rufofulvi, coxis basi nigris; postici coxis nigris, trochanteribus nigris apice rufo, femoribus nigris margine supero badio, tibiis rufis apice nigro, tarsis rufescentibus. *Abdomen* subsericeum, capite thoraceque vix paulo longius, thorace angustius, sublineare, subpetiolatum; segmento 1 subcanaliculato, latitudine duplo longiore; 2—4 fulvorufis, 4 summo margine nigricante. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Unicum individuum, circa *Gottingam* captum, *Fehler* mecum communicavit.

195. T. HUMILIS. n.

Abdominis medio rufo; pedibus anterioribus fulvis, basi coxarum nigra; posticis nigris, trochanteribus tibiisque testaceis, his apice nigro; antennis testaceis; ore flavo. f.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* ore et clypeo flavis. *Antennae* fere corporis longitudine, apicem versus curvatae subsetaceae, testaceae, supra testaceofuscae, articulis 1 et 2 nigris subtus flavis. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis; areola nulla. *Pedes* mediocres; anteriores fulvi, trochanteribus pallidioribus, coxis nigris apice testaceis; postici nigri, trochanteribus et tibiis testaceis, his apice nigro, tarsis fuscis. *Abdomen* subpetiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongum apice crasso; segmento 1 apicem versus sensim latiore, latitudine duplo longiore, fusco; 2—4 fulvorufis; reliquis nigris, ultimo margine summo subpallido. *Aculeus* brevissimus subexsertus.

Feminam unicam *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

196. T. PARVULUS. n.

Abdominis medio fulvo; pedibus anterioribus fulvis, coxis basi nigra; posticis nigris, tibiis testaceis apice nigricante; antennis subtus stramineis; areola nulla. m.

Statura et proportio partium omnino *procuratoris*, n. 174, sed defectu areolae differt. A specie antecedente haec abdomine magis cylindrico et sessili, segmento 1 breviore atque latiore, etc. discernitur.

Longitudo 2½ linearum, vel paululum minor. *Antennae* subtus stramineae, articulo 1 toto nigro. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula stramineis. *Pedes* anteriores fulvi, coxis vel basi vel fere totis nigris; postici nigri, coxarum et trochanterum apice stramineo, tibiis testaceis apice nigricante, tarsis rufofuscis. *Abdomen* segmentis 2—4 fulvis, 5 dorso rufo.

Mares duos, circa *Warmbrunn* captos, *Manger* transmisit.

Perilissus.

197. T. VERNALIS.

Abdominis medio, femoribus anterioribus, tibiisque rufis. m. f.

Longitudo 2⅔—4 linearum. *Antennae* graciles, subsetaceae, corporis longitudine vel paululum breviores, apice incurvae, plerumque sub-

tus ferrugineae, rarissime totae dilute rufae; articulo 1 semper nigro. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae seu subfumatohyalinae, stigmate et radio stramineis aut subpiceis, radice et squamula flavis; areola irregulari subpetiolata aut subsessili. *Pedes* subgraciles; anteriores rufi aut rufoferruginei, trochanteribus et coxis nigris, interdum trochanteribus anticis totis, mediis apice, rufis; postici nigri, tibiis tarsisque rufis aut rufofuscescentibus, illis ut plurimum basin versus pallidioribus. *Abdomen* subsericeum, petiolatum, capite thoraceque vix paulo longius, thorace angustius, fusiforme; segmento 1 laevi, angusto, apicem versus sensim dilatato, apice plerumque rufescente, latitudine duplo vel plus duplo longiore, tuberculis lateralibus in medio sitis; 2 rufo, interdum basi aut medio nigro; 3 et 4 rufis, 4 rarissime margine nigro. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Mares feminis multo sunt frequentiores. Utrumque sexum cepi mense Iunio prope *Vratislaviam* in gramine; nec non mares et feminas, circa *Warmbrunn* et in *Regione pedemontana* captos, accepi. Feminam *genuensem*, eamque unicam antennis, excepto articulo 1 nigro, totis dilute-rufis, *a Spinola* mihi transmisit. Praeterea autem mares nonnullos cepi mensibus Maji et Iunii in frutetis circa *Pepelwitz* et *Gottingam*; alii quidam, in *Austria Hungaria* et *Gallia* capti, mihi transmissi sunt.

Varietas:

1. *Femoribus anterioribus colore nigro imbutis.* m. f. — *Femora* media, rarius etiam antica, externe nigricantia. — Caetera sicut in specie genuina.

Mas et femina, circa *Warmbrunn* capti, mas alter e *Regione pedemontana*, mecum communicati sunt.

Synonyma:

Ichn. vernalis Gravenh. Ped. n. 133.

198. T. INVOLUTOR. n.

Abdomine pedibusque rufis, basi nigra; antennis apice rufo. m. f. (*Mas* oculorum orbitis internis testaceis).

Longitudo 3½—4 linearum. *Caput* maris macula mandibulari, linea transversali clypei et orbitis oculorum internis, testaceis. *Antennae* fere longitudine corporis, apice involutae, *maris* rufae, articulis 1—3 nigris, *feminae* nigrofuscae, apicem versus rufae. *Thorax* gibbus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio nigris; radice et squamula maris rufis, feminae fuscoferrugineis; areola minuta longepetiolata. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tibiis obscurioribus, tarsis nigricantibus. *Abdomen* thorace duplo longius, ejus autem latitudine, subpetiolatum, fusiforme aut sublineare, apice truncatum, castaneum;

segmento 1 nigro, canaliculato, apicem versus sensim dilatato, tuberculis lateralibus in medio sitis. *Aculeus* exsertus brevissimus compressus, margine infero subgibbulosoarcuato supero recto. *Genitale masculum* exsertum breve cylindricum bipartitum.

Marem unicum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit. Feminae maribus multo frequentiores sunt; nonnullas cepi, mensibus Maji et Iunii, in fruticetis circa *Scheidnich, Zobten, Gottingam;* quaedam aliae circa *Sickershausen* et *Niesky* captae, mihi transmissae sunt.

Varietates:

1. *Facie et coxis anterioribus flavis.* m. — *Longitudo* 3⅔ linearum. *Caput* ore et facie flavis. *Antennae* rufae articulis 1—3 nigris. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallideflavis; areola parva petiolata. *Pedes* rufi; anteriores coxis et trochanteribus pallideflavis, illis supra nigris, his supra puncto fusco; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice flavo. *Abdomen* segmento 1 nigro, margine summo castaneo; sequentibus castaneis, picturis obsoletis irregularibus nigricantibus; 7 toto nigro. *Genitale masculum* brevissimum cylindricum bipartitum.

Individuum unicum *silesiacum Richter* mecum communicavit.

2. *Abdomine nigro, segmentis 2—4 badiis.* m. — Caetera omnino cum mare genuino conveniunt. Hunc marem *Besser* e *Volhynia* transmisit.

199. T. PRODITOR. n.

Abdomine castaneo, maculis dorsalibus et segmento 1 nigris; femoribus tibiisque anterioribus pro parte testaceis. m.

Longitudo 3 linearum. *Caput* labro et mandibularum medio ut plurimum ferrugineis. *Antennae* porrectae validae subfiliformes, corpore vix paulo breviores, fuscae, subtus plerumque ferrugineae, articulis 1 et 2 totis nigris. *Thorax* gibboglobosus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice fusca; areola irregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* mediocres; anteriores trochanteribus et coxis nigris, femoribus vel stramineopiceis basi summa nigra, vel nigris apice stramineopiceo, tibiis stramineopiceis plerumque externe fuscis, tarsis stramineopiceis aut fuscis; postici fusci, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* fere sessile, capitis thoracisque longitudine et latitudine vel paulo angustius, oblongoovatum aut segmentis 2—6 subaequilatis; segmento 1 basin versus paulo angustato, latitudine longiore, nigro, canaliculato; sequentibus castaneis, vel omnibus vel 2—3—5 macula dorsali nigricante.

Tria individua, circa *Vindobonam Genuam* et *Parisios* capta, mihi transmissa sunt.

200. T. PRATENSIS. n.

Abdomine rufo, segmento 1 nigro; tibiis tarsisque rufis. m.

Statura et proportio partium speciei sequentis. A praecedente haec species discernitur corpore toto graciliore, capite minore et colore.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* labro obscureferrugineo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice straminea; areola minuta irregulari petiolata. *Pedes* nigri; tibiis tarsisque sericantibus, nec non femorum anteriorum geniculis, ferrugineorufis. *Abdomen* sessile, capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, oblongum, rufum; segmento 1 nigro, canaliculato, apicem versus sensim dilatato, latitudine paulo longiore.

Unicum marem cepi die 3 Iunii in umbellatis prati prope *Barterodam.*

Varietas:

1. *Femoribus anterioribus rufis.* m. — A mare genuino abdomine paulo angustiore diversus. — *Longitudo* 2—2⅓ linearum. *Antennae* articulis 1—3 nigris (reliquis deficientibus). *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio stramineopiceis, radice flava, squamula nigra; areola irregulari sessili. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo; femoribus mediis externe basin versus fuscis, posticis nigris summa basi summoque apice

rufis. *Abdomen* sessile, capite thoraceque vix paulo longius, thorace angustius, rufum; segmento 1 nigro; segmentis 2—4 aequilatis, paulo latioribus quam primum.

Mares duos *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

201. T. PROPINQUUS. n.

Abdomine rufo, segmento 1 nigro; pedibus anterioribus et tibiarum posticarum basi rufis; antennis subtus stramineis; ore ferrugineo. m.

Statura et proportio partium sicut in speciebus duabus antecedentibus, pedibus attamen paulo gracilioribus. An varietas *proditoris?*

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore ferrugineo, mandibulis apice nigro. *Antennae* subtus articulis 1 et 2 testaceis, sequentibus sensim obscurioribus. *Alae* hyalinae, stigmate et radio nigris, illo basin versus testaceo, radice straminea, squamula ferruginea; areola irregulari petiolata. *Pedes* anteriores rufi, coxis mediis basi nigra; postici coxis nigris subtus apice rufis, trochanteribus rufis supra puncto nigro, femoribus nigris, tibiis rufis apice nigro, tarsis fuscis. *Abdomen* rufum, segmento 1 nigro.

Marem unicum, circa *Vindobonam* captum, *Dahl* transmisit.

Varietas:

1. *Coxis et trochanteribus omnibus totis nigris.* m. — *Longitudo* 2¾ linearum. *Alae* squa-

mula fusca. *Pedes* nigri; femoribus anterioribus apicem versus testaceorufis; tibiis testaceis, posticis apice nigro; tarsis anterioribus testaceis. —

Marem unum cepi die 1 Iunii in fruticeto prope *Pepelwitz.*

Tryphon (s. a.)

202. T. SIGNATOR. n.

Segmentis 2—5, femoribus anterioribus, tibiisque rufis, harum posticis apice nigro; arcu faciali flavo; antennis subtus testaceis. m. f.

Statura et habitus *rutilatoris;* an ejus varietas?

Longitudo 3 ⅓ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio ferrugineis; faciei macula flava semicirculari, parte convexa os versus spectante. *Antennae* subtus fulvae; articulis 1—3, vel 1 solo, totis nigris. *Alae* feminae hyalinae, maris paulo obscuriores et minores quam feminae; stigmate et radio fuscopiceis, radice straminea, squamula fusca aut flava; areola irregulari petiolata. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanterum basi nigris; postici nigri, trochanteribus apice ferrugineo aut fulvo, tibiis ferrugineis apice nigro, tarsorum articulo 1 basi ferruginea. *Abdomen* sericeum; segmento 1 nigro, 2—5 rufis, 2 maris macula dorsali nigra aut fusca, 6 et 7 nigris aut subfuscescentibus margine castaneo. *Aculeus* brevissimus, vix subexsertus, niger.

Marem, circa *Vratislaviam* mense Majo captum, *Hartlieb* mihi dono dedit. Feminas duas *Dahl* ex *Austria* transmisit.

Varietas:

1. *Femoribus anterioribus basi nigra.* m. f. — *Facies* maris arcu flavo medio interrupto, in puncta seu lineolas duas dissoluto. — Caetera cum specie genuina conveniunt.

Marem *Hartlieb* cum mare genuino cepit; feminam *austriacam Dahl* transmisit.

203. T. CHRYSOPUS.

Segmentis 2—4 rufis; pedibus anterioribus testaceis, basi femorum nigra; posticis nigris, latere infero femorum et basi tibiarum testaceis; facie alba; antennis subtus rufis. m.

Longitudo 3⅓ linearum. *Caput* facie, macula genarum, oreque albidoochraceis, mandibularum basi apiceque nigris. *Antennae* subfiliformes, corporis longitudine, porrectae, apice subincurvae, vel fuscae subtus ferrugineae, vel dilute fulvae supra paululum obscuriores, articulis 1 et 2 supra nigris. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, apice plerumque paulo obscuriores, stigmate et radio nigris, radice et squamula flavis; areola petiolata irregulari. *Pedes* mediocres; anteriores picei aut straminei, coxis et trochanteribus pallidioribus, femoribus latere externo vel toto vel basin versus

nigro; postici coxis et femoribus nigris, his inferne testaceorufis, trochanteribus nigris apice albidostramineo, tibiis vel nigris subtus basi ferrugineis, vel albidostramineis apice fusco, tarsis nigricantibus aut albidofuscis. *Abdomen* subpetiolatum, capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongoovatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, canaliculato, latitudine duplo longiore, nigro, apice ut plurimum rufo, tuberculis lateralibus perpaululum ultra medium sitis; 2—4 palliderufis seu rufofulvis; reliquis nigris; interdum ano ipso flavo. *Genitale masculum* breve obtusum, nigrum aut flavum.

Marem *hannoveranum Reusmann* mecum communicavit; *Sturm* alterum *norimbergensem*, eumque antennis pedibusque obscurioribus, ano et genitali masculo nigris.

Synonyma:

Ichn. chrysopus Gmel. ed. Linn. p. 2702, n. 296 (haud confundendus cum ejusdem nominis Ichneumone p. 2706, n. 337).

Nota:

Ichneumon Leskei p. 63, n. 238, quem Gmelin cum hac specie conjunxit, huc haud spectat, cum abdomine toto nigro gaudeat, sed forsan ad *Pimplam stercoratorem* adhibendus est.

Tryphon (s. a.)

204. T. BRACCATUS.

Abdomine rufo, basi nigra; pedibus anterioribus stramineis, basi nigra; ore et antennis subtus flavis.

Longitudo paulo ultra 2 — fere 3 linearum. *Caput* ore pallideflavo. *Antennae* filiformes, corporis longitudine, porrectae, fuscae, subtus pallideflavae, interdum articulis 1—3 totis nigris. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula vel pallideflavis, vel radice picea squamula nigra; areola irregulari subsessili. *Pedes* mediocres; antici pallidestraminei, vel coxis solis vel etiam trochanteribus et latere externo femorum nigris; medii pallidestraminei, coxis nigris, trochanteribus vel totis vel basi fuscis, femoribus externe fuscis; postici vel toti nigri, vel trochanterum apice et tibiarum basi summa pallidestramineis. *Abdomen* subsessile, capite thoraceque paulo longius et angustius, segmentis 2—5 vel aequilatis vel sensim paulo latioribus; segmento 1 subaequilato nigro, petiolo brevi crasso, parte antica aequilata, latitudine duplo longiore, parum latiore at duplo longiore quam petiolus; 2 nigro, vel apice vel summo margine rufo; sequentibus rufis, dorso paulo obscurioribus; 3 et 4 interdum macula dorsali nigra.

Unum individuum cepit *Richter* die 30 Maji circa *Vratislaviam*; alterum *pedemontanum Bo-*

nellio debeo, idque majus, antennis pedibus et abdomine minus colore nigro imbutis.

Synonyma:

Ichn. braccatus Grav. Ped. n. 134.

Nota:

Haec species habitu toto naturali *Mesolepto cinctulo*, n. 23, et *Tryphoni albocincto*, n. 132, affinis est, cum quibus in eandem familiam naturalem conjungenda foret. A *cinctulo*, segmento 1 latiore differt, ab *albocincto* corpore graciliore et minore, ab ambobus colore et pictura. A *Tr. proditore*, n. 199, praesertim segmenti primi forma discernitur; a quibusdam varietatibus *rutilatoris*, n. 205, antennis longioribus gracilioribusque, nec non segmento 1 magis aequilato. Tryphon (S. a

X 205. T. RUTILATOR.

Abdomine rufo, basi nigra; pedibus anterioribus fulvis, basi nigra; tibiis posticis basi rufis; punctis duobus faciei flavis; antennis subtus rufis aut flavis. m. f.

Longitudo maris 3½—4¼, feminae 2½—4⅓ linearum. *Caput* ore, plerumque etiam labro aut clypei margine, rarius clypeo toto, ferrugineis aut flavis; palpis stramineis, mandibulis apice nigro; facie *maris* maculis duabus flavis, ut plurimum ante clypeum contiguis et arcum (quemadmodum in *Tr. signatore*, n. 20) exhibentibus, interdum

omnino in maculam unam majorem confluentibus, *feminae* punctis duobus flavis aut ferrugineis, interdum fere obsoletis, rarius majoribus et subcoalitis. *Antennae* corpore dimidio paulo longiores vel paulo breviores, setaceae, apice curvatae, supra fuscae, rarius ferrugineae; infra ferrugineae aut flavae, articulo 1 plerumque flavo interdum rufo aut ferrugineo, rarius solo puncto ferrugineo majore minoreve, rarissime toto nigro. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice pallidestraminea, squamula nigra, rarius rufa aut straminea; areola irregulari triangulari petiolata aut subpetiolata. *Pedes* crassiusculi; coxis *maris* rarius totis nigris, ut plurimum anterioribus, interdum etiam posticis, subtus flavis, *feminae* plerumque totis nigris, interdum subtus rufescentibus; trochanteribus *maris* plerumque nigris subtus flavis, anterioribus rarius flavis superne puncto nigro, anticis rarissime totis flavis, *feminae* rarius totis nigris, plerumque subtus rufis; femoribus anterioribus vel totis rufis, mediis interdum puncto basali nigro, vel superne nigris apice rufofulvo aut rufofulvis basi nigra, posticis nigris; tibiis fulvis aut rufofulvis, posticis interdum substramineis semper autem apicem versus plus minus nigricantibus aut nigris; tarsis anterioribus rufis aut fulvis, posticis vel totis fuscis vel subtus aut basi articulorum ferrugineis articulo ultimo semper rufo. *Abdomen* sericans, subsessile, *maris* capite thoraceque longius et paulo angustius, interdum thoracis latitudine, sublineare aut subfusi-

forme aut subclavatum, *feminae* capitis thoracisque longitudine vel paulo longius, thoracis latitudine, interdum paulo angustius, clavatofusiforme, rarius sublineare apice crassiore; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore, canaliculato, nigro, plerumque margine rufo, tuberculis lateralibus inter medium et basin sitis; segmentis reliquis rufis, 2 maris interdum macula seu punctis duobus nigris, 6 et 7 interdum macula nigricante, 7 rarius toto nigro. *Aculeus* brevissimus exsertus rufus aut fuscescens.

Haec species inter vulgatissimas censenda est. Mares et feminas legi, praesertim mensibus Maji et Iunii, in umbellatis fruticetis et in gramine, ubique fere in *Silesia*, nec non circa *Gottingam* et in *Hercynia;* plures, circa *Niesky*, *Trajectum ad Moenum*, *Halam Saxonum*, *Vindobonam*, *Parmam*, nec non in *Regione Pedemontana* et in *Gallia* capti, mihi transmissi sunt. — Individua italica, colore abdominis et pedum dilutiore, distincta sunt.

Varietates:

1. *Facie tota flava.* m. f. — *Longitudo* 3—5 linearum. *Caput* ore et facie flavis, plerumque labro ferrugineo, mandibulis basi et apice nigris; punctis duobus, saepius in lineam transversalem confluentibus, nigris, supra clypeum; interdum puncto faciei obscuro. *Abdomen* segmentis 2—7 rufis; 2 interdum maculis duabus aut fascia nigris,

ultimis interdum fuscescentibus, rarius omnibus dorso fuscescente. — Caetera cum individuis plurimis speciei genuinae congruunt.

Haec varietas fere aeque copiose reperitur ac species genuina. Mares et feminas cepi ubique in *Silesia*, nec non circa *Gottingam*, *Barterodam*, *Oedelem*, et in *Hercynia*, mensibus Maji—Septembris, praecipue in umbellatis, sed etiam in gramine et fruticetis. Alia individua, circa *Niesky*, *Halam Saxonum*, *Hannoveram*, *Vindobonam*, *Parmam*, *Genuam*, nec non in *Gallia*, *Volhynia* et *Tauria*, capta, mecum communicata sunt.

2. *Facie tota flava, segmentis ultimis nigris.* m. f. — *Longitudo* fere 3 — fere 5 linearum. *Caput* exacte varietati 1 respondet. *Pedes* anteriores fulvi aut flavicantes femoribus fulvis, coxis nigris subtus flavicantibus; postici coxis et femoribus nigris, trochanteribus dilutefulvis, interdum supra puncto nigro, tibiis flavis aut rufescentibus apice nigro aut fusco, tarsis fuscescentibus seu ferrugineis apice rufo. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice aut summo margine rufo; 2—4 rufis, 2 maris interdum maculis duabus, haud raro coalitis, nigris; 5 rufo aut nigro, aut lateribus basive rufis; 6 nigro, interdum basi aut lateribus rufis; 7 semper nigro. — Caetera sicut in individuis plurimis genuinis.

Mares et feminas passim in *Silesia*, nec non circa *Gottingam* et *Barterodam*, mensibus Maji — Augusti, in umbellatis fruticetis et in gramine,

legi. Plures in *Hercynia*, nec non circa *Hannoveram*, *Norimbergam*, *Trajectum ad Moenum*, *Aboam* et in *Volhynia* capti, mihi transmissi sunt.

3. *Facie nigra tota.* m. f. — *Longitudo* 3 — fere 5 linearum. *Tibiae* posticae interdum fere totae nigrae. *Abdomen* rufum; segmento 1 nigro, margine rufo; 2 rarius macula nigra. — Caetera colore variant quemadmodum in specie genuina.

Mares et feminas passim in *Silesia* legi, mensibus Maji et Iunii, in umbellatis frutetis et gramine. Plures, circa *Niesky*, *Pichelsberg*, *Gottingam*, nec non in *Volhynia*, *Etruria*, *Regione Pedemontana*, et *Gallia* captos accepi. — Feminae fere omnes (excepta una, die 5 Iunii prope Scheidnich in umbellatis capta) femoribus trochanteribusque anterioribus totis rufis, antennarum articulo 1 subtus flavo, a maribus se distinguunt, quibus fere omnibus (uno excepto, quem *Hartlieb* mense Majo prope Vratislaviam cepit) trochanteres et femora anteriores nigromaculati, antennarum articulus 1 totus niger, sunt.

4. *Segmentis ultimis nigris.* m. f. — *Longitudo* 3—4 linearum. *Abdomen* rufum; segmento 1 nigro margine rufo; 2 maris fascia nigra; 6 et 7 nigris. — Caetera cum individuis plurimis genuinis conveniunt.

Marem unicum cepi die 29 Maji prope *Scheidnich* in gramine; feminam unicam prope *Gottingam*.

5. *Segmentis ultimis nigris, facie nigra, femoribus anterioribus nigromaculatis.* m. f. — *Longitudo* 2¾—5½ linearum. *Coxae* omnes totae nigrae. *Tibiae* posticae rarius fere totae nigrae, solo medio plus minus rufescente, plerumque basin versus sordide flavicantes aut fulvescentes, interdum rufae apice nigricante. *Abdomen* segmento 1 rarius toto nigro aut castaneo basi nigra, plerumque nigro margine rufo; 2 et 3 rufis aut castaneis; 2 saepius punctis duobus aut linea transversali nigris, rarius nigro margine rufo; 3 rarius punctis duobus, aut macula, vel linea transversali, dorsalibus, aut basi, nigris; 4 plerumque rufo aut castaneo, rarius summa basi nigra aut dorso fusco, rarissime toto nigro; 5 vel toto nigro, interdum basi rufa aut castanea, vel toto rufo, interdum linea longitudinali nigra; 6 et 7 vel rufis macula dorsali nigra, vel totis nigris aut margine summo flavo. *Aculeus* rufus aut niger. — Caetera variant eadem ratione ac in specie genuina.

Copiam magnam individuorum legi passim in *Silesia*, nec non circa *Gottingam*, *Barterodam* et *Helmstadium*, mensibus Maji — Augusti, praesertim in umbellatis, vero etiam in fruticetis et in gramine. Multa etiam mihi transmissa sunt, in *Sudetis Silesiae*, nec non circa *Niesky*, *Sickershausen*, *Norimbergam*, *Hannoveram*, *Herzbergam*, *Genuam*, et in *Volhynia*, *Tauria*, *Fennia*, capta. — Minora quaedam (nec vero minimum), circa *Vratislaviam* capta, segmentis 2—7 omnibus rufis macula dorsali fusca aut nigra, distincta sunt.

6. *Segmentis ultimis nigris, facie nigra, femoribus posticis externe castaneis.* — Caeteris haec varietas cum varietate 8 convenit.

De patria nescius sum.

7. *Facie nigra; pedibus posticis fuscis, femoribus subtus testaceis.* — *Longitudo* fere 3 linearum. — Caetera conveniunt cum varietatis tertiae individuis femoribus anterioribus totis rufis.

Unicum individuum *pedemontanum Bonelli* mecum communicavit.

8. *Facie nigra, segmentis ultimis nigris, femoribus anterioribus totis rufis.* m. f. — *Longitudo* maris 3¼—5⅔, feminae 2½—5 linearum. *Caput* ore ferrugineo, rarius flavo, palpis substramineis, mandibulis et labro rarius totis nigris. *Antennae* vel sicut in specie genuina vel subtus basin et apicem versus totis fuscis. *Pedes* anteriores fulvi, tarsis et tibiis ut plurimum pallidioribus, coxis nigris, trochanteribus stramineis aut fulvis rufisve, interdum superne plus minus nigris, rarissime totis nigris, femoribus mediis interdum superne basin versus fuscis; postici coxis nigris, trochanteribus plerumque supra nigris subtus fulvis aut rufis, rarissime totis fulvis aut stramineis aut fere totis nigris, femoribus nigris, rarissime margine supero obsolete testaceo, tibiis stramineis aut fulvis aut rufis apice nigro, interdum nigris basin versus pallide fulvescentibus, tarsis vel totis fuscis vel articulis basi aut totis dilute rufis. *Abdomen*

segmento 1 nigro, plerumque apice aut margine rufo; 2—4 rufis, 2 maris interdum macula dorsali nigra aut punctis duobus obsoletis nigricantibus, 3 et 4 interdum dorso nigricante, 4 rarius margine nigricante aut toto obscuro badio; sequentibus nigris, 5 interdum lateribus aut basi rufo, rarissime toto rufo, 6 rarissime lateribus rufis; ultimis plerumque margine summo albente. *Aculeus* rufus aut fuscus. — *Alae,* nec non variabilitas *proportionis* antennarum et abdominis, individuis genuinis respondent.

Copiosissima individua legi in umbellatis, multa vero etiam in fruticetis, pauca in gramine, mensibus Maji — Augusti, ubique in *Silesia,* nec non circa *Helmstadium, Barterodam, Gottingam* et in *Hercynia.* Multa mihi transmissa sunt, circa *Niesky, Sickershausen, Norimbergam, Trajectum ad Moenum, Hannoveram, Vindobonam,* nec non in *Volhynia, Regione Pedemontana, Gallia meridionali, Lusitania* et *Fennia,* capta.

9. *Facie nigra, segmentis ultimis nigris, antennis nigris basin versus rufis.* — *Antennae* articulis 1 et 2 nigris, 3—7 fulvis sensim obscurioribus, reliquis fuscis. — Caetera conveniunt cum individuis plurimis varietatis 8.

Patria ignota.

10. *Facie antennis et segmentis ultimis nigris.* m. — *Longitudo* 4 linearum. *Antennae* nigrofuscae, subtus fuscae articulis 1—3—5 sordide

stramineis aut ferrugineis. *Pedes anteriores* rufi, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* segmento 1 nigro, margine rufo; 2—4 rufis; 5 vel toto nigro, vel rufo margine nigro; 6 et 7 nigris, hoc margine submembranaceo albo. — Caetera conveniunt cum maribus gracilioribus, antennis longioribus instructis, speciei genuinae.

Unum specimen cepi, mense Iulio, in gramine prope *Oedelem*, duo mense Iulio, in umbellatis prope *Barterodam*.

11. *Facie, antennis, segmentis ultimis, tibiisque posticis, totis nigris.* m. — *Longitudo* 4—4½ linearum. *Caput* solis palpis stramineis. *Antennae* corpore dimidio paulo longiores, totae nigrae. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice straminea; areola parva irregulari petiolata. *Pedes* nigri; anteriores tibiis, tarsis, femorum anticorum apice et latere infero, femorumque mediorum geniculo, fulvostramineis. *Abdomen* capite thoraceque longius et angustius, segmentis 2—6 subaequilatis; 1 nigro; 2 vel nigro, margine rufo, vel rufo, fascia nigra, latera versus abbreviata; 3 vel toto rufo vel basi nigra; 4 et 5 rufis; 6 et 7 nigris.

Mares duos *Roentgen* cepit, unum prope *Niesky*, alterum mense Iunio in *Hercynia*.

12. *Tibiis posticis totis rufis.* f. — *Coxae* subtus rufescentes. — Caetera feminis plurimis genuinis, femoribus anterioribus superne basin versus nigris, respondent.

Unicam feminam *pedemontanam Bonelli* mecum communicavit.

13. *Tibiis posticis totis rufis, facie tota nigra.* m. f. — *Longitudo* maris paulo ultra 4 lineas, feminae 3—4½ linearum. *Femora* anteriora plerumque tota rufa, rarius externe basin versus nigra feminae. — Caetera cum varietate 3 conveniunt.

Marem unicum et feminam, circa *Warmbrunn* captos, *Manger* mihi transmisit. Feminas quasdam ipse cepi in umbellatis, mense Iunio, circa *Vratislaviam;* duas circa *Gottingam;* duas, prope *Parisios* et *Genuam* captas, *Brongniart* et *a Spinola* mecum communicaverunt.

Synonyma:

Ichn. rutilator Linn. Faun. n. 1607. — Syst. XII p. 934. n. 30.
„ Fuesl. Helv. p. 49, n. 954; rarius.
„ Fabr. Syst. p. 336, n. 50. — Piez. p. 66, n. 67; in Europae hortis.
„ Schrank Austr. n. 742.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2690, n. 30.
„ Villers p. 166, n. 96.
„ Razoumowsky p. 215, §. 247.
„ Christ p. 366 (ubi autem verba Linneana *antennis subtus ferrugineis* prave verbis die Grundgelenke der Fühlhörner sind rostfärbig in linguam vernaculam translata sunt).
„ Olivier p. 185, n. 111.

Ichn. rutilator Schrank Boica n. 2093; circa Ingolstadt in umbelliferis.
„ Walckenaer p. 59, n. 52.
„ Gravenh. Ped. n. 135.
„ Trentep. in Iside 1826, p. 225, n. 42.
„ Thunb. Ichn. n. 256.
Ichn. impraegnator Schrank Austr. n. 793.
„ Villers p. 183, n. 148.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2697, n. 173.
„ Olivier p. 222, n. 95.
Ichn. anodon Schrank Boica, n. 2095; habitat cum Ichn. rutilatore.
Ichn. Ceparum Schrank Boica, n. 2992.
Ichn. insultator Grav. Uebers. n. 3744.

Synonyma dubia:

Ichn. Geoffroyi n. 82, p. 357.
Ichn. Cepae Fourcroy p. 421, n. 83.
„ Villers p. 192, n. 185.
„ Olivier p. 211, n. 28.
„ Walckenaer p. 68, n. 93. (De omnibus his synonymis notam secundam, huic speciei adjectam, consulere velis).

Nota:

1. Individua speciei genuinae tanquam centrum occupant, e quo, locis pluribus, varietates oriuntur sensim longius a specie genuina discedentes. Vidimus puncta flava faciei interdum in maculam unam magnam confluere, qua magis magisque extensa tandem facies tota flava redditur, ut in

varietatibus 1 et 2. Punctis istis autem sensim obliteratis, tandem facies tota nigra evadit, qualem in varietatibus plurimis conspicimus. Variat porro haec species segmentis ultimis vel rufis vel nigris: Rufa sunt speciei genuinae et varietatibus 3, 7, 12 et 13; sed in quibusdam individuis genuinis, nec non in varietatibus 1 et 2, hic color rufus jam cum fusco aut nigricante miscetur, interdum segmentum septimum ipsum totum nigrum evadit. Haec nigredo intensior fit et augetur in varietatibus 4 et 11; magisque in varietatibus 5, 8 et 10. Etiam color pedum multis rationibus variat; femoribus anterioribus nempe vel totis rufis aut fulvis, in varietatibus 2, 6, 7, 8, 9, 10, vel supra nigris, in varietatibus 5, 11, 12; varietates reliquae et species genuina variant femoribus anterioribus vel totis rufis vel plus minus nigromaculatis. Tibiae posticae, plerumque rufae aut substramineae apice nigro, varietatibus 7 et 11 totae nigrae sunt, varietatibus 12 et 13 autem totae rufae. Antennae tandem, rarissime, in paucis individuis genuinis, fere totae ferrugineae, plerumque subtus rufae aut flavescentes, in quibusdam individuis varietatum 6, 8, 9 basin et apicem versus fuscae, varietatibus 10 et 11 fere totae nigrae sunt.

Sed non solum colore et pictura hujus speciei individua variant, vero etiam forma et proportione partium quarundam corporis; antennis longioribus aut brevioribus; abdomine vel capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel iis longiore et angustiore; segmento primo angustiore aut latiore

(de quibus conferre velis descriptionem speciei genuinae).

Omnes hae differentiae autem sensim sensimque commutantur et una in alteram transeunt, indeque nullo modo ad characteres stabiles plurium specierum secernendarum subpeditandos aptae sunt. Forsan potius una alterave species, adhuc sejuncta, cum hac conjungi posset; sed a speciebus quibusdam confinibus, colore statura et proportione partium ad *rutilatorem* nostrum propius accedentibus, hic praesertim pedibus crassioribus et brevioribus discernitur.

2. *Fuesly* l. c. ad *rutilatorem* adhibuit Schaefferi Icon. tab. 6, fig. 11, quae autem magnitudine, forma abdominis, et, secundum Panzerum, tarsis albis, differt. — Haud haesitarem, *Ichn. rutilatorem Rossii* Faunae II, n. 780 huc referre, nisi auctor speciei suae antennas corpore longiores tribuisset. — *Schrank* inter characteres distinctivos *rutilatoris* recepit *abdomen basi nigra bidentata*. Hi dentes autem nihil aliud esse videntur quam tubercula lateralia primi segmenti, quae quidem in multis aliis speciebus multo distinctiora sunt magisque prominent quam in hac. *Ichn. anodon Schrankii*, qui a *rutilatore* dentium illorum defectu differt, e Schrankii ipsius sententia, pro mera ejus varietate habendus est.

Ichn. impraegnator auctorum ad nostram varietatem 11 *rutilatoris* redigendus est. E descriptione auctorum quidem segmentum secundum

quinquepunctatum esse deberet, punctis hoc ordine: 3, 2 collocatis; sine dubio autem haec puncta sunt rudimenta fasciae dissolutae, cujus in descriptione hujus varietatis mentionem feci.

De *Ichneumone Ceparum Schrankii* haud omnia dubia sublata sunt: Nescio, num omnes ejus varietates huc referri possint. Descriptiones breves earum ad nostras varietates quidem quadrant; sed auctor ad suam speciem adhibuit *Ichn. devastatorem* Austr. n. 741, cui abdomen petiolatum est, et *Ichn.* n. 82 *Geoffroyi* p. 357, quem *Fourcroy* et reliqui Entomologi gallici nomine *Ichneumonis Cepae* designaverunt. Hujus Ichneumonis Geoffroyani varietas, femoribus posticis nigris, ad nostram speciem referri potest; sed varietatem femoribus posticis totis ferrugineis, cujus Geoffroy mentionem facit, inter copiam fere innumerabilem individuorum nostrae speciei nunquam vidi. Quaeritur autem, num forsan Geoffroy speciem aliam, illi affinem, femoribus posticis rufis, forte nostrum *Tr. brunniventrem*, n. 187, pro varietate *rutilatoris* habuerit? Auctor de oeconomia speciei narrat, eam Allium cepam, porrum, sativum, aliasque hujus classis plantas frequentare, quarum foliis interdum folliculi parvi reticulati inhaereant; se hos folliculos collegisse, e quibus hic Ichneumon ejusque varietates provenissent. Ex quo hanc notitiam legeram, plantas istas saepius adtente adibam; mihi autem nunquam contigit, ut in eis folliculos aut Ichneumones, tales plantas praediligentes, invenissem. — Ob brevitatem descriptio-

num nihil certi de identitate aut differentia specifica varietatum, quarum auctores laudati mentionem fecerunt, erui potest; numerus enim Ichneumonum et Tryphonum nigrorum, abdominis medio pedibusque rufis, femoribus posticis concoloribus aut nigris, permagnus est. Quin imo, nedum genus hujus speciei e descriptionibus ejus exhibitis cognosci potest!

Ichn. insultator Gravenh. ad nostram varietatem quintam adhibendus est.

Mesoleius.

206. T. LONGIPES. n.

> Abdominis medio rufo; pedibus rufis, anteriorum coxis et trochanteribus flavis, posticorum coxis femoribus et tibiarum apice nigris, trochanteribus flavis; facie et linea ante alas flavis. m.

Statura et proportio partium omnino *Tr. semicaligati*, n. 178, sed areola nulla.

Longitudo 4 linearum. *Caput* facie oreque flavis, mandibulis apice nigro. *Antennae* fere corporis longitudine, apice incurvae subsetaceae, subtus fuscoferrugineae articulo 1 flavicante. *Thorax* gibbulus, linea flava suturali ante alas. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavis. *Pedes* graciles, rufi; anteriores coxis et trochanteribus flavis; postici trochanteribus flavis, femoribus coxis et tibiarum apice nigris. *Abdomen* subpetiolatum, capite thoraceque vix paulo longius, thorace paulo angustius,

subcylindricooblongum; segmento 1 laevi, apicem versus sensim paulo dilatato, latitudine triplo longiore; 2—4 rufis.

Unicum individuum cepi mense Iulio in umbellatis circa *Barterodam*.

Nota:

Haec species, nec non proxime sequens et *Tr. semicaligatus*, a reliquis hujus familiae speciebus differunt corpore toto pedibusque gracilioribus et longioribus, quibus ad *Banchorum* familiam secundam propius accedunt.

207. T. QUADRILINEATUS. n.

Abdominis medio, tibiis anterioribus, femoribusque rufis; orbitis oculorum internis, lineis duabus faciei, lineaque ante alas, flavis. m. f.

Statura et proportio partium speciei antecedentis, cui haec affinis est, sed areola differt.

Longitudo 3¼—3½ linearum. *Caput* palpis rufis aut flavis; macula mandibulari, clypeo aut linea transversali clypei, orbitis oculorum internis, lineis duabus faciei longitudinalibus, inferne cum orbitis oculorum confluentibus, superne, versus basin antennarum, subconniventibus (sicut in *Tryph. erythropalpo*), plerumque macula genarum, flavis. *Antennae* articulis 1 et 2 plerumque subtus flavis. *Thorax* linea seu lineola ante alas, plerumque puncto infra alas, flavis. *Alae* subfu-

matohyalinae, radio et stigmate piceis aut fuscis, radice et squamula albido flavis; areola sessili, triangulari aut subquinqueangulari (uni individuo in dextra ala prorsum deficiente, in sinistra autem nervo exteriore incompleto). *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, subtus plerumque distincte aut obsolete castaneis; femoribus posticis plerumque summa basi, interdum etiam geniculo, nigris; tibiis tarsisque posticis nigris aut fuscis, illis interdum medio badiis. *Abdomen* segmento 1 interdum apice castaneo; 2 castaneo, vel macula laterali vel fascia dorsali vel basi nigra aut fusca; 3 castaneo, rarius apice nigro; 4 vel toto castaneo, vel margine aut ante marginem nigro; interdum 2—4 rufis, margine et lateribus fuscis. *Aculeus* exsertus brevis niger.

Mares duos cepi mense Iunio prope *Vratislaviam* in fruticetis; tertium, circa *Warmbrunn* captum, *Manger* transmisit. Feminam unicam *Hartlieb* mense Majo prope *Vratislaviam* cepit.

Varietas:

1. *Lineis flavis faciei deficientibus.* — *Abdomen* segmento 1 apice rufo; 2—5 rufis, marginibus fuscis. *Tibiae* posticae totae nigrae. — Caetera cum maribus plurimis genuinis conveniunt.

Unicum marem cepi die 15 Augusti prope *Warmbrunn* in fruticeto.

Nota:

Conferas notam ad speciem antecedentem.

Mesoleius.

208. T. HAMULUS. n.

Abdomine rufo basi nigra, tibiis anterioribus femoribusque rufis, ore et linea ante alas albidis. f.

Longitudo 3 $^1/_5$ linearum. *Caput* ore et clypeo sordide stramineis aut albidis, mandibulis basi et apice nigris. *Antennae* corpore paulo longiores, porrectae, apice recurvae graciliores. *Thorax* gibbulus; puncto et linea suturali ante alas, hac plerumque apice hamata, flavoalbis. *Alae* subfumatohyalinae aut hyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, radice et squamula albidis; areola nulla. *Pedes* subgraciles; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, femoribus badiis aut castaneis, basi apiceque nigris, tibiis interdum subtus basi badia. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, interdum paulo angustius, oblongum, subsessile; segmento 1 canaliculato, apicem versus sensim dilatato, latitudine longiore, nigro, tuberculis lateralibus ultra medium sitis; 2 nigro, margine castaneo, seu castaneo macula dorsali nigra; sequentibus castaneis. *Aculeus* exsertus perbrevis niger.

Feminas duas *Roentgen* mense Iunio in *Hercynia* cepit, tertiam *austriacam Dahl* mihi transmisit.

209. T. HUMERALIS. n.

Segmento 2 pedibusque rufis, horum posticis basi apiceque nigris; facie, coxis et trochanteribus anterioribus, maculis thoracis, antennisque subtus, flavis. m.

A specie praecedente haec differt tibiis posticis brevioribus, segmento 1 breviore et latiore.

Longitudo 3¼ linearum. *Caput* facie ore genisque ochraceoalbis, mandibulis apice nigro. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores, apice subcurvatae; subtus sordidestramineae, articulo 1 pallide flavo. *Thorax* gibbus; macula ante alas, lineola infra alas, punctis duobus marginis inferioris colli, maculisque duabus irregularibus pectoralibus pone coxas anticas, flavis. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate et radio piceofuscis, radice et squamula flavis, areola nulla. *Pedes* mediocres, subgraciles; anteriores rufofulvi, coxis et trochanteribus flavis, mediis basi summa nigris; postici rufi, coxis et trochanteribus nigris, his apice flavo, tarsis tibiisque nigrofuscis, his ante basin et latere infero fere toto (apice solo excepto) rufis. *Abdomen* capite thoraceque vix paululum longius et angustius, subsessile, segmentis 2—6 subaequilatis; segmento 1 canaliculato, subaciculato, apicem versus sensim dilatato, nigro, parte antica longitudine latitudinis, tuberculis laterali-

bus inter medium et basin sitis; 2 rufo, subaciculato, linea transversali nigra subobsoleta; reliquis nigris, 3 angulis baseos rufis.

Marem unicum *fennicum Sahlbergio* debeo.

Mesoleius.

210. T. ADPROPINQUATOR. n.

Abdomine rufo, apice nigro, ano albo; tibiis anterioribus femoribusque rufis; annulo antennarum albo. f.?

Longitudo 3—4 linearum. *Antennae* corpore dimidio longiores, apice incurvae graciliores, nigrae; articulis 11—15 albis, sequentibus subtus interdum fuscoferrugineis. *Thorax* gibbus. *Alae* hyalinae, radio stigmate et radice ferrugineopiceis, squamula nigra; areola nulla, aut vestigio cellulae parvae irregularis petiolatae. *Pedes* anteriores mediocres, rufi, coxis et trochanteribus nigris; medii interdum femoribus basin versus fusconigricantibus, tibiis badiis externe nigricantibus, tarsis nigricantibus; postici elongatuli nigri, femoribus rufis geniculo nigro, tibiis interdum basin versus obsoletebadiis. *Abdomen* subpetiolatum, capite thoraceque vix paulo longius, thoracis latitudine, fusiforme apice subclavato; segmento 1 laevissimo, rufo, basin versus sensim angustato, latitudine fere duplo longiore, tuberculis lateralibus paululum ultra medium sitis; 2 et 3 rufis, 3 interdum macula nigricante dorsali; 4 rufo, linea trans-

versali nigra ante marginem; reliquis nigris, 6 et 7 margine membranaceo albo. *Aculeus* absconditus.

Individua tria accepi, circa *Warmbrunn* et *Hannoveram* capta.

211. T. VARICORNIS. n.

Abdominis medio rufo, femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro; tarsis posticis annulo albo; antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium omnino praecedentis.

Longitudo 5 linearum. *Antennae* articulis 1—3 nigris, 4—12 ferrugineis, 13—15 albis, reliquis rufoferrugineis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio rufis, radice et squamula nigris, areola nulla. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici elongati, apice femorum et tibiarum tarsisque nigris, his autem articulis 3 et 4 pallidefulvis. *Abdomen* nigrum, segmento 1 margine rufo, 2—4 rufis, 5 rufo fascia media nigra, reliquis nigris. *Aculeus* exsertus niger brevissimus.

Feminam unicam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

212. T. BICOLOR. n.

Segmentis 1—4, femoribus, tibiisque rufis, harum posticis apice nigro. f.

A duobus praecedentibus hic corpore toto paulo graciliore, antennis longioribus et tenuioribus, differt.

Longitudo 4⅔ linearum. *Antennae* graciles, corpore parum breviores, subtus apicem versus ferrugineae. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et radice piceostramineis, squamula nigra, areola nulla. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, tibiis rufis apice nigro. *Abdomen* segmentis 1—4 rufis, 1 subcanaliculato. *Aculeus* brevis exsertus niger.

Unicam feminam *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

213. T. PUNCTUS. n.

Segmentis 2 et 3 rubricosis; facie tibiisque flavis, harum posticis apice nigro. m.

A plurimis speciebus hujus familiae haec differt, segmenti primi parte antica crassiore et latiore, abdomine dense et distincte puncto, indeque minus nitido.

Longitudo 6 linearum. *Caput* ore et facie flavis. *Antennae* porrectae filiformes, fuscae, subtus articulis 1 et 2 flavis, sequentibus fulvis, ultimis autem totis fuscis. *Thorax* gibbus. *Alae*

fumatohyalinae, stigmate et radio fuscoferrugineis, radice flavicante, squamula nigra; areola subtriangulari subpetiolata. *Pedes* graciles, longitudine mediocri; antici flavi, latere supero coxarum trochanterum et femorum nigro; medii flavi, coxis et latere supero trochanterum et femorum nigris, tarsis superne fuscis; postici nigri, tibiis flavis, apice et summa basi nigris. *Abdomen* thorace duplo longius, ejus autem latitudine, subpetiolatum, sublanceolatum, segmentis 2—4 aequilatis; 1 nigro, dense puncto, lineis duabus elevatis, parte antica subconvexa, latitudine longitudinis, sensim angustata in petiolum triente angustiorem, tuberculis lateralibus obsoletissimis, in medio sitis; 2 et 3 rubrocastaneis; reliquis nigris subnitidulis. — *Corpus* totum, imprimis autem caput thorax coxae et segmentum primum, pilis brevissimis griseis vestita sunt.

Marem unicum *Besser* e *Volhynia* transmisit.

FAMILIA III,

seu subgenus:

EXOCHUS

a verbo ἔξοχος, prominens — ob faciem prominentem.

Pedibus brevibus crassis; facie protuberante; abdomine subsessili, oblongo-cylindrico.

Caput transversum breviusculum, facie infra antennas plus minus protuberante. — *Oculi* ovales, rarius suborbiculati. — *Antennae* mediocres. — De *antennis* et *oris partibus* in notis ad Exoch. mansuetorem et frenatorem uberius tractatum est. — *Thorax* cylindricus aut subgibbo-cylindricus. — *Scutellum* triangulare planiusculum. — *Alae* mediocres, rarius subparvulae (e. g. Ex. gravi); areola plerisque nulla, aliis parva triangulari, petiolata aut subpetiolata. — *Pedes* breves crassi, femoribus et tibiis compressiusculis. — *Abdomen* subsessile convexum cylindricooblongum, interdum subcrassiusculum, vel thoracis longitudine et latitudine, vel eo longius et paulo angustius; nitidum, leve, rarissime segmentis anticis scabriculis (Ex. cristatori); *segmento primo* plurimis latitudine paulo longiore, basin versus sensim angustato, subcanaliculato, rarius subquadrato subsessili (Ex. cristatori), tuberculis lateralibus ultra medium segmenti sitis. Feminis apex abdominis crassior esse solet, valvula ventrali segmenti sexti prominente; sed Exochus gravipes, cujus descriptionem conferre velis, de hoc charactere sexuali externo incertum me reliquit. — *Aculeus* plerumque absconditus.

De confinitate inter Exochos et *Tryphones* conferas quae jam sub his protuli. — *Orthocentri* facie tumidiuscula (e. g. *Orth. anomalus, incisus*) ad Exochos adpropinquant; sed areola quinqueangulari discedunt. —

SECTIO I.

Areola parva.

Erromenus.

214. E. FRENATOR. n.

Sericeus, femoribus tibiisque rufis. m. f.

Longitudo maris 2—$3\frac{1}{5}$, feminae $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ linearum. *Corpus* sericeum. *Caput* ore plerumque rufo aut obscuroferrugineo, mandibulis apice nigro. *Antennae* corpore dimidio longiores, apice curvatae subgraciliores, rarissime subtus vel totae vel basin versus rufoferrugineae. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice fusca aut straminea, squamula testacea; areola obliquetransversa, parva, irregulari, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* validiusculi breviusculi, rufi, coxis nigris, trochanteribus vel nigris apice rufo vel rarius totis rufis, tibiis plerumque basi summa paulo pallidiore aut flavicante. *Abdomen* subsessile, capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, thorace paulo angustius, vel oblongum, vel subcylindricum segmentis 2—6 aequilatis, feminis apice paulo crassiore; segmento 1 latitudine longiore, apicem versus sensim paulo dilatato, lineis duabus elevatis; reliquis plerumque summis marginibus rufescentibus. — Nonnullis individuorum abdominis apice haud incrassato *stylus* prominet ex ano brevis obtusus, in uno individuo bipartitus seu e vaginis duabus conflatus, stylo breviore incluso; haec pro *maribus* habeo. — Individuorum abdominis apice crassiore quibusdam e segmenti sexti orificio ven-

trali prostat membrum sursum curvatum, validiusculum, apicem versus sensim angustius, apice ipso acuto, brevissimum; hoc membrum *aculeus* esse videtur.

Feminas nonnullas cepi, mense Augusto, in umbellatis circa *Vratislaviam* et *Warmbrunn*, marem mense Iulio prope *Vratislaviam* in gramine. Plures mares et feminas accepi, in *Silesia*, nec non in *Hercynia*, et circa *Sickershausen*, *Hannoveram* et *Genuam*, captos.

Varietas:

1. *Pedibus posticis nigris, latere interno femorum et tibiarum rufis.* — Caetera cum plurimis speciminibus genuinis conveniunt.

De patria hujus individui nescius sum.

Nota:

1. Ratione crassitudinis et longitudinis pedum, nec non formae abdominis, haec species medium tenet inter reliquas species hujus familiae et familiam antecedentem, ambasque jungere videtur.

2. Descriptio *antennarum* et *oris*, auctore *Nees ab Esenbeck* haec est:

Antennae breves, rectae, filiformisetaceae, dense pubescentes, articulis 27; radicula pateraeformi; scapo crassiori, ovato, apice parum obliquo, concavo; pedicello subimmerso, parum prominente, pateraeformi; articulo accessorio distincto, late annuliformi; articulo quinto obconico, insequente

dimidio longiori; reliquis cylindricis, maxime contiguis, longitudine decrescentibus, extremis longitudine latitudinis, ultimo minimo subovato.

Clypeus distinctus, linea impressa arcuata discretus, transversus oblongus convexus laevis, margine infero rotundato integro. — *Labrum* membranaceum, e basi transversa, sectorem circuli referente, subulatum angustum inflexum. — *Mandibulae* breves compressae planiusculae, superficie exteriori aequali rugulosa, apice emarginatae, dentibus, seu lobis, brevibus obtusis subaequalibus. — *Maxillae* labium amplectentes, ejusdemque latitudine: *Stipes* corneus oblongolanceolatus obliquus convexus, a latere compressus, carina ciliatus: *Mala* membranacea, stipitis longitudine et latitudine, bifida; lacinia infera introrsum rotundatodilatata, sursum reflexa, supera obovato-subquadrata, margine ciliata. — *Palpi maxillares* mala duplo et ultra longiores, filiformes, recurvi, pubescentes, quinquearticulati; articulis 1, 2, 4 et 5 longitudine aequalibus; tertio paulo longiori; primo subcylindrico; secundo obconico, apice obliquo, compressiusculo, primo vix latiori; tertio elongatoobconico, seu a basi ad apicem sensim, sed parum, incrassato, subangulato, apice obliquo; quarto et quinto cylindricis, tertio paulo tenuioribus, quinto apice obtuso. — *Labium: Mentum* corneum, obovatoconicum, convexum laeve, apice tridentatum; dente medio majori obtusiusculo, lateralibus parvis acutis: *Lingua* membranacea subascendens, menti fere longitu-

dine et latitudine, subquadrata, apice ultra medium acute bifida, laciniis divergentibus ovatis obtusiusculis, lateribus deflexis subciliatis. — *Palpi labiales* lingua duplo longiores, incurvi hirti filiformes quadriarticulati; articulo primo clavato truncato; secundo et tertio obconicis, illo crassiori; quarto ovali obtuso, basi magis attenuato: Ratio longitudinis 1. 4. 2/3.

Exochus (b-a.)

215. E. CURVATOR.

Pedibus rufis, areola longepetiolata. f.

Longitudo 2 1/3 linearum. *Caput* palpis stramineis. *Antennae* filiformes, apice curvatae, corpore dimidio paulo longiores. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* amplae, hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis; areola irregulari, obliquetransversa longepetiolata. *Pedes* crassi rufi. *Abdomen* thoracis longitudine et latitudine, subsessile oblongum nitidum, apice paulo incrassatum; segmento 1 basin versus sensim angustato, latitudine paulo longiore, lineis duabus elevatis obsoletis. *Aculeus* haud conspicuus.

Unicum individuum cepit *Roentgen*, mense Iunio, in *Hercynia*.

Synonyma:

Ichn. curvator Fabr. Ent. p. 177, n. 182 (pedibus flavis) habitat in Dania.

Ichn. curvator Thunb. Ichn. n. 458.
Cryptus curvator Fabr. Piez. p. 88, n. 78. (Confer notam 2 ad *E. gravipedem*, n. 225.)

Exochus (S. d. 1)

216. E. PODAGRICUS. n.

Pedibus rufis, macula coxarum femorumque nigra; areola subpetiolata. f.?

Statura et proportio partium antecedentis; sed areola subpetiolata.

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis stramineofuscis. *Antennae* curvatae; subtus ferrugineae, apicem versus sensim obscuriores. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis; areola obliquetransversa subsessili. *Pedes* obscurorufi; coxis nigris apice rufo; femoribus anterioribus macula parva nigra externa, posticis macula majore fusca. *Abdomen* apice crassiusculum. *Aculeus* absconditus.

Duo individua, circa *Parisios* et *Sickershausen* capta, mihi transmissa sunt.

Varietas?

1. *Femoribus totis rufis.* m. — *Statura* et proportio partium sicut in maribus *coronati,* n. 218; sed areola differt. An mas feminarum genuinarum, modo descriptarum, hujus speciei? a quibus corpore toto antennis pedibusque gracilioribus et longioribus, praeterea etiam abdominis

apice haud incrassato, differt, — *Longitudo* 2½ linearum. *Caput* palpis stramineis. *Antennae* subtus basin versus stramineae. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis; areola irregulari petiolata. *Pedes* rufi, coxis nigris apice rufescente.

Unicum cepi individuum die sexto Augusti in fruteto prope *Warmbrunn*.

SECTIO II.

Areola deficiente.

Exochus (b. a.)

217. E. MANSUETOR.

Pedibus, antennarum basi, et macula faciei, rufis. f.

Longitudo 1⅓—2 linearum. *Caput* palpis stramineis. (De oris partibus consule notam ad hanc speciem); facie sub antennis magis protuberante quam in plurimis cospeciebus hujus familiae, macula majore minoreve rufa aut testacea. *Antennae* subsetaceae, corpore dimidio breviores, apice curvatae, fuscae, subtus rufae aut ferrugineae apicem versus obscuriores. *Thorax* cylindricus aut gibbulocylindricus. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula testaceis aut stramineis. *Pedes* crassi rufi; coxis plerumque basi nigra, posticis interdum fere totis nigris. *Abdomen* subsericeum, thoracis longitudine et latitudine, subsessile, oblongoovatum, apice crassiusculum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine longiore; 2—4 subaequilatis; 6 interdum valvula ventrali plus minus distincta; marginibus summis segmentorum interdum castaneis. *Aculeus* haud conspicuus.

Haec species vulgatissima est; omnia individua autem, quae vidi, propter abdomen apice incrassatum, pro feminis habeo. — Pluria cepi, *Vratislaviae* et *Gottingae*, mensibus Iunii—Augusti, vel domi ad fenestras, vel in gramine. Multa, circa *Warmbrunn*, *Sickershausen*, *Norimbergam*, *Ge-*

nuam, Parmam et in *Tauria* capta, mihi transmissa sunt; *lusitanicum* vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

Synonyma:

Ichn. mansuetor Grav. Uebers. n. 3721.

Nota:

De *antennis* et *oris partibus Nees ab Esenbeck* haec mecum communicavit:

Antennae plano supero tumoris faciei insertae, setaceae, apice curvatae, articulis 44 (?); radicula angustata obconica; scapo ovato-subcylindrico, brevi, rectatruncato, apice concavo; pedicello exserto disciformi; articulo accessorio obsoleto, tenuissimo, annuliformi, pedicello paulo angustiori; articulo quinto obconico, omnium longissimo; reliquis exacte cylindricis transversis contiguis, apicem versus diametro, nec longitudine, decrescentibus, hinc extremis diametro fere longioribus; ultimo parvo ovato subacuto.

Clypeus ab hypostomate tumido convexo punctato pubescente vix laevi vestigio lineae arcuatae impressae, punctoque utrinque insculpto, discretus, in hypostoma continuatus, ejusdemque puncturae, nec antrorsum angustior, sed ad oculos tumens, margine excavatus. — *Labrum* clypei sinum, cum mandibulis, replens, et sub illo recondendum, perpendiculare acutissimum triangulum membranaceum pellucidum, in medio linea paulo obscuriore notatum, cui innascuntur setulae octo,

in seriem positae, porrectae, basi bulbulo subgloboso pellucido innatae. — *Mandibulae* parvae angustae, fere lineares, facie exteriori planae, apice bifidae; dentibus acutis inaequalibus, supero majore. Singulare, quod singula mandibula, ultra basin, linea oblique transversa pellucida secatur, et quasi biarticulata appareat; facile etiam in hac linea rumpit. In quiete mandibulae conniventes clypei sinum claudunt. Reliquae oris partes, ratione parvae, cavitate gulae infra mandibulas excipiuntur. — *Maxillae* labii longitudine, idque arcte includentes: *Stipes* corneus obliqueovatus, apice introrsum obliquetruncatus, compressus convexiusculus laevis glaber: *Mala* membranacea, stipitis longitudine, bipartita; lacinia infera ovata acuta, extra superiorem introrsum non prominente, libera; supera subquadrata, infera paulo majore, introrsum parum obliqua, margine supero rotundato ciliato. — *Palpi maxillares*, ratione reliquorum Ichneumonum, breves rectae strictae subfiliformes pubescentes, quinquearticulati; articulo primo crassiusculo obconico; secundo semicordato, latissimo omnium; tertio obconico, primo tenuiore; quarto et quinto cylindricis, tertio tenuioribus, quinto obtuso. Articuli 1, 2 et 3 singuli singulis praecedentibus magis extrorsum inserti, quo anguli interiores altius introrsum protruduntur: Ratio longitudinis: $_{3}$. $\frac{4}{5}$. $\frac{1}{2}$. — *Labium: Mentum* corneum breve subrectangulum, sursum latius, convexiusculum laeve subpubescens, a latere vix compressum, margine supero

tecto, angulis rotundatis, basin linguae amplectentibus. *Lingua* membranacea ascendens tenuis, lineis transversis obscuris concentricis pulchre distincta, menti longitudine, et summa latitudine illud superans, triangulum aequilaterum, uno angulo adnatum, omnibusque rotundatis, specie referens, margine supero leniter arcuato integerrimo nudo, supra convexum, subtus concavum, lateribus nusquam pro more reliquorum deflexis. — *Palpi labiales* lingua circiter duplo longiores, recti filiformes pubescentes, quadriarticulati; articulo primo obconico subincurvo; secundo obcordato compresso latiori; tertio e cylindrico-obconico angustiori, facie interiori magis arcuata, exteriori recta; quarto cylindrico obtuso, praecedente vix tenuiori.

Exochus (b. a.)

218. E. CORONATUS. n.

> Pedibus rufis, tibiis posticis basi pallida; scutelli apice, punctoque ad radicem alarum, albidis; fascia faciei straminea. m. f.

Statura tota, nec non pedibus antennisque, paulo gracilioribus et longioribus, a specie antecedente discedit.

Longitudo maris fere 2—2½, feminae fere 2—3 linearum. *Caput* palpis et linea transversa arcuata, interdum obsoleta, infra antennas, stramineis. *Thorax* linea aut puncto ante alas albido, rarius rufescente; plerumque lineola sub scutello

albida. *Scutellum* apice distinctius aut obsoletius albido. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice straminea aut fuscescente, squamula straminea. *Pedes* rufofulvi, tibiis posticis basi pallida; rarius coxis posterioribus basi nigra. *Abdomen marium* subcylindricum, capite thoraceque paulo angustius et longius; *feminarum* capitis et thoracis longitudine et latitudine, subfusiforme; segmentis interdum castaneomarginatis.

Praeter nonnullas feminas, quas, mense Augusto, prope *Salzbrunn* et *Gottingam* cepi, plures mares et feminae, circa *Warmbrunn*, *Sickershausen*, *Norimbergam*, *Parmam* et *Genuam* capti, mihi transmissi sunt. — Inter feminas genuenses una, eaque omnium maxima, coxis posterioribus basi nigris a reliquis distincta est.

Varietates.

1. *Tibiis totis rufis.* f. — *Longitudo* $2\frac{1}{5}$ linearum. *Palpi* rufescentes. *Scutellum* lateribus et apice exalbidis. *Alae* hyalinae, stigmate stramineo, radio fuscescente, radice et squamula exalbidis. — Caetera individuis plurimis genuinis respondent.

Unicum individuum *Nees ab Esenbeck* vere in corylo prope *Sickershausen* cepit.

2. *Puncto albo ad radicem alarum deficiente.* — Caetera cum specie genuina conveniunt.

De patria hujus varietatis dubius sum.

3. *Thorace lateribus castaneomaculatis.* m. f. — *Thorax maris* macula castanea laterali ante collum, altera supra coxas medias; *feminae* prothoracis lateribus totis badiis. — Caetera sicut in specie genuina.

Marem, circa *Genuam* captum, *a Spinola* mecum communicavit; feminam ipse, una cum femina genuina, mense Augusto prope *Salzbrunn* cepi. — Haec varietas *erythronotum*, n. 228, cum genuino *coronato* jungere videtur.

219. E. LENTIPES. n.

Pedibus fulvis; tibiis albis, posticis apice fusco; scutello apice rufo; facie et thorace flavomaculatis. m.

Statura et proportio partium *coronati*, n. 218, et *tardigradi*, inter quos, coloris ratione, haec species medium tenet.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* fascia faciali, margine medio infero emarginato, flava. *Antennae* fuscoferrugineae, subtus stramineae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* linea ante alas, lineola infra alas, et macula laterali ante collum, flavis. *Scutellum* apice summo rufescente. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate stramineopiceo, radio fuscescente, radice et squamula flavis. *Pedes* fulvi; tibiis albis, anterioribus apice fulvo, posticis summa basi summoque apice fuscis. *Abdomen* subsericeum, segmentis mediis summo margine rufescente.

Unicum marem cepi die 2 Iulii in fruticeto prope *Scheidnich.*

Varietas:

1. *Tibiis flavis, posticis apice fusco; scutello apice albo.* m. — *Longitudo* paululum ultra 3 lineas. *Caput* palpis et facie flavis, hac puncto seu macula parva ante clypeum nigro. *Antennae* fuscae. *Thorax* macula ante alas, puncto laterali ante collum, lineolaque transversa sub scutello, albidis. *Scutellum* apice albido. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallideflavis. *Pedes* anteriores fulvi, coxis et trochanteribus pallideflavis, illis basi summa nigra, tibiis basin versus pallideflavis; postici coxis nigris apice rufescente, trochanteribus rufis basi summa fuscis, femoribus diluterufis, tibiis pallideflavis, apicem versus supra fuscescentibus subtus rufis, basi summa fuscis, tarsis stramineis apice articulorum fusco.

Marem unicum *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

Nota:

Varietas descripta, statura et proportione partium nec non pictura thoracis et scutelli, cum specie genuina conveniens, colore pedum magis ad *tardigradum*, n. 222, quadrat, colore faciei medium tenet inter hunc et illam.

Exochus (k. a.)

220. E. FEMORALIS.

Pedibus crassissimis rufis; antennis subtus ferrugineis. f.

Longitudo 2¾—3¼ linearum. *Caput* palpis substramineis aut fuscis, facie infra antennas rufescente aut badia. *Antennae* corporis dimidii longitudine aut vix paulo longiores, apicem versus graciliores curvatae; subtus ferrugineae aut fusco-ferrugineae. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis. *Pedes* crassissimi rufi. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongum, aut segmentis 2—4 latitudine aequali, subsessile, apice crassiusculum; segmento 1 basin versus sensim angustato, subcanaliculato, longitudine latiore. *Aculeus* plerumque haud conspicuus; paucis ventre e segmento sexto exsertus, rufus, nitidus, subsursum curvatus, gracilis, apice graciliore, vaginis haud discernibilibus, longitudine segmenti ultimi, quod ille haud excedit.

Quaedam individua cepi prope *Gottingam;* alii hanc speciem in *Silesiae Sudetis*, prope *Trajectum ad Moenum*, *Norimbergam*, et *Sickershausen* reperierunt. Individuum *lusitanicum* vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg*, sub nomine *Ichn. curvatoris* Fabr. (confer nostram speciem 215, quae melius ad hunc Fabricii Ichneumonem quadrare videtur, et notam ad E. gravipedem, n. 225).

Varietas:

1. *Coxis nigromaculatis, antennis totis nigris.* f. — *Statura* etc. feminae genuinae, sed antennis brevioribus. Medium tenet inter *femoralem* genuinum et *gravipedem*, n. 225. — *Longitudo* $2\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* fascia arcuata faciali, nec non puncto ad orbitas oculorum verticales, pallidetestaceis. *Antennae* fere corpore dimidio paulo breviores. *Pedes* diluterufi; coxis anticis nigris, posterioribus castaneorufis basi nigra; trochanteribus basi nigra. *Abdomen* apice crassiusculum, valvula parva ventrali segmenti sexti.

Unicum individuum *pedemontanum Bonelli* misit.

Synonyma:

Ichn. Geoffroi p. 326, n. 11; in domibus ad fenestras.

Ichn. femoralis Fourcroy p. 396, n. 11.
„ Villers p. 188, n. 166.
„ Olivier p. 207, n. 4.
„ Grav. Pedem. n. 136.

221. E. CRASSICORNIS. n.

Antennis pedibusque rufis, coxis nigris. f.

Statura et proportio partium speciei antecedentis; pedibus autem minus crassis, antennis fere paulo crassioribus.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* ore rufo, palpis pallidioribus. *Antennae* rufoferrugineae, apice involutae (articulis ultimis deficientibus). *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula testaceis. *Pedes* rufi, coxis nigris, tibiis posticis basi summa fuscescentibus. *Abdomen* segmentis 2—4 dorso badio, 6 valvula ventrali parva.

Feminam unicam *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Exochus (b. d.)

222. E. TARDIGRADUS. n.

Pedibus fulvis, coxis posticis nigris; tibiis posticis albidis, apice et summa basi nigris; facie flava; antennis subtus rufis. f.

Statura et proportio partium omnino *femoralis*, n. 220; pedibus paulo gracilioribus.

Longitudo 2⅓—2½ linearum. *Caput* facie et ore flavis. *Antennae* filiformes, corpore dimidio paulo longiores, curvatae, fuscoferrugineae, subtus fulvoferrugineae, articulo 1 superne nigro. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscescentibus, radice et squamula pallideflavescentibus. *Pedes* fulvi; postici coxis nigris apice fulvo, femoribus geniculo nigro, tibiis albidis apice et summa basi nigris, tarsis pallidis aut ferrugineis. *Abdomen* apice crassiusculum; segmento 6 valvula ventrali parva prominente.

Individua duo, prope *Warmbrunn* et *Norimbergam* capta, accepi.

Exochus (p. a.)

223. E. PROSOPIUS. n.

Facie pedibusque flavis, femoribus fulvis, coxis posticis supra nigris, scutelli summo apice pallido. m.

Statura et proportio partium *gravis*, n. 227, sed abdomine paululum crassiore. An varietas *lentipedis* n. 219?

Longitudo 3 — fere 4 linearum. *Caput* palpis, macula mandibularum et facie, flavis, hac interdum linea longitudinali nigra abbreviata. *Antennae* interdum articulo 1 subtus flavo. *Thorax* rarius puncto laterali prothoracis flavo. *Scutellum* apice summo interdum solo puncto minutissimo, aut punctis duobus apicalibus, flavis aut testaceis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallideflavis. *Pedes* pallideflavi; anteriores femoribus externe, vel fere totis, fulvis, unguibus fuscis; postici coxis superne nigris, femoribus fulvis, tibiis apicem versus fulvis apice summo ipso nigricante, unguibus fuscis. *Abdomen* apice haud crassiusculum.

Individua nonnulla, circa *Warmbrunn*, *Vratislaviam* et in *Tauria* capta, mecum communicata sunt; *tauricum* lineola faciali nigra, punctoque laterali thoracis flavo, insigne est.

224. E. MITRATUS. n.

Sericeus; femoribus tibiisque rufis, harum posticis basi summa alba; facie et thorace albomaculatis. f.

Statura et proportio partium sicut in individuis crassioribus *coronati*, n. 218.

Longitudo 3¼—3½ linearum. *Caput* facie vel albida, linea brevi longitudinali nigra, vel nigra, fascia arcuata alba. *Antennae* subsetaceae, corporis dimidii longitudine. *Thorax* cylindricus aut gibbulocylindricus, linea albida ante alas. *Scutellum* interdum marginibus lateralibus albidis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis puncto fusco. *Pedes* crassi rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris, tibiis posticis basi summa albida. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, thorace perpaululum angustius, sessile; segmentis 2—5 aequilatis; 1 apicem versus paulo dilatato, latitudine paulo longiore, lineis duabus elevatis; 6 plerumque valvula ventrali prominente.

Dahl transmisit feminas duas *austriacas*, quarum altera, abdomine paulo longiore, facie alba lineola nigra, scutelli margine laterali et lineola infra scutellum albidis, insignis est. Specimen tertium, itidem *austriacum*, a *Bessero* transmissum, abdomine paulo graciliore, absque valvula ventrali, forsan sexus masculini est.

Exochus (p. a.)

225. E. GRAVIPES.

Pedibus rufis, coxis nigris. m. f.

Statura et proportio partium speciei praecedentis.

Longitudo maris 3¼ — fere 4, feminae 2¼ — 4 linearum. *Antennae* subfiliformes, *feminae* dimidii corporis longitudine, apice curvatae, *maris* paulo longiores porrectae. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice straminea aut testacea, squamula nigra aut picea, plerumque apice stramineo, rarius tota straminea. *Pedes* crassi rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris, his ut plurimum apice rufo, tibiis posticis interdum summa basi pallida. *Abdomen* subsericeum, capite thoraceque paululum longius et angustius, vel illorum latitudine, feminae apice paulo crassius, valvula ventrali segmenti sexti subprostante; segmentis 2—5 subaequilatis, 1 lineis duabus elevatis abbreviatis. *Aculeus* absconditus.

Mares tres cepi, mensibus Iulii Augusti et Octobris, circa *Vratislaviam* et *Barterodam*, in gramine et umbellatis; feminam circa *Vratislaviam*. Feminae plures autem, circa *Warmbrunn*, *Sickershausen*, *Vindobonam*, *Aboam*, *Genuam* et *Taurinum*, nec non tria individua incerti sexus (de quibus conferre velis notam huic speciei additam), circa *Trajectum ad Moenum* et in *Volhynia Tauriaque* capta, mecum communicata sunt.

Synonyma:

Ichn. gravipes Grav. Pedem. n. 137.

Nota:

1. Individuis tribus sexus incerti, quibus p. 351 mentio facta est, antennae sunt longitudine intermedia inter marium et feminarum distinctorum antennas; abdomen gracilius, uti in maribus, at valvula ventralis, uti in feminis.

2. Hujus speciei et *femoralis*, n. 220, feminas in Museo Comitis de Hoffmannsegg, sub nomine *Ichn. curvatoris* Fabr. asservatas vidi. Cum autem Fabricius antennas totas nigras descripserit, nec coxarum nigrarum mentionem fecerit, illum Fabricii Ichneumonem potius ad meum *Exoch. curvatorem*, quam ad *femoralem* et *gravipedem*, adhibere malui. Monendum autem est, *Ichn. curvatorem* Fabr., pedibus flavis, ab illis tribus discedere.

226. E. CRISTATOR. n.

Abdominis basi scabricula; pedibus rufis, posticorum coxis nigris, tibiis basi summa albida, facie flava. m. f. (*Mas* antennis subtus fulvis).

Statura et proportio partium speciei praecedentis, sed pedibus paulo gracilioribus, sicut in specie sequente, segmento 1 basin versus minus angustato. Sculptura segmentorum 1—3 a reli-

quis hujus familiae speciebus, quarum abdomen laeve nitidum est, satis differt.

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore et facie flavis. *Antennae maris* graciles, filiformes, corpore paulo breviores, subtus fulvorufae articulo 1 flavo; *feminae* corporis dimidii longitudine, paululum crassiores quam mari, totae nigrae. *Thorax* sericeus. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis. *Pedes* rufi; anteriores mari coxis et trochanteribus subtus flavis; postici coxis nigris, tibiis basi summa pallida. *Abdomen maris* capite thoraceque longius et paulo angustius, *feminae* capitis et thoracis latitudine, eisque vix paulo longius, apicem versus crassius quam mari; segmento 1 basin versus vix paulo angustiore, subquadrato, latitudine perparum longiore, subscabriculo, lineis 2 elevatis; 2 et 3 punctoscabriculis, subopacis, linea longitudinali elevata subobsoleta, reliquis nitidulis.

Marem, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* sub nomine *Ichneum. cristatoris* mecum communicavit. Feminam *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Varietas:

1. *Marginibus segmentorum 3—6 castaneis; antennis subtus ferrugineis, articulo* 1 *flavo.* f. — Caetera utique feminae genuinae respondent.

Hanc feminam *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

Nota:

Ratione pedum et abdominis haec species medium tenet inter hanc familiam et antecedentem.

227. E. GRAVIS. n.

Abdominis medio rufomaculato, femoribus posticis tibiisque rufis. m.

Statura et proportio partium uti in *coronato*, n. 218, pedibus autem paulo gracilioribus.

Longitudo 2¾ — 3 linearum. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, subfiliformes, porrectae. *Thorax* cylindricus. *Alae* mediocres, interdum subparvulae, fumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice straminea aut rufoferruginea, squamula nigra. *Pedes* crassiusculi, rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus nigris geniculo rufo, posticis plerumque basi nigra; tarsis posterioribus fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, linearicylindricum, vix basin versus sensim paululum angustius; vel segmentis 2 et 3 rufis, puncto dorsali nigro, interdum etiam 4 basi subrufescente; vel segmentis 2 et 3 macula communi laterali rufa.

Mares duos cepi, mensibus Iunii et Iulii, circa *Vratislaviam* et *Oedelem*, tertium *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

Exochus (b. a.)

228. E. ERYTHRONOTUS.

Pedibus fulvis, thoracis dorso et lateribus rufis; scutello albido. m. f. (*Mas* facie albida; *femina* fascia faciei albida).

Statura et proportio partium *coronati*, n. 218; an ejus varietas?

Longitudo 1 ⅔—2 linearum. *Caput* maris ore et facie, feminae solis palpis et fascia faciei, albidoflavis; ore et clypeo interdum rufescentibus. *Antennae* filiformes fuscae. *Thorax* lateribus et dorso prothoracis, interdum etiam pectore, rufocastaneis; lineola transversa sub scutello, plerumque etiam linea ante alas et puncto infra alas, testaceis aut albentibus. *Scutellum* testaceum aut albidum. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscis, squamula et radice stramineis. *Pedes* testacei, tibiis basi pallida; antici interdum coxis et trochanteribus, rarius etiam tibiis, pallideflavis. *Abdomen* interdum segmenti 1 apice, 2 limbo, ferrugineorufis, interdum 2—6 summo margine castaneo; 6 feminae valvula ventrali prostante. *Aculeus* absconditus.

Par hujus speciei, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit. Feminae maribus sunt multo frequentiores; plures legi vere et aestate *Vratislaviae* et *Cudowae*, domi ad fenestras; plures, circa *Warmbrunn* et

in *Regione Pedemontana* lectae, mihi transmissae sunt; *lusitanicam* vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

Synonyma:

Ichn. erythronotus Gravenh. Ped. n. 138.

FAMILIA IV,

seu subgenus:

SCOLOBATES

a *σκωλοβατίζω*, grallis incedo — propter pedes posticos elongatos.

Pedibus posticis elongatis, tarsis crassiusculis; areola nulla; abdomine subsessili, oblongoovato, segmento primo basin versus sensim angustato.

Caput transversum subbuccatum, postice plerumque profundius excavatum quam in reliquis Ichneumonideis, exceptis Anomalis. — *Oculi* ovales. — *Antennae* porrectae, apice graciliores curvatae. — *Thorax* gibbus. — *Scutellum* triangulare, vel gibbum (longicorni et crassitarso), vel subcarinatum (italico). — *Alae* mediocres, areola deficiente. — *Pedes* anteriores mediocres; postici elongati, tarsis vel simplicibus vel latioribus quam in reliquis Ichneumonideis, exceptis Anomalis. — *Abdomen* subsessile convexum oblongo-ovatum, thorace paulo angustius pauloque longius, nitidum, laeve, apice interdum subcompresso (e. g. Sc. crassitarso); segmento primo apicem versus sensim dilatato, tuberculis lateralibus ante basin sitis. — *Aculeus* vix subexsertus.

Anomala, tarsis posticis crassioribus, hac ratione Scolobatis respondent; *Anomalon cerinops, fibulator* etc. capitis forma quoque cum Scolobatis congruunt. Caeterum autem ambo genera praesertim forma abdominis satis differunt.

---

229. S. LONGICORNIS. n.

Testaceorufus; antennarum apice, maculisque capitis et thoracis, nigris. f.

Statura et proportio partium feminae speciei insequentis.

Longitudo 4½ linearum. *Caput* oculis cinereis, macula frontali maculisque duabus verticis nigris. *Antennae* subfiliformes, apice tenuiores, longitudine 6 linearum; articulo 1 nigro, subtus rufo; 2 — 24 totis rufis; reliquis totis nigris. *Thorax* gibbus, testaceus; collo pectore lateribusque nigris, suturis testaceis; dorso prothoracis rufoferrugineo, medio testaceo, macula nigra ante collum. *Alae* fumatohyalinae irideae, stigmate fuscoferrugineo, radio rufo, radice et squamula testaceis. *Pedes* testacei; postici femoribus obscurioribus, coxarum et trochanterum basi nigra. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, depressiusculum; segmento 1 latitudine triplo longiore, aequilato, subcanaliculato, tuberculis lateralibus inter medium et basin sitis, macula laterali nigra; 2 longitudine paulo latiore; 3 — 6 transversis, sensim brevioribus; 7 parvo conico. *Aculeus* subexsertus testaceus.

Feminam unicam *Besser* e *Volhynia* transmisit.

230. S. CRASSITARSUS. n.

Abdominis medio, tibiis anterioribus, femoribus, capitisque picturis, rufis. m. f.

Longitudo maris 3—3 ⅔, feminae 3 ½—4 linearum. *Caput* fulvoferrugineum; vertice et occipite, plerumque etiam puncto infra antennas et lineis duabus faciei, nigris. *Antennae* subfiliformes, corpore longiores, *maris* porrectae, fuscoferrugineae, basin versus nigricantes, subtus pallidiores articulo 1 pallideferrugineo, *feminae* apice subcurvatae, vel fuscae, subtus rufae apicem versus fuscae, vel stramineae apice subfuscescente, articulis 1 et 2 nigris subtus testaceoferrugineis (in individuo genuensi de antennis nil nisi articuli 1—3 supersunt, quorum 1 niger, subtus basi flavus, 2 et 3 autem toti nigri sunt). *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae; stigmate radio et squamula fuscis, radice straminea aut testaceoferruginea. *Pedes* anteriores mediocres, testaceorufi, coxis trochanteribus et summa femorum mediorum basi nigris; postici elongati, tarsis crassioribus quam in reliquis cospeciebus, nigri, femoribus rufis, tibiis basi rufescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius; *maris* fusiforme, depressiusculum; segmento 1 apicem versus sensim paulo dilatato (vel potius lineari, membrana ventrali versus apicem segmenti lateribus prominente), subcanaliculato, nigro, apice rufo; 2 et 3 rufis; reliquis nigris; *feminae*

ovatum, apice et ventre compressiusculum; segmentis 1—3 sicut in mare; 4 vel nigro, interdum basi rufescente, vel rufo, interdum margine nigro; reliquis nigris. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Mares quidam circa *Sickershausen* et *Norimbergam*, feminae circa *Gottingam Genuam* et in *Etruria*, capti, mecum communicati sunt. Feminae etruscae segmento 4 toto nigro, antennis superne fuscis, a reliquis differunt.

Varietas:

1. *Femoribus tibiisque rufis, illorum posticis basi nigra.* f. — *Longitudo* $3^2/_3$ linearum. *Caput* cerinum, genis fulvis, fronte vertice et occipite nigris. *Antennae* rufae, subtus dilutiores, apicem versus obscuriores sensim fuscescentes (articulis ultimis deficientibus), articulo 1 superne nigro. *Thorax* colli margine infero cerino, lineola transversa infra scutellum rufa, linea suturali ante alas obsoleta ferruginea, maculis duabus dorsalibus badiis obsoletissimis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula testaceis. *Pedes* anteriores fulvorufi, coxis mediis nigris; postici rufi, coxis trochanteribus femoribusque nigris, his apice rufo. *Abdomen* segmento 1 margine rufo; 2—4 rufis, 4 margine nigricante; 5—7 nigris, margine summo membranoso exalbido. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Feminam unicam *fennicam Sahlberg* mihi transmisit.

231. S. ITALICUS. n.

Abdominis basi, femoribus posticis, tibiis anticis, rufis; antennarum annulo albo. m.

Longitudo 4 linearum. *Caput* occipite minus excavato quam in reliquis hujus familiae speciebus. *Antennae* corpore dimidio longiores, apicem versus graciliores curvatae, articulis 13—15 supra albis. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice straminea. *Pedes* nigri; antici tarsis tibiis et femorum apice rufis; medii tibiarum basi et femorum geniculis badiis; postici elongati, femoribus validiusculis rufocastaneis. *Abdomen* subsessile, capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, oblongum; segmento 1 castaneo, laevi, apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore, tuberculis lateralibus inter medium et basin sitis; 2 et 3 castaneis, medio et lateribus nigricantibus; reliquis nigris.

Marem unicum *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

FAMILIA V,

seu subgenus:

SPHINCTUS

a σφιγκτὸς, constrictus — propter corpus medio quasi constrictum.

Abdomine petiolato pyriformi opaco, subtiliter puncto, segmento primo sublineari; areola triangulari; pedibus subgracilibus.

Descriptionem uberiorem hujus familiae leges sub unica ejus specie, quae, habitu toto externo, a reliquis Ichneumonideis satis differt.

De affinitate quadam laevi cum *Mesoleptis* conferas quae ad hos pag. 5 jam monui.

---

232. S. SEROTINUS. n.

Niger, capite thoraceque flavomaculatis; segmentis quibusdam flavis aut flavomarginatis, nigropunctatis; tibiis flavis. m. f.

Longitudo 4—5 linearum. *Corpus* totum punctis confertis opacum, griseo-pilosellum. *Caput* breve transversum, thorace paulo angustius; macula ad orbitas oculorum faciales, orbitis occipitalibus, plerumque punctis duobus seu lineola transversali clypei, flavis; oculis mediocribus subovatis prominulis. (Descriptionem fusiorem oris nota, huic speciei addita, exhibet). *Antennae* corpore breviores, porrectae crassiusculae subfiliformes, apicem et basin versus sensim parum graciliores; subtus interdum articulis 3—9 ferrugineis, sensim obscurioribus, rarissime articulis 2—6 totis ferrugineis. *Thorax* globosus; marginibus colli, macula ante alas, puncto seu lineola infra alas, puncto laterali prothoracis, punctisque duobus lateralibus metathoracis, interdum quoque punctulo, inter punctum pectorale illudque sub alis sito, flavis. *Scutellum* grande, subquadratum, aut suborbiculare margine baseos subrecto, depressum; rarius totum nigrum, ut plurimum macula majore aut punctis duobus flavis. *Alae* amplae aut mediocres, ferrugineo-fusco- aut fumato-hyalinae; ad marginem externum, imprimis apicem versus, obscuriores; stigmate rufo, radio fusco, radice

picea aut flava, squamula vel fulva aut flava, vel fusca puncto flavo, vel tota nigra; areola regulari triangulari, sessili aut subpetiolata. *Pedes* subgraciles nigri; femorum apice et ut plurimum coxarum posticarum macula flavis, femoribus anticis interdum subtus totis flavis; tibiis flavis, anterioribus plerumque apice ferrugineo, externe saepius nigro, posticis apice fusco aut nigro; tarsis vel basin versus vel fere totis sordide-flavis aut ferrugineis, posticis rarius totis nigris. *Abdomen* petiolatum convexum, oblongoovatum aut pyriforme, deorsum-curvatum, thorace duplo longius, ejus autem latitudine; segmento 1 canaliculato aut subcanaliculato, sublineari, parte antica aequilata, latitudine duplo longiore, longitudine petioli, eo autem duplo latiore, apice flavo, tuberculis lateralibus acutis; 2 et 3 flavis, basi, margine laterali, punctisque quatuor dorsalibus, in seriem transversalem dispositis, nigris, puncto laterali segmenti secundi interdum obsoleto, eodem puncto segmenti tertii semper cum margine laterali confluente aut in duo disjuncto; 4 et 5 nigris, margine apicali flavo; 4 ut plurimum praeterea macula laterali flava, rarius flavo, dorso basi et punctis nonnullis lateralibus nigris; 5 rarissime quoque macula laterali flava; sequentibus nigris totis. *Aculeus* perbrevis.

Marem et feminas *Klug* cepit circa *Berolinum* et *Halam Saxonum*, autummo volitantes, indeque speciem *serotinam* adpellavit; plures *Schummel* legit, mense Septembri, in coryletis circa *Lissam*.

Feminam, in valle Plauensi prope *Dresdam* captam, *de Block* mecum communicavit, alteram *genuensem a Spinola*.

Nota:

Oris partes examinavit *Nees ab Esenbeck*, earumque descriptionem mecum communicavit his verbis:

Clypeus brevis, discretus, late truncatoobovatus, margine scilicet supero impresso, rectiusculo, infero obtuso, convexus, punctulatus, pubescens, ab oculis remotus — *Labrum* exsertum, e basi semicirculari coriacea, in processum membranaceum subulatum ciliatum extenuatum. — *Mandibulae* validiusculae, incurvae, modice compressae, basin versus parum dilatatae; facie exteriori convexa punctulata pilosa, interiori oblique carinata, apice inciso, dentibus brevibus rectis obtusis inaequalibus, supero majori. — *Maxillae* labii longitudine, idque amplectentes: *Stipes* compressus, facie cornea elongatoobconica, secundum longitudinem depressa, marginibus acutiusculis ciliatis, glabra, apice truncata: *Mala* stipite dimidio brevior, membranacea, bifida; laciniis subaequalibus, infera introrsum dilatata in lobum rotundatum ascendentem, supera subtriangulari, margine angulisque superioribus rotundatis ciliatis. — *Palpi maxillares* mala duplo longiores, recurvi, pilosi setacei quinquearticulati; articulo primo clavato, truncato; secundo compressodilatato, semicordato; tertio et quarto, crassitie diminuta,

obconicis, introrsum magis prominentibus; quinto conico acuto: Relatio longitudinis $\frac{1}{3}$. 4. $\frac{2}{5}$. — *Labium: Mentum* corneum, obconicocompressum, convexiusculum, laeviusculum, pubescens, apice magis dilatatum tridentatum; dente medio lato truncato, lateralibus parvis sub palpis singulis. *Lingua* membranacea ascendens obcordata, lobis subovatis obtusis deflexoconniventibus. — *Palpi labiales* lingua haud duplo longiores, incurvi pilosi filiformes, quadriarticulati; articulo primo clavato truncato longiori; reliquis subaequalibus; secundo subtriangulo obliquo tertioque obconico-compressiusculis; quarto oblongo obtuso, parum tenuiori.

GENUS III.

TROGUS.

Abdomine petiolato convexo; capite transverso; scutello elevato.

Corpus vel nitidum leve, vel opacum sublanuginoso-pilosellum. — *Caput* breve transversum, plurimis collum versus angustatum, Trogo lutorio subaequilatum. — *Oculi* ovales. — *Antennae* mediocres, dimidio corpore longiores, setaceae, porrectae aut apice curvatae. — De *antennis* et *oris partibus* consulere velis notas ad Trogum flavatorium, lutorium et fuscipennem, nec non quae Panzer, in Revisione, edidit. — *Thorax* gibbus. — *Scutellum* subquadratum, vel acuminato-gibbum (Tr. lapidatori, fuscipenni, vulpino, lutorio), vel convexogibbulum (reliquis speciebus). — *Alae* mediocres aut amplae, plurimis diaphanae, Tr. vulpino et fuscipenni fuscae adiaphanae; areola quinqueangulari aut triangulari, sessili aut subpetiolata. — *Pedes* mediocres aut graciliores. — *Abdomen* petiolatum, oblongoovatum aut oblongum, capite thoraceque longius aut brevius, thoracis circiter latitudine, seu paulo angustius latiusve; speciebus opacis pilosellis (Tr. vulpino, fuscipenni et lapidatori) dorso depressiusculo, incisuris profundis. *Segmentum primum* parte antica gibbula, vel transversali, vel latitudine longitudinis, apicem versus dilatata, ut

plurimum lineis duabus elevatis; petiolo tenui lineari canaliculato, multo angustiore quam pars antica, hujusque longitudine vel ea longiore. — *Aculeus* absconditus.

De affinitatibus hujus generis cum *Ichneumonibus* et *Ischnis* in volumine I. jam locutus sum.

---

1. T. ALBOGUTTATUS. n.

Niger; abdomine coerulescente, segmenti primi margine et segmenti septimi linea longitudinali albis; scutello albo. m. f. (*Mas* facie albomaculata, *femina* antennarum annulo albo).

Longitudo 7—8 linearum. *Caput maris* ore, maculis duabus clypei, puncto genarum et orbitis internis oculorum, stramineoalbis, interdum clypeo toto albo, facie alba macula nigra. *Antennae* graciles, corpore breviores, setaceae, porrectae; *feminae* apice recurvae articulis 11—14 albidis, subtus fuscis. *Thorax* gibbus opacus; puncto parvo albido ante alas, feminae interdum deficiente; mari praeterea puncto albido infra alas. *Scutellum* albidum. *Alae* fumatohyalinae, mediocres, stigmate radio radice et squamula fuscis; areola triangulari sessili aut subpetiolata. *Pedes* subgraciles nigri; *maris* anteriores subtus toti stramineoalbi, postici trochanteribus et tibiis stramineoalbis, his apice nigro aut nigris basi albida; *feminae* tibiis tarsisque fuscis, femoribus anterioribus apice interdum fusco aut stramineo, tibiis basi et subtus pallidioribus aut testaceoferrugineis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et paululum angustius, planiusculum, segmentis 2—5 fere aequilatis, nitidum, nigrocoeruleum; segmento 1 lineis duabus subelevatis, margine aut

puncto angulorum apicalium sordidealbo; 7 linea longitudinali, seu macula ovali, sordidealbida; 2 et 3 interdum ferrugineomarginatis, 2 carina ventrali testaceostraminea; segmento ultimo feminae obtuso compressiusculo. *Aculeus* absconditus aut subexsertus.

Mas et femina circa *Warmbrunn* capti sunt; mares, in *Hercynia* et circa *Halam Saxonum* captos, vidi in Museis *Comitis de Hoffmannsegg* et *Germari*; feminae, circa *Hannoveram* et in *Volhynia* captae, transmissae sunt. Mas halensis, stigmate alarum et marginibus segmentorum 2 et 3 ferrugineis, a reliquis differt.

2. T. LUTORIUS.

Capite thoraceque nigro rufoque pictis; antennis nigris, basin versus rufis; scutello et linea ante alas flavis; abdomine pedibusque testaceofulvis, coxis posticis basi nigris. m. f.

Longitudo maris 10—11, feminae 7—9 linearum. *Caput feminae* fulvum aut rufum, vertice nigro, *maris* vel sicut in femina, vel nigrum, facie et ore flavis, orbitis oculorum externis et verticis rufis. De ore consule notam, huic speciei adjectam. *Antennae* setaceae; *maris* porrectae, dimidio corpore longiores, articulo 1 ferrugineo, supra fusco, subtus plerumque flavicante, 2—5—6 rarius totis rufis, plerumque vel omnibus vel eorum plurimis supra fuscis, sequentibus fuscis,

subtus ferrugineis aut rufis, sensim obscurioribus; *feminae* breviores quam mari, apice curvatae, articulis 1—18—20 rufis aut fulvis, basin versus sensim obscurioribus, reliquis nigris. *Thorax* gibbus aut gibbulus, niger; dorso vel nigro, lineis duabus longitudinalibus parallelis rufoferrugineis, vel, idque saepius, rubricoso, lineis tribus longitudinalibus nigris, media ut plurimum abbreviata; colli margine supero, linea ante alas, lineola infra alas alteraque infra scutellum, flavis, illa ante alas interdum testaceorufa; praeterea interdum collo, nec non macula prothoracis laterali alteraque pectorali, rufis, distinctioribus aut obsoletioribus; metathorace, infra scutellum, arcu transversali seu puncto rufo, rarius maculis duabus magnis confluentibus rufis; his picturis rufis aut rubricosis in mare interdum fere prorsum extinctis, nec nisi puncto rufo dorsali metathoracis superstite. *Scutellum* flavum. *Alae* fulvohyalinae, stigmate radio radice et squamula fulvis, areola triangulari. *Pedes* mediocres, fulvi aut rufi; coxis posticis plerumque nigris, subtus rufis aut fulvis, interdum etiam mediis, mari rarius quoque anticis, basi nigromaculata; femoribus posticis feminae minimae macula fusca obsoleta ante apicem. *Abdomen maris* thorace duplo aut paulo plus duplo longius, fusiforme, fulvum aut rufescens, interdum fusconebulosum aut dorso toto fuscescente; *feminae* paulo brevius quam mari, suboblongoovatum aut subfusiforme, fulvum. *Aculeus* vel omnino absconditus vel subexsertus.

Marem cepi die 12 Iulii in fruteto prope *Scheidnich;* feminam *Schilling* prope *Vratislaviam* cepit. Praeterea mares et feminas, circa *Warmbrunn, Genuam* et in *Regione Pedemontana* captos, accepi. Femina genuensis a reliquis individuis se distinguit thorace et collo magis colore rufo imbutis.

Varietates:

1. *Femoribus posticis macula nigra.* m. f. — *Longitudo* maris 11, feminae 9 linearum. *Femora postica* ante apicem macula nigra, mari parva, feminae majore. — Caetera sicut in specie genuina.

Mares circa *Warmbrunn* et *Taurinum*, feminas circa *Vratislaviam* et *Trajectum ad Moenum*, captos, accepi; ipse feminam prehendi in vallo *Gottingensi*, mense Septembri.

2. *Abdomine apice nigromaculato.* m. — *Thorax* picturis flavis sicut in mare genuino; rufis fere penitus extinctis, nec nisi interdum vestigio linearum duarum dorsalium prothoracis, et arcu dorsali metathoracis, rubricosis, superstitibus. *Pedes* fulvi, femoribus fulvorufis; coxis anterioribus basi nigromaculatis, posticis nigris apice fulvo. *Abdomen* fulvum, segmentis 5 et 6 macula dorsali majore minoreve nigra. — Caetera uti in specie genuina.

Unum individuum *a Stillfried* circa *Hirschberg* cepit; alterum ipse cepi prope *Scheidnich*, una cum mare genuino eodem loco et die.

3. *Femoribus posticis, coxis, abdominis petiolo, segmentorum penultimorum macula, nigris.* f. — *Longitudo* 6—8 linearum. *Caput* occipite vertice fronte et puncto faciali infra antennas nigris. *Antennae* articulis 1 et 2 fuscis, subtus rufis aut fulvis; 3—7—15 fuscis, subtus ferrugineis sensim dilutioribus; 8—17 aut 16 et 17 totis rufis; reliquis fuscis. *Thorax* colli margine supero, lineola infra scutellum, puncto ante singulum scutelli angulum basalem, hoc interdum obsoleto, rufis; linea ante alas, lineolaque infra alas, flavis. *Scutellum* flavum. *Alae* fulvohyalinae, apice fumatohyalinae; stigmate radio radice et squamula fulvis, squamula interdum fusca. *Pedes* coxis nigris, anticis macula rufa; trochanteribus flavis aut fulvis; femoribus anticis totis fulvis, supra obscurioribus, mediis fulvis macula nigra, posticis nigris apice et basi summa fulvis. *Abdomen* fulvum, petiolo et segmenti quarti macula dorsali nigris; segmento 5, interdum quoque 6, nigro, margine laterali summo rufo.

Unam feminam, eamque minorem, segmento 6 nigro, cepi circa *Vratislaviam;* altera *Richtero* provenit *e pupa noctuae.*

4. *Thorace picturis rufis nullis; abdominis apice toto nigro.* m. — *Thorax* picturis flavis omnino sicut in mare genuino, rufis autem plane extinctis. *Femora* postica interdum apicem versus nigra. *Abdomen* segmento 1 fulvo, 2—4 rufis, reliquis totis nigris. — Caetera speciei genuinae respondent.

Unum individuum circa *Warmbrunn*, alterum circa *Meiningen*, captum, accepi; illud est majus, femoribus posticis totis fulvorufis.

5. *Thoracis picturis rufis nullis, femoribus posticis pro parte nigris, abdominis apice nigro.* m. f. — *Longitudo* maris 10¼, feminae fere 9 linearum. *Thorax* uti varietati antecedenti; feminae rarius lineis duabus longitudinalibus dorsalibus rufis. *Pedes* testacei; coxis nigris, anterioribus apice fulvo; femoribus mediis feminae superne macula magna nigra, posticis vel nigris, summa basi summoque apice testaceis, vel testaceis medio nigro. *Abdomen* segmentis 1—3 rufis; 4 nigro, plerumque lateribus et fascia dorsali aut margine rufis; reliquis nigris. — Caetera sicut in specie genuina.

Par hujus varietatis cepi mense Augusto in gramine prope *Warmbrunn;* praeterea feminae duae, circa *Norimbergam* et in pinetis prope *Pichelsberg* captae, mecum communicatae sunt.

6. *Thorace picturis rufis nullis, femoribus omnibus nigromaculatis, abdomine nigro medio testaceo.* f. — *Longitudo* 9 linearum. *Caput* nigrum, orbitis oculorum oreque fulvis. *Antennae* articulis 1—8 nigris, subtus ferrugineis sensim pallidioribus; 9—18 rufis; reliquis nigris. *Thorax* sicut in varietate quarta. *Scutellum* et *alae* speciei genuinae respondent. *Pedes* fulvi, coxis nigris; femoribus anticis externe macula nigra,

posterioribus nigris summa basi et summo apice fulvis. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice testaceo; 2 et 3 testaceis, basi summa nigra; reliquis totis nigris.

Unicam feminam a *Stillfried* circa *Hirschberg* cepit.

Synonyma:

Ichn. lutorius Fabr. Mant. p. 262, n. 34. — Piez. p. 64, n. 50.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2682, n. 100.
„ Villers p. 152, n. 53; in Gallia australi.
„ Olivier p. 174, n. 49.
„ Trentep. in Iside 1826, p. 234, n. 52.
Ichn. Degeer II. p. 848, n. 3, tab. 29, fig. 9; prodiit ex eruca *Sphingis oculatae* (ad varietatem nostram 5 spectat).
Ichn. nigrocaudatus Retz. p. 68, n. 268.
„ Villers p. 187, n. 161.
Ichn. Geoffroy p. 330, n. 20.
Ichn. crocatus Fourcroy, p. 399, n. 20.
Ichn. pisorius Panz. ad Schaeff. Icon. tab. 20, fig. 6 (conferas notam huic speciei additam).
„ Villers p. 138, n. 12, varietates abdomine toto antennis femoribusque ferrugineis.
„ Christ, p. 345, eaedem varietates, modo e Villersii opere citatae.
Ichn. exaltatorius Panzer ad Schaeff. Icon. t. 242, fig. 3; colit regiones sylvaticas editiores (varietati 5 respondet).

Ichn. imperatorius Panzer ad Schaeff. Icon. t. 245, fig. 5 et 6; habitat in sylvaticis asperis saxosis (ad varietatem 3 quadrat).

Ichn. cirrogaster Schrank Austr. p. 348, n. 703; habitat *Lincii.* — Boica p. 281, n. 2084 (auctor interrogative citat *Ichn. fusorium* Linn. qui autem genuinus Ichneumon est).

„ Gmel. ed Linn. p. 2683, n. 107.

„ Villers, p. 153, n. 55; in nostris regionibus haud frequens.

Ichn. scutellaris Olivier p. 198, n. 169; habitat *Parisiis.*

„ Walckenaer p. 63, n. 71.

Ichn. dessinator Olivier p. 174, n. 50 (ad varietatem 5 spectat).

Ichn. fusorius Schrank Boica n. 2075; apparet vere, circa *Burghausen* (De *Ichn. fusorio* auctorum consule generis nostri Ichneumonum speciem 186).

Ichn. obscuratorius Gravenh. Uebers. n. 3728.

Nota:

1. Teste *Neeseo ab Esenbeck antennae* et *oris partes* structura omnino cum specie insequente conveniunt; sed *clypei* margine antico obsolete trilobo, *mandibularum* dente superiore apicis acuto, inferiore truncato, *menti* apice medio, ob carinam corneam distinctiorem, ad speciem tridentato, dente medio subulato acuto.

2. Varietatum picturae multifarie sensimque mutantur, unaque in alteram transeunt, ita ut inter magnam individuorum multitudinem vix duo inveniantur, picturis omnino congruentia. Varietas 1 oritur e specie genuina, cum macula fusca femorum posticorum distinctior fit et nigra, magisque extenditur; varietas 2 e specie genuina, cum color ruber thoracis fere aut omnino evanescit, et picturae fuscae segmenti 5 et 6 individuorum quorundam genuinorum in maculas dorsales confluunt; varietas 4 e varietate 2, cum maculae istae segmenta 5, 6 et 7 omnino occupant; varietas 5, cum color niger segmentorum ultimorum etiam segmentum 4 tingit, macula nigra femorum posticorum, varietatis 1, magis extenditur, et femora media quoque colore nigro imbuuntur; varietas 6 e varietate 5, cum color niger abdominis et femorum magis magisque extenditur.

3. Panzer Schaefferi Iconum tab. 20, fig. 6 pro *Ichn. pisorio* Fabr. edidit, qui autem satis differt. Idem auctor vituperat etiam pictorem, qui thoracem lineis duabus dorsalibus ferrugineis exhibuisset, quippe quas natura huic Ichneumoni negasset; et verum quidem est, *pisorium* lineis istis carere, sed *lutorius* genuinus, ad quem Icon Schaefferiana laudata omnibus notis exacte quadrat, lineis talibus insignis est. — Hic etiam conferre velis notam, *Ichneumoni pisorio*, n. 187, additam.

3. T. FLAVATORIUS.

Testaceus; abdominis apice, geniculis posticis, maculisque dorsalibus thoracis, nigris. m. f. (*Femina* antennarum annulo pallido).

Longitudo 7—9 linearum. *Caput* oculis, ocellis, interdum etiam vertice, nigris. *Antennae* setaceae, *maris* corpore paulo breviores, porrectae, nigrae aut fuscae, articulo 1 subtus flavo aut ferrugineoflavo; *feminae* corpore dimidio paulo longiores, apice parum curvatae, articulis 1 et 2 ferrugineis, rarius supra fuscis, 3—6—8 ferrugineis aut fuscis, 7—17 vel plurimis eorum alboflavicantibus, subtus fulvis aut ferrugineis, reliquis vel totis nigris aut fuscis, vel subtus ferrugineis. *Thorax* gibbulus, vel ferrugineus aut fulvus, subtus pallidior, interdum macula laterali fusca metathoracis; vel flavoferrugineus aut ferrugineus, maculis duabus longitudinalibus dorsalibus prothoracis nigris; vel dorso toto nigro aut fusco, lineis duabus longitudinalibus et metathoracis decliva parte ferrugineis, macula laterali nigra metathoracis; vel niger, pectore, linea suturali ante alas, lineola infra alas, suturis lateralibus, flavis, lineis duabus dorsalibus longitudinalibus ferrugineis, punctis 4 obsoletis ferrugineis metathoracis. *Scutellum* flavum aut dilute ferrugineum. *Alae* amplae, testaceohyalinae, apicem versus obscuriores; stigmate radice et squamula testaceis aut fulvis, radio plerumque obscuriore; areola fere

triangulari. *Pedes* mediocres, flavoferruginei, femoribus posticis interdum apice nigro aut fusco. *Abdomen* thorace duplo longius, ejus autem latitudine, subfusiforme; rarius totum testaceum, aut solo segmento ultimo nigro; interdum petiolo nigro; plerumque segmentis 6 et 7, interdum etiam 5 vel toto vel pro parte, in nonnullis feminis quoque 4 margine aut dimidia parte aut ipso toto, nigris. *Aculeus* vix subexsertus.

Mares et feminae, circa *Vratislaviam*, *Warmbrunn*, *Gottingam*, *Halam Saxonum*, *Vindobonam*, *Parmam*, *Genuam* et in *Regione Pedemontana* capti, mecum communicati sunt. — Individua thorace toto fulvo, maresque totos fulvos vel solo segmento ultimo nigro, e sola Italia accepi; veruntamen mares, thorace et femoribus posticis nigromaculatis, etiam in Regione Pedemontana reperti sunt.

Synonyma maris et feminae:

Sphex crassicornis Scopoli Carn. n. 769; habitat in pupa *Sphingis Tiliae*.

Ichn. flavatorius Panzer Revis. p. 66. — Faun. fasc. 78, t. 12 (mas), 100, t. 12 (fem.); habitat rarissime in umbelliferis.

„ Grav. Pedem. n. 70.

„ Trentep. in Iside 1826, p. 220.

Synonyma maris:

Sphex disparis Poda p. 107, n. 3; auctor complures ex pupis *Phalaenae disparis* obtinuit.

Ichn. Schaefferi Icon. tab. 134, fig. 4.
Ichn. flavatorius Fabr. Ent. Supl. p. 220, n. 54. — Piez. p. 63, n. 46.
Ichn. ictericus Christ p. 34, n. 2.

Synonyma feminae:

Ichn. ferrugineus Schrank Beitr. p. 88, §. 52. — Austr. n. 697. — Boica n. 2082; circa Ingolstadt (errat auctor, qui hunc Ichn. pro mare habuit).
„ Villers p. 141, n. 20; in Gallia.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2678, n. 89.
„ Olivier p. 219, n. 79.
„ Panzer ad Sch. Ic. t. 20, f. 14. (Panzer hanc iconem quidem ad marem *flavatorii* adhibuit, sed antennae medio albae probant, pictorem feminam coram habuisse).
Ichn. flavipes Gmel. ed. Linn. p. 2687, n. 247 (haud *Ichn. flavipes* Villers, Fourcroy).
Ichn. culpatorius Schrank Boica n. 2083 (conferas notam ad nostrum *Ichneumonem culpatorium*, n. 215).
Ichn. sociatorius Panzer ad Schaeff. tab. 244, fig. 5.

Nota:

1. *Antennas* et *oris partes Nees ab Esenbeck* accuratius examinavit et descriptionem earum his verbis mecum communicavit:

Antennae setaceae, rectae, apice recurvae, articulis 50; radicula parva pateraeformi; scapo brevi subcylindrico crassiusculo, apice parum obliquo et

excavato; pedicello, cum articulo accessorio (quarto), brevissimis, discoideis, parum prominentibus; reliquis cylindricis subangulatis decrescentibus, extremis longitudine diametri, arctissime contiguis, ultimo conicoacuto longiori.

Clypeus ab hypostomate non discretus, utrinque foveola laterali hypostomatis in ipsum excurrente, depressus planiusculus, antice rotundatus et leviter emarginatus. — *Labrum* brevissimum reconditum, margine rotundato ciliato. — *Mandibulae* mediocres, parum curvae, basi crassiori, facie exteriori convexa glabra, inordinate punctulata, linea obsoleteelèvata versus basin, margini infero propiore, apice inciso, dente supero majori truncato, infero multo minore breviore acuto. — *Maxillae* labii longitudine, idque amplectentes: *Stipes* corneus irregularis convexus ovatoconicus, apice truncato: *Mala* ejusdem longitudinis, membranacea subquadrata biarticulata; articulo infero breviore, interne in lobum semicircularem ascendentem ciliatum dilatato; supero subquadrangulo, margine supero transverso, angulis rotundatis, ciliato, inferiori ad apicem in lobum ascendentem articuli inferi continuato. — *Palpi maxillares* mala triplo longiores, pubescentes, quinquearticulati; articulo primo clavatotruncato; secundo securiformi; tertio et quarto subcylindricis, basin versus parum angustioribus; quinto filiformi obtuso: Ratio longitudinis $3/5 . 1/4 . 2$. — *Labium: Mentum* obconicum subconvexum, parum a latere compressum, laeve, margine supero inter palpos

truncato, denteque minutissimo acuto sub quovis palpo, illum amplectente: *Lingua* mento brevior, recta membranacea, margine antico acute exciso, laciniis triangularibus acutiusculis divergentibus, parum decurvis, nec conniventibus, ciliatis. — *Palpi labiales* lingua plus duplo longiores, pubescentes, quadriarticulati; articulo primo clavato truncato longissimo, linguam aequante; secundo et tertio subaequalibus, illo subrhombeo, hoc potius obconico, utroque apice obliquo concavo; quarto cylindrico acuto, binis praecedentibus longiori, recurvo, basi anteriori subangulato.

2. *Ichn. flavatorius* Thunb. Ichn. n. 9, huc non spectat, propter segmentorum margines flavos. — *Ichn. ferrugineus* Fabr. qui in Syst. Piezatorum *Ophionibus* consociatus est, et *Ichn. ferrugineus* Thunb. Ichn. n. 234, ad hanc speciem haud quadrant. — *Ioppa lutea* Fabr. autem, quam Panzer ad feminam *flavatorii* adhibet, ano albo differt (conf. Trentep. l. c. p. 221. Adn.).

4. T. LUTEIVENTRIS.

Facie et linea ante alas flavis; abdomine pedibusque testaceis, petiolo et coxis posticis nigris. m.

Longitudo 6—8 linearum. *Caput* nigrum; facie ore et orbitis oculorum flavis aut ferrugineis,

mandibulis apice fusco. *Antennae* corpore breviores aut fere ejus longitudine, setaceae, porrectae, subtus fulvae apicem versus subfuscescentes, supra vel totae fuscae vel basin versus sensim fulvae, articulis 1 et 2 supra semper nigris, subtus flavis. *Thorax* gibbus niger; colli margine supero et laterali, linea suturali ante alas, lineola infra alas, plerumque lineola, distinctiore aut obsoletiore, transversa, rarius punctis duobus, infra scutellum, flavis aut fulvis; maculis subobsoletis duabus, rufis aut rubricosis, in supera metathoracis parte. *Scutellum* flavum aut fulvum. *Alae* flavescentihyalinae aut subfumatohyalinae; stigmate radice et squamula testaceoflavis, radio ut plurimum fuscescente; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres diluterufi; anteriores coxis et trochanteribus flavis aut pallide stramineis; postici coxis subtus pallidestramineis, supra nigris plerumque macula aut puncto ferrugineo, trochanteribus stramineis, femoribus vel nigris, summa basi summoque apice et margine infero ferrugineis, vel ferrugineotestaceis, macula magna lateris externi et interni nigra, rarius fere totis fulvis. *Abdomen* thorace duplo longius, thoraceque angustius, rarius ejus latitudine, vel oblongoovatum aut subfusiforme, vel sublineare segmentis 2—5 aequilatis; petiolo nec non segmenti secundi basi summa nigris.

Unum cepi marem die 12 Septembris prope *Scheidnich* in fruticeto; quidam alii circa *Gottingam*, *Norimbergam*, *Sickershausen*, *Parisios* et

in *Regione Pedemontana* capti, transmissi mihi sunt.

Synonyma:

Ichn. luteiventris Grav. Pedem. n. 69.

5. T. RUFESCENS. n.

Abdomine pedibus et metathorace rufis; scutello et orbitis oculorum internis flavis. m.

Statura gracilior quam in praecedente; segmento 1 minus laevi, lineis duabus elevatis distinctioribus, petiolo paulo breviore et crassiore, pedibus et abdomine paulo gracilioribus.

Longitudo 6 linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum internis flavis. *Antennae* subtus rufescentes articulo 1 flavo. *Thorax* puncto ante alas, altero sub alis, lineola infra scutellum, flavis, metathoracis dorso diluterufo. *Scutellum* flavum. *Alae* subfumatohyalinae, radio fuscescente, stigmate radice et squamula testaceis; areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles, diluterufi, tarsis posticis apice fuscis. *Abdomen* rufum, thorace paulo angustius, eoque duplo longius; segmentis 2—6 aequilatis, 2 fere latitudine duplo longiore, 3 et 4 latitudine paulo longioribus, 5 et 6 subquadratis.

Marem unicum *hungaricum Dahl* mecum communicavit.

6. T. VULPINUS. n.

Rufus opacus; oculis et alis fuscis.

Statura et proportio partium omnino *T. lapidatoris*, n. 8.

Longitudo 8 linearum. *Corpus* totum confertissime punctum, pubescens, opacum. *Alae* fuscae; stigmate et radio nigris, radice et squamula rufis.

A Spinola hanc speciem circa *Genuam* cepit (?).

Nota:

Simillimum, at paulo minorem, longitudine 7 linearum, *Reusmann* mecum communicavit, *Americae borealis* indigenam.

7. T. FUSCIPENNIS. n.

Niger opacus, femoribus tibiisque rufis, alis fuscis stigmate nigro.

Statura et proportio partium omnino speciei sequentis.

Longitudo 6½—7 linearum. *Corpus* opacum, confertissime punctum, pubescens. *Caput* palpis et labro interdum ferrugineis. (Descriptio fusior partium oris in nota exhibetur). *Alae* fuscae,

stigmate radio radice et squamula nigris. *Pedes* rufofulvi; coxis et trochanteribus, nec non posticorum tarsis, nigris.

Duo individua *genuensia a Spinola* mecum communicavit.

Nota:

Descriptio *antennarum* et *oris partium*, auctore *Neeseo ab Esenbeck*, haec est:

Antennae setaceae rectae, articulis 38; primis quatuor ut in *T. flavatorio*, n. 3, reliquis decrescentibus, e cylindrico-obconicis, cunctis diametro sua longioribus, discretis, quinto longissimo.

Clypeus omnino qualis in *flavatorio.* — *Labrum* magis exsertum declive semicirculare ciliatum. — *Mandibulae* breves, parum curvae, basin versus modice incrassatae, facie exteriori plana, punctulata; apice incisae, dentibus inaequalibus, supero longiori obtusiusculo, infero breviore acuto. — *Maxillae* ut in *flavatorio:* Articulus malae inferior introrsum minus dilatatus, ad basin fere liber, a superiori, et infra eundem, oblique descendens: Margo superus lobi superioris paulo latior, setis nigris rigidis ciliatus. — *Palpi maxillares* ut in *flavatorio;* secundo articulo, ob latus superius in angulum contractum, e forma securidacea in triangularem abeunte. — *Labium: Mentum* ut in *flavatorio*: *Lingua* structura eadem; sed margo anticus parum retusus, fere recta truncatus, glaber, et lobi laterales rotundati, inferne

subsinuati, deflexi, aliquanto discrepant. — *Palpi labiales* quales in *flavatorio;* articulo primo lingua breviore, magis obconico quam clavato.

8. T. LAPIDATOR.

Niger, opacus, abdomine coerulescente; alis fuscohyalinis, stigmate rufo; femoribus tibiisque rufis.

Longitudo 6—7 linearum. *Corpus* opacum, confertissime punctum, pubescens. *Caput* ore interdum rufo aut fusco, mandibulis nigris. *Antennae* porrectae, corpore breviores, apice setaceae, nigrae; subtus articulo 3 et sequentibus plerumque rufofulvis, ultimis fuscis. *Thorax* gibbus, interdum subcoerulescens. *Scutellum* elevatum acuminatum. *Alae* mediocres, subfuscohyalinae aut fumatohyalinae, stigmate et radice fulvoferrugineis, rarius fuscoferrugineis; radio fuscoferrugineo, radice fusca; areola subsessili orbiculatotriangulari. *Pedes* mediocres, postici subelongati; fulvi, coxis et trochanteribus nigris aut nigrocoeruleis, tarsis posticis fuscis aut nigris. *Abdomen* capite thoraceque longius, thoracis latitudine, oblongoovatum, depressum, subrugosum, scabrum, segmentorum incisuris distinctis profundis, nigroviolaceum; segmenti primi parte antica petiolo quadruplo latiore, lineis duabus elevatis.

Individuum *austriacum*, captum in monte, quiescens in flore, *Dahl* mecum communicavit;

alterum *Besser*, e *Volhynia;* tertium *Bonelli,* e *Regione Pedemontana*, idque antennis totis nigris, alis et stigmate obscurioribus, a reliquis discedens; duo vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

Synonyma:

Ichn. lapidator Fabr. Mant. p. 266, n. 79. — Piez. p. 67, n. 69; habitat in Europa australiori (haud confundendus cum *Ichneum. lapidatore* Fabr. Ent. p. 160, n. 111, qui ad nostrum Ichneum. n. 271 adhibitus est).

Ichn. coerulator Fabr. Piez. p. 68, n. 79.

Ichn. caeruleator Panzer ad Schaef. Icon. tab. 135, fig. 3 (? coxis et trochanteribus rufis differt); in sylvaticis habitat.

Banch. venator Illiger in nota ad *Ichn. venatorem* Rossi n. 767.

Trogus caeruleator Panzer Faun. Fasc. 100, t. 13. — Revis. p. 80 — habitat in floribus, in dumetis, in regionibus sylvaticis.

Trochus coeruleator Trentep. in Isidis 1826 III. pag. 297.

Nota:

Illiger l. c. contendit, se *verum Banchum venatorem* Fabr. descripsisse, quod ego autem utique nego, quodque ex ipsis Illigeri verbis: *cave, ne descriptionem partium oris, a cel. Fabricio Bancho venatori additam, huic speciei* (Illigeria-

nae, sèu nostro Trogo) *attribuas, quae pluribus notis gravibus ab ea discrepat*, refutatur. *Banchus venator* Fabr. est verus Banchus, quem cum *Bancho falcatore* conjunxi. De *Ichneumone venatore* auctorum conferas notam ad nostrum *Banchum falcatorem*.

E descriptione, quam Panzer l. c. in Revisione edidit, *partes oris* hujus speciei satis bene cum iisdem partibus Trogi antecedentis, a Neeseo ab Esenbeck examinatis, congruunt.

GENUS IV.

ALOMYA.

Abdomine petiolato convexo; capite globoso; areola triangulari.

Descriptionem fusam corporis ejusque partium vide sub Alomya ovatore.

De affinitate hujus generis cum *Ichneumonibus* conferas quae ad hos in Vol. I. monui. — Subgenera *Xoridum*, imprimis *Echthri*, capite globoso quidem cum Alomyis congruunt, sed habitu toto aliisque notis longe differunt.

---

1. A. OVATOR.

Nigra, abdominis medio tibiisque rufotestaceis. m. f. (*Femina* antennis testaceoannulatis).

Longitudo 5½—7½ linearum. *Caput* subglobosum; superne inspicienti subquadratum, angulis obtusis, subtransversum; plerumque tuberculo faciali subelevato. (De oris partibus consulere velis notam huic speciei additam). *Oculi* ovales. *Antennae maris* setaceae, corpore breviores, interdum fere ejus longitudine, porrectae, totae nigrae; *feminae* moniliformes, dimidio corpore breviores, apice involutae, articulis 3—13—14, rarissime 7—16, ferrugineis aut testaceis, plerumque sensim pallidioribus. *Thorax* subgibbulus aut cylindrico-gibbulus. *Scutellum* triangulare deplanatum. *Alae* mediocres, hyalinae sive fumatohyalinae, stigmate ferrugineo aut fulvo, radio piceo, radice picea aut fusca aut ferruginea, squamula nigra aut fusca; areola quinqueangulari (in uno individuo triangulari et praeterea, in ala dextra, nervo parvo dividente, gemina). *Pedes maris* mediocres, coxis et trochanteribus nigris; femoribus anticis ferrugineis seu fulvis, plerumque apice subtestaceo basi nigra, mediis plerumque nigris apice ferrugineo, rarius totis nigris aut testaceis basin versus fuscescentibus, posticis totis nigris; tibiis flavis aut testaceis

aut testaceoferrugineis, posticis interdum apice fusco, rarissime fere totis fuscis; tarsis testaceoferrugineis; *feminae* breviores et crassiores quam mari, coxis trochanteribus et femoribus nigris, horum anticis autem plerumque vel fere totis vel solo apice rufis aut ferrugineis; tibiis vel totis ferrugineotestaceis vel testaceis apice ferrugineo; tarsis fuscoferrugineis. *Abdomen* petiolatum, convexum, elongatum; *maris* thorace paulo plus duplo longius, ejusque latitudine vel paulo angustius, apicem versus sensim paulo latius aut sublineare, segmentis 2—6 latitudine aequali; segmento 1 petiolo lineari gracili, longitudine partis anticae, rarius paulo longiore, sed multo angustiore quam pars antica, hac subcanaliculata, apicem versus sensim dilatata; latitudine longiore, rarius latitudine longitudinis; colore variabili: *a*) nigrum, segmentis 2, 3, 4, nec non apice primi, fulvis; *b*) segmentis 2—4 rufis; *c*) segmentis 2—4 rufis, 4 margine aut macula, interdum etiam 3 margine, nigro; *d*) segmentis 2—4 rufis, sed segmenti 2 basi, 4 basi et margine, nigris; *e*) segmentis 2 et 3 rufis, 4 nigro lateribus et basi rufis; *f*) segmentis 2 et 3, nec non puncto laterali segmenti 4, rufis, 3 margine nigro; *g*) segmentis 2 et 3 rufis, marginibus, interdum etiam puncto dorsali, nigris; *h*) nigrum, segmentis 2 et 3 basi rufis; *feminae* thorace duplo longius, ejusque latitudine, plerumque apicem versus sensim paulo dilatatum; segmento 1 ut in mare, apice semper rufo; 2—4 ut plurimum totis rufis, 4 rarissime macula dorsali

nigra; 5 vel rufo margine nigro, vel nigro basi et lateribus rufis, rarius toto rufo; 6 rarissime lateribus rufis. *Aculeus* absconditus.

Individua hujus speciei haud raro reperiuntur; mares attamen feminis multo frequentiores sunt. *Sexus ambo* legi, mensibus Maji et Iunii, in umbellatis, circa *Gottingam* et copiosissime in prato prope *Barterodam; ab Uechtritz* mares et feminas circa *Langenau* cepit. — *Mares* vero etiam in frutetis et in Tussilagine hybrida, mensibus Iunii — Augusti, capti sunt; pluresque, passim in *Silesia,* nec non in *Hercynia, Moravia, Carinthia, Austria, Bavaria, Brisgovia, Genua,* captos accepi. Varietates *c, f* et *g* omnium sunt frequentissimae. Varietatis *a* unicum individuum *Spangenberg* circa *Gottingam* cepit; varietatem *e* semel *Nees ab Æsenbeck* circa *Sickershausen* reperit; varietas, tibiis posticis fere totis fuscis, circa *Fürstenstein* et in *Austria* capta est. — *Feminae* circa *Warmbrunn, Trajectum ad Moenum,* in *Austria* et in *Regione Pedemontana* captae, mihi transmissae sunt; varietatem, segmentis 2—4 rufis, 4 macula nigra; *ab Uechtritz* in umbelliferis circa *Marienthal,* mense Iunii, cepit; varietatem, femoribus omnibus totis nigris, idem Entomologus indefessus, eodem mense, prope *Carlsbrunn,* in trunco arboris, prehendit; individuum unicum, abdomine rufo, segmentis 1 et 7 totis, 6 dorso, nigris, *Dahl,* inter plura alia, ex *Austria* transmisit.

Synonyma maris:

Ichn. ovator Fabr. Ent. p. 163, n. 122. — Piez. pag. 66, n. 68; habitat in Italia (haud *I. ovator* Fabr. Mant. p. 266, n. 83, et Gmel. p. 2692, n. 147; antennis subtus rufescentibus, pedibus flavis, abdomine ovato).

„ Latreille Crust. XIII. p. 179, n. 4.

„ Thunb. Ichn. n. 372.

„ Trentep. in Iside 1826, p. 223.

Ichn. elongator Fabr. Syst. p. 337, n. 55. — Ent. p. 165, n. 130 (haud Fabr. Piez. p. 67, n. 72, qui, ob frontis acumen, ad nostrum *Tryphonem elongatorem*, n. 155, redactus est. Nec *Ichn. elongator* Panzer ad Schaeff. Ic. tab. 168, fig. 8, huc referri potest).

„ Gmelin ed. Linn. p. 2692, n. 145.

„ Villers, p. 175, n. 122; habitat in Anglia et Gallia australi.

„ Christ p. 363.

„ Olivier p. 187, n. 119.

„ Schrank Boica, n. 2088.

Synonyma feminae:

Ichn. debellator Fabr. Syst. p. 333, n. 37. — Ent. p. 152, n. 78; in Suecia habitat.

„ Gmelin ed. Linn. pag. 2685, n. 115 (haud p. 2698, n. 176).

„ Villers p. 161, n. 81 (haud p. 184, n. 150).

„ Christ p. 354.

Ichn. debellator Olivier p. 178, n. 68 (haud p. 222, n. 98).
„ Panzer Faun. fasc. 78, tab. 13.
„ Thunb. Ichn. n. 105.
Cryptus debellator Fabr. Piez. p. 82, n. 47.
Alomya debellator Panzer Revis. p. 84.
Ichn. Fischeri Schrank Beitr. pag. 89, §. 54. — Austr. n. 718 (ubi autem hic Ichn. falso pro mare habetur). — Berchtesgad. in Fuesl. I, p. 294.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2688, n. 125.
„ Villers p. 163, n. 89.
„ Olivier p. 221, n. 86.
Ichn. trituberculatus Gmelin ed. Linn. pag. 2708, n. 346.

Nota:

1. Descriptio *antennarum* et *oris partium* feminae, auctore *Neeseo ab Esenbeck*, haec est:

Antennae breves validae filiformes convolutae, articulis 32; radicula pateraeformi parva; scapo ovato-subcylindrico, recta truncato, excavato; pedicello brevi, fere disciformi, immerso; quarto articulo ejusdem fere longitudinis, at paulo tenuiori, basi parum angustato; reliquis omnibus cylindricis contiguis, anterioribus longitudine latitudinis, aut vix longioribus diametro, exterioribus transversis, ultimo parvo obtuso.

Clypeus distinctus transversus, margine supero linea impressa trisinuata terminato, infero recto ciliato, lateribus brevibus rectis. — *Labrum* maxi-

mum inflexum, os reliquum obtegens subrotundo-ovatum obtusum planum, margine setis longis armatum. — *Mandibulae* validae conniventes subtetragonae, angulis obtusis, in medio aliquanto angustiores, basi et apice crassiores, facie exteriori plana, basin versus crasse punctata, apice laevi truncato bilobo, lobis rotundatis, infero minore. — *Os* inferum, ratione capitis parvum, in cavitate capitis reconditum. — *Maxillae: Stipes* valde compressus tenuis, maximam partem membranaceus, margine supero apicem versus sinu exciso, facie infera lineari, basi coriacea, apicem versus tenuiore, submembranacea, truncata: *Mala*, ob lobum articuli inferi profunde discretum, bipartita, tenuis, membranacea, pellucida; lobo exteriori obconico biarticulato, articulo infero minore breviore glabro, superiore latiore pubescente ciliato, margine supero recto, angulis obtusis; lobo interiori exteriore dimidio breviori, subrotundo, basi angustiori, glabro. — *Palpi maxillares* quinquearticulati, mala duplo longiores; articulo primo clavato-truncato, longiore; secundo obconico, apice introrsum obliquo, margine interiori subarcuato, exteriori subconcavo, primo breviore, glabro; reliquis pubescentibus, secundo et tertio subcylindricis, basin versus paulisper angustatis, illo primi, hoc vix secundi longitudine; quinto filiformi obtuso, longitudine tertii. — *Labium: Mentum* convexum, obconicocompressum, laeve, apice obsolete tridentatum; dentibus acutis, lateralibus brevioribus: *Lingua* menti longitudine, dilatata,

apice integra, rotundata, lateribus deflexis. — *Palpi labiales* lingua dimidio longiores, quadriarticulati; articulis tribus anterioribus subaequalibus, obconicis, apice parum obliquis; quarto longiore, apicem versus subincrassato, obtuso.

Descriptio harum partium, in Panzeri Revisione p. 84 exhibita, pluribus notis a descriptione Neeseana discedit.

2. Varietates marium, in descriptione abdominis hujus speciei sub litteris *a—h* recensitae, sensim una in alteram transeunt. Nihilominus *Dahl* quasdam earum, mihi aliisque Entomologis, pro speciebus peculiaribus vendidit, varietates *b* et *f* *Ichn. exsugillatorium*, varietatem *g* *Ichn. exsugillatorem* Ziegleri, varietatis *b* individuum, tibiis posticis fere totis fuscis, *Ichn. angustatorem*, feminae individuum abdomine rufo, segmentis 1 et 7 nec non dorso sexti nigris, *Ichn. pectoralem* Ziegleri, appellans.

3. *Ichn. debellator* Schrank Austr. n. 747; Gmel. n. 176, Villers n. 150, Olivier n. 98 (conferas supra Synonyma *debellatoris*), longitudine 2 linearum etc. satis a hac specie diversus, ad *Hemitelis similis* nostri varietatem adhibendus esse videtur.

2. A. NIGRA. n.

Nigra, sericea; femoribus anticis tibiisque fulvis. m.

Statura et proportio partium omnino maris antecedentis.

Longitudo 6—7½ linearum. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate fulvo, radio radice et squamula fuscis; areola quinqueangulari aut subquinqueangulari. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus anticis fulvis, interdum basi nigra, mediis vel fulvis basi nigra, vel totis nigris aut fulvis, posticis nigris; tibiis fulvis, mediis interdum apice fuscescente, posticis vel rufis aut testaceis, basi apiceque nigricantibus, vel fuscis latere altero ante apicem ferrugineo; tarsis anticis fulvis aut rufis, mediis fulvis aut fuscescentibus, posticis fulvis aut rufoferrugineis aut fuscis.

Mares nonnulli, circa *Hirschberg*, *Trajectum ad Moenum*, nec non in *Hungaria* et *Regione Pedemontana*, capti, mecum communicati sunt.

GENUS V.

CRYPTUS.

Abdomine petiolato convexo; capite transverso; scutello plano aut convexo; (aculeo exserto).

F A M I L I A I,

seu subgenus:

HOPLISMENUS

a verbo ὡπλισμένος, armatus — quia fere omnes species spinis duabus metathoracis armatae sunt.

Abdomine oblongo, segmento primo lineis duabus elevatis; areola quinqueangulari; metathorace bispinoso, pedibus et antennis subgracilibus; (aculeo brevi).

Cryptus, p. 433.
Phygadeuon p. 635.
Mesostenus p. 750.

Caput breve, thorace paulo angustius, collum versus parum angustatum. — *Oculi* ovales. — *Antennae* graciles aut subgraciles, marium porrectae, feminarum curvatae. — De *antennis* et *oris partibus* conferre velis notam ad Hopl. perniciosum. — *Thorax* gibbus, longe plurimis postice spinis duabus acutis armatus. — *Scutellum* quadrangulare aut subtriangulare, plus minus convexum; quadrangulare nonnullis (e. g. H. bidentato, pernicioso) tectiforme, planis duobus quadratis, anteriore marginibus lateralibus elevatis; quibusdam (luteo, moesto, bidentato, pernicioso) tuberculatum, fere aeque altum ac Trogis. — *Alae* mediocres; areola quinqueangulari, interdum subtriangulari. — *Pedes* subgraciles. — *Abdomen* petiolatum convexum oblongum, circiter thoracis longitudine et latitudine, apice acuto. *Segmentum primum* parte antica subgibba aut convexa, latitudine longitudinis, subaciculata, lineis duabus elevatis, in petiolum continuatis, cum quo pars antica, angulo obtuso declinata, nec vero tam abrupte quam in familia prima Ichneumonum, cohaeret; petiolo lineari, longiore et angustiore quam pars antica. — *Aculeus* exsertus brevis. Hopl. leucopygus et ungulatus vaginis duabus analibus instructi sunt, absque terebra; forsan vaginae istae partes masculae sunt.

De affinitate inter Hoplismenos et *Ichneumones* in Vol. I. jam locutus sum. — Species quaedam e familia secunda *Cryptorum*, vaginis aculei dimidio abdomine brevioribus, simulque cellula cubitali intermedia quinqueangulari, quales sunt *Cr. minutorius, assertorius, contractus,* transeunt ad Hoplismenos; horum mares autem vix a Cryptis discerni possunt. — Vaginae anales *Hopl. leucopygi* et *ungulati*, vaginis similibus marium *Mesochororum* respondent.

---

1. H. MOESTUS. n.

Metathorace bispino; niger; scutello et antennarum annulo albis; segmento 2 rufo. f.

Statura et proportio partium omnino ***H.*** *perniciosi*, n. 3, fem.

Longitudo 4 ½ linearum. *Caput* vestigio orbitarum frontis albarum. *Antennae* articulis 9—12 tribus lateribus albis. *Thorax* spinis duabus acutis metathoracis. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris; areola quinqueangulari. *Pedes* antici latere interno femorum tibiarum et tarsorum testaceo; medii tibiis interne apiceque femorum testaceis. *Abdomen* segmento 2 rufo, macula transversa dorsali nigra; 3 nigro, lateribus et summo margine summaque basi rufis; 4 puncto laterali et summo margine obsoleto rufis. *Aculeus* niger.

Individuum unicum, circa *Parmam* captum, *a Sanvitale* mecum communicavit.

2. H. BIDENTATUS.

Metathorace bispino; niger; scutello, orbitis oculorum internis, puncto ad radicem alarum, annuloque tarsorum posticorum, albis; segmentis 2 et 3, nec non femoribus tibiisque anterioribus rufis. m.

Statura et proportio partium omnino maris insequentis. An mas speciei antecedentis? seg-

mento 1 autem lineis duabus elevatis distinctioribus quam in illa, a qua etiam hic mas colore differt.

Longitudo 5 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis albis. *Antennae* subtus rufae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* colli margine supero, punctoque infra alas, albis. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate testaceo, radio fusco, radice ferruginea, squamula nigra; areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, tarsorum articulis 3 et 4 totis, 2 apice, albis. *Abdomen* segmento 1 apice, 2 et 3 totis, 4 angulis baseos, castaneis.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Synonyma:

Ichn. bidentatus Gmel. ed. Linn. p. 2685, n. 245 (haud confundendus cum *I. bidentato* Olivieri).

3. H. PERNICIOSUS. n.

Metathorace bispino; niger, scutello albo; abdomine femoribus tibiisque rufis, tibiis posticis pro parte nigris. m. f. (*Mas* tarsis posticis, *femina* antennis, annulo albo).

Longitudo maris 4¼—5½, feminae 3—4½ linearum. *Caput* orbitis oculorum internis albidis aut flavicantibus, interdum subobsoletis, femi-

nae tenuioribus quam mari, interdum plane deletis; feminae interdum palpis piceis et clypeo badio (descriptionem partium oris vide in nota, huic speciei addita). *Antennae maris* longitudine corporis, aut paulo breviores, subsetaceae porrectae, interdum subtus fuscoferrugineae, articulis 1—3 semper totis nigris; *feminae* corpore paulo breviores, apice curvatae, graciles, supra annulum album subcompressiusculae subdilatatae, apicem versus sensim tenuiores; articulis 9—12—14 tribus lateribus albis, reliquis vel omnibus nigris, vel 3 subtus ferrugineo, vel 3 et 4 totis, 1 subtus, rufis, vel 1 et 2 rufis, 3—5 testaceis, 6—8 supra fuscis subtus testaceis. *Thorax* gibbus; puncto infra alas, plerumque colli margine supero, rarius quoque, in femina, puncto ante alas, albis; metathorace spinis duabus seu tuberculis acutis armato. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae seu subhyalinae; stigmate radio radice et squamula maris nigris aut fuscis, feminae stigmate et radio piceis aut fulvis, radice ferruginea aut fusca, squamula nigra; areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles rufi; coxis nigris, feminae interdum subtus rufis, anticis maris plerumque macula alba; trochanteribus nigris, feminae anterioribus interdum rufis; femoribus posticis plerumque geniculo nigricante; tibiis posticis nigris, feminae interdum ante basin ferrugineis aut rufis, interdum rufis apice nigro; tarsis mediis mari fuscis, articulis 2—4 pallidioribus aut albidis, posticis maris nigris, articulis 2—4 albis, feminae vel nigris, articulis ultimis

interdum ferrugineis, vel ferrugineis, articulis 1—3 apice nigro. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, maris thorace paulo angustius fusiformiovatum, feminae thoracis latitudine ovatum, plerumque paulo brevius quam mari, apice acutiusculo; segmento 1 lineis duabus subelevatis, petiolo plus duplo longiore quam pars antica, interdum basi aut toto nigro; reliquus color abdominis maris castaneobadius est, feminae castaneus aut rufus aut rufofulvus. *Aculeus* brevis, niger.

Mares nonnullos cepi, mensibus Augusti et Septembris, in umbellatis circa *Helmstadium, Vratislaviam, Cudowam, Wölfelsgrund.* — *Feminam* semel tantum cepi, initio Maji in horto prope *Gottingam;* plures autem, circa *Hirschberg, Norimbergam, Vindobonam,* nec non in *Regione Pedemontana* et in *Fennia* captae, mihi transmissae sunt.

Varietas:

1. *Femoribus posticis vel totis vel externe nigris.* m. f. — Caetera sicut in genuina specie. *Antennae* semper basi tota nigra.

Quaedam individua accepi, circa *Warmbrunn, Vindobonam, Parmam* et *Genuam* capta.

Synonyma feminae:

Ichn. armatorius Panzer Fauna Fasc. 70, tab. 21; habitat in dumetis. (Hunc Fabr. in Syst. Piez. p. 86 perperam ad *Cryptum arma-*

torem adhibuit, antennis et scutello totis nigris, praetereaque aculeo longiore, discrepantem).

Nota:

Descriptio *antennarum* et *partium oris*, a *Neeseo ab Esenbeck* mecum communicata haec est:

Antennae rectae setaceae (apicem versus compressae?), articulis 40; radicula brevi angusta; scapo cylindrico, longitudine diametrum vix superante, extrorsum obliquo, in foveam pedicellum subcylindricum brevem exsertum recipiente; articulus quartus, huic impositus, brevissimus disciformis; reliqui decrescentes, quinto longissimo omnium; extremis subtransversis, a sexto compressiusculis.

Clypeus non discretus, subgibbus, utrimque secundum longitudinem depressus, truncatus. — *Labrum* transversum breve rotundatum declinans. — *Mandibulae* angustae incurvae, apice bifidae, dentibus inaequalibus acutis, infero multo breviore. — *Maxilla* omnino qualis in *Pimpla setosa*. — *Palpi* iidem. — *Labium: Mentum* ovatocompressum convexum laeve, basi rotundatum, apice utrimque sub palpo unidentatum, dente parvo acuto, inter palpos rotundatum. *Lingua* brevis ascendens truncata, lateribus deorsum conniventibus, margine antico ciliato. — *Palpi labiales* lingua plus duplo longiores, pubescentes, quadriarticulati; articulo primo obconico, secundo

longiore, truncato; secundo et tertio, hoc praesertim, brevioribus, paulo crassioribus, basin versus modice angustatis, secundo apice extrorsum valde obliquo, quarto denique filiformi subincurvo obtuso, primo longiore.

4. H. ALBIFRONS. n.

Metathorace bispino, niger; facie scutello et tarsorum posticorum annulo albis; abdomine, nec non femoribus tibiisque anterioribus, rufis. m.

Statura et proportio partium maris antecedentis.

Longitudo 3 ½ — fere 4 linearum. *Caput* facie et ore, orbitis oculorum frontalibus, plerumque parte externarum, eborinis aut pallideflavis, mandibulis basi nigris, palpis interdum piceostramineis. *Antennae* porrectae setaceae; subtus articulo 1 pallideflavo, 2—5 fuscis aut fulvis, sequentibus fulvoferrugineis aut fulvis, ultimis fuscis. *Thorax* colli margine supero, puncto infra alas, plerumque altero ante alas, pallideflavis aut exalbidis. *Scutellum* eodem colore. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula fuscis aut nigris; areola quinqueangulari, interiore nervi dividentis vestigio. *Pedes* antici coxis nigris, subtus albidis aut macula albida, trochanteribus nigris, femoribus rufis, interne pallidioribus aut fulvoflavicantibus, margine infero fusco aut nigri-

cante, tibiis rufis aut fuscoferrugineis, interne flavicantibus, tarsis sordidetestaceis superne plerumque fuscescentibus; medii vel sicut antici, vel coxis totis nigris, femoribus interdum totis rufis, tarsis articulis 2 et 3, vel etiam 4, pallidioribus aut albidis, 1 et 5 interdum totis nigrofuscis; postici nigri, tarsorum articulis 2—4 vel 3 et 4 albidis, femoribus interdum badiis apice nigro. *Abdomen* castaneum; petiolo, vel etiam segmento 1 toto, nigro.

Unum individuum e *Fennia*, duo ex *Austria*, accepi, quorum alterum antennis subtus basin versus fulvis, puncto albo ante alas, femoribus posticis maximam partem castaneis, se distinguit.

5. H. PICTUS. n.

Niger; scutello rufo, apice flavo; thorace rufo-flavoque lineato, abdomine castaneo; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris. m. f. (*Mas* facie flava; *femina* facie rufa, antennis alboannulatis).

Statura et proportio partium *perniciosi*, n. 3; mas antennis paulo longioribus, pedibus paulo crassioribus, sexus ambo autem metathorace mutico ab illo differunt.

Longitudo maris 4⅔, feminae fere 4 linearum. *Caput maris* ore, facie, orbitis oculorum frontalibus et genalibus, flavis; *feminae* facie et clypeo rufis, orbitis oculorum omnibus et mandibulis flavis, his basi et apice nigris; palpis piceis. *Anten-*

nae maris setaceae, fere longitudine corporis, articulo 1 subtus flavo; *feminae* articulo 1 subtus ferrugineo, 11—14 tribus lateribus albis. *Thorax* collo nigro, marginibus lateralibus flavicantibus, feminae subtus rufo; prothorace *maris* castaneo, macula pectorali dorsoque nigris, hoc lineis duabus longitudinalibus parallelis castaneorubricosis, linea suturali ante alas lineolaque infra alas flavis, *feminae* nigro, pectore rufo macula laterali flava, picturis dorsalibus sicut in mare, praeterea lineola transversa flava infra scutellum; metathorace *maris* castaneo, dorso nigro, *feminae* nigro, macula laterali dimidiato rufa et flava. *Scutellum* rufum apice flavo. *Alae* subfumatohyalinae; stigmate et radio fuscis aut nigris, radice et squamula maris nigris, feminae piceis, squamula puncto albo. *Pedes maris* anteriores castanei, coxis nigris, mediis puncto castaneo, trochanteribus basi nigris; postici coxis castaneis intus nigris, trochanteribus obscurobadiis, femoribus castaneis geniculo nigro, tibiis nigris basi badiis, tarsis nigris; *feminae* castanei, coxis rufo-nigro-flavoque variis; trochanteribus nigris; antici tibiis subtus apicem versus flavis; postici obscuriores, femoribus externe et apice, tibiis apice, tarsisque, nigricantibus. *Abdomen* castaneum; segmento 1 maris puncto dorsali, feminae petiolo, nigro. *Aculeus* et *genitale masculum* subexsertum, nigra.

Marem cepi die 10 Augusti circa *Warmbrunn* in fruticeto; feminam *Dahl* ex *Austria* transmisit.

6. H. LUTEUS. n.

Metathorace bispino; capite thoraceque nigro-rubro-flavoque pictis, scutello flavo, abdomine femoribus et tibiis testaceis, antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium omnino *perniciosi* feminae.

Longitudo paulo ultra 5 lineas. *Caput* palpis testaceis, mandibulis clypeo et macula faciali rubricosis, orbitis oculorum omnibus flavis. *Antennae* articulis 1—8 rufis, 1 et 2 supra fuscis, 9—14 albis, sequentibus fuscis, subtus rufis. *Thorax* colli margine et macula magna pectorali rufis, linea ante alas rufoflavoquevaria, lineola infra alas alba; lineis tribus longitudinalibus dorsalibus obscurorubricosis, media abbreviata; lineola transversali testacea infra scutellum; metathorace spinis duabus brevibus acutis. *Scutellum* flavum. *Alae* fulvescentihyalinae, stigmate radio radice et squamula testaceis; areola quinqueangulari. *Pedes* testaceorufi; coxis et trochanteribus anterioribus superne fuscis, posticis fere totis fuscis; femoribus posterioribus externe fuscis. *Abdomen* testaceum, petiolo nigro. *Aculeus* rufescens.

Unicam feminam *pedemontanam Bonelli* transmisit.

7. H. DIMIDIATUS. n.

Capite nigro; thorace rufo-nigroque-picto; segmentis 1 et 2 rufis, sequentibus nigris, ultimis macula alba; pedibus rufis, posticorum femoribus et tibiis apice nigris. m. f. (*Femina* antennis tricoloribus).

Statura et proportio partium *Cr. minutorii* e familia secunda; sed habitu paulo graciliore et aculeo multo breviore differt.

Longitudo maris 3, feminae 3—3½ linearum. *Antennae* tenues, filiformes, corpore parum breviores; *maris* porrectae, totae nigrae; *feminae* apice curvatae, articulis 3—5 rufis, 8—11 tribus lateribus albis. *Thorax* gibbulocylindricus, *maris* niger, metathorace rufo, *feminae* rufus, collo nigro, caeterum vel regione circa alas distinctius aut obsoletius nigra, vel prothoracis dorso nigro lineis quatuor longitudinalibus ferrugineis, mediis duabus brevioribus. *Scutellum* maris nigrum, feminae vel totum rufum vel nigrum marginibus ferrugineis. *Alae* subfumatohyalinae, *maris* stigmate radio radice et squamula nigris, *feminae* stigmate fusco aut stramineo, radio et radice fuscis aut piceis, squamula nigra aut fusca; areola triangulari. *Pedes* mediocres, subgraciles; *maris* anteriores coxis et trochanteribus nigris; postici coxis nigris, supra rufis, trochanterum basi, femorum apice, tibiarum basi et apice, tarsisque, nigris; *feminae* coxis mediis interdum basi, anticis

interdum totis, nigris; trochanteribus anterioribus nigris, posticis rufis interdum basi nigra; femorum posticorum apice, interdum ad medium femoris usque, tibiarum posticarum apice vel etiam basi, tarsisque posticis, nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine vel paululum brevius, *maris* subfusiforme, thorace perparum angustius, *feminae* oblongoovatum, thoracis latitudine; segmento 1 rufo, petiolo paulo angustiore at fere triplo longiore quam pars antica, hac subquadrata; 2 rufo; reliquis nigris, 6 et 7 vel 5—7 albidomarginatis. *Aculeus* brevissimus exsertus.

Marem cepi mense Augusto in gramine, circa *Warmbrunn;* ibidem *Manger* quasdam feminas cepit; feminam unam ipse prehendi, versus finem Septembris, circa *Trajectum ad Viadrum,* loco aprico herbaceo dumetoso.

Varietates:

1. *Femoribus anterioribus externe nigris.* f. — *Longitudo* $2\frac{2}{3}$—$3\frac{1}{5}$ linearum. *Antennae* articulis 1—6 vel totis fuscis vel 3—5 subtus aut totis rufis. *Thorax* rufus, collo nigro. *Scutellum* rufum. *Pedes* antici nigri, tarsis tibiis et femorum apice rufis, medii rufi, trochanteribus, coxis inferne, femoribus externe, nigris; postici nigri, coxis, femorum basi, tibiarum medio, rufis. — Caetera sicut in femina genuina.

Quaedam feminae, circa *Warmbrunn* et *Parisios* captae, mecum communicatae sunt.

2. *Pedibus fere totis nigris.* f. — *Longitudo* 3 linearum vel paulo minor. *Antennae* articulis 3—7 interdum subtus subferrugineis, 8—11 albis subtus fuscis. *Thorax* rufus, collo subtus nigro. *Scutellum* rufum. *Alae* stigmate radio radice et squamula nigris; areola subtriangulari aut quinqueangulari. *Pedes* nigri; coxis posticis, ut plurimum etiam mediis, macula magna rufa; femoribus anticis geniculo, posticis summa basi, rufis; tibiis anticis rufis, externe plerumque fuscis, mediis fuscis, latere interno vel toto vel basin versus ferrugineo, posticis nigris plerumque ante basin ferrugineis; tarsis anticis rufis, mediis fuscescentibus, posticis fuscis. *Abdomen* segmentis 1 et 2 rufis, 2 plerumque macula aut linea dorsali nigra; sequentibus nigris; 5 et 6 margine, 7 dorso toto, albis.

Feminas nonnullas, circa *Parmam* captas, a *Sanvitale* transmisit.

8. H. UNIGUTTATUS. n.

Niger; scutello, lineola infra alas, annuloque antennarum, albis; abdomine rufo, apice nigro macula alba; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro. f.

Statura et proportio partium *perniciosi*, n. 3; sed thorace inermi, antennis longioribus et gracilioribus.

Longitudo 3½ linearum. *Antennae* graciles, corpore paulo breviores, apice setaceae curvatae,

articulis 10—13 tribus lateribus albis. *Thorax* colli margine supero et punctis duobus subobsoletis ad radicem alarum albis. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice albidostraminea, squamula nigra; areola subtriangulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, postici quoque tarsis et femorum tibiarumque apice nigris. *Abdomen* confertim punctum; segmento 1 rufo, petiolo nigro; 2 rufo, dorso nigro; 3—5 rufis; 6 nigro, margine albo; 7 toto albo.

Feminam unicam *gallicam Desmarestio* debeo.

9. H. ALBINUS. n.

Niger; scutello et annulo antennarum albis; abdominis apice nigro, ano albo, segmentis 2—4 rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris. f.

A praecedente haec species differt abdomine depressiore, subtilius puncto, apice obtusiore.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* orbitis oculorum frontalibus tenuissime et obsolete albidis. *Antennae* graciles setaceae, corpore paulo breviores, articulis 11—14 superne albis. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate testaceo, radio piceo, radice et squamula fuscis, areola subtriangulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici praeterea femorum apice et tibiarum apice basique summa nigris. *Abdomen* seg-

mento 1 rufo, petiolo nigro; 2—3 rufis; 4 rufo, margine nigro; sequentibus nigris, 6 et 7 margine albo. *Aculeus* niger, brevissimus subexsertus.

Feminam unicam cepi mense Augusto in fruticeto prope *Warmbrunn*.

Nota:

Haec species etiam prope accedit ad *Ichn. strigatorium* familiae I, n. 136, ut fere pro ejus varietate haberi posset, at antennis et segmento primo paululum gracilioribus, nec non cellula cubitali intermedia subtriangulari, differt.

10. H. ERRABUNDUS. n.

Niger, scutello, orbitis oculorum internis, annulo antennarum, albis; segmentis 1—3 rufis, ultimis nigris ano albo; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris. m.

Statura et proportio partium omnino antecedentis; antennis paululum crassioribus.

Longitudo 4 linearum, vel paulo minor. *Caput* puncto parvo laterali clypei et orbitis oculorum internis albis. *Antennae* setaceae, porrectae, longitudine corporis; articulo 1 subtus puncto albido, 13—17 albis subtus puncto fusco. *Thorax* puncto parvo albo infra alas. *Scutellum* vel totum album, vel macula centrali nigra. *Alae* fumatohyalinae, stigmate piceo aut fusco, radio et radice fuscis, squamula nigra, areola triangu-

lari. *Pedes* femoribus rufis, anterioribus subtus plus minus nigris, posticis apice nigro; tibiis anterioribus testaceostramineis, externe fuscescentibus, posticis nigris, ante basin castaneorufis; tarsis fuscis, anterioribus subtus pallidioribus. *Abdomen* segmentis 1—3 rufis, petiolo nigro; reliquis nigris, 6 margine 7 dorso albis.

Mares duos *Besser* e *Volhynia* transmisit.

11. H. COTHURNATUS. n.

Niger; scutello, antennarum annulo, picturis capitis et thoracis, marginibus segmentorum 5—7, tarsisque posticis, albis. f.

Longitudo 3¼ linearum. *Caput* palpis piceis; orbitis oculorum internis et genarum parte infera flavis. *Antennae* graciles, corpore paululum breviores, apice setaceae curvatae, articulis 9—13 albis. *Thorax* gibbulus, punctis duobus ad radicem alarum albis. *Scutellum* album. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula fuscopiceis; areola triangulari sessili. *Pedes* mediocres nigri; antici nigrofusci, tibiis et latere interiore femorum ferrugineis; medii tibiis tarsisque obscuroferrugineis; postici tibiis medio ferrugineis, tarsis flavoalbis articulo 1 basin versus ferrugineo. *Abdomen* thorace paulo longius pauloque angustius, ovatum depressiusculum, apice obtusum; segmento 1 petiolo angusto lineari, fere quadruplo longiore quam pars antica, hac suquadrata

et vix duplo latiore quam petiolus; segmentis 1—3 confertim et subtiliter punctis, sequentibus nitidioribus, 5—7 flavomarginatis. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Unicam feminam *austriacam Dahl* mihi transmisit.

Varietas maris?

1. *Facie tota nec non coxis et trochanteribus anterioribus albis.* m. — *Statura* gracilior, antennae longiores, pedes graciliores quam in femina genuina. *Longitudo* fere 4 linearum. *Caput* facie ore et orbitis oculorum albis. *Antennae* articulo 1 subtus, 11—16 supra, albis. *Thorax* linea ante alas, lineolaque infra alas, albis. *Scutellum* macula centrali alba. *Alae* hyalinae irideae, stigmate radio et squamula fuscis, radice pallida; areola triangulari. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus anterioribus albis, posticis nigris; postici geniculis summis et tibiarum apice fuscescentibus, tarsis albis articulo 1 fusco. *Abdomen* subsericans, thorace angustius, segmentis 2—5 aequilatis.

Unicum individuum *a Stillfried* prope *Hirschberg* cepit.

Nota:

De mare descripto adhuc dubius sum, num cum femina genuina hujus speciei jungendus sit. — Quaeritur, num forsan *Ichneumon pallidatorius* e familia prima, n. 51, mas hujus feminae sit.

12. H. ORBITATUS. n.

Niger; facie, antennarum annulo, scutello, lineisque thoracis, albidis; pedibus rufis, posticorum coxis trochanteribus nec non femorum et tibiarum apice, nigris. m.

Statura et proportio partium omnino maris dubii speciei praecedentis; abdomine tamen paulo latiore, subfusiformi; an ejus varietas?

Longitudo 4 linearum. *Caput* facie ore et genarum parte flavis, mandibulis apice nigris. *Antennae* porrectae setaceae, corporis longitudine aut paulo longiores; articulo primo subtus flavo, 13—19 albis subtus fuscoferrugineis. *Thorax* gibbus punctus; linea ante alas, lineola sub alis, punctoque laterali colli, flavis. *Scutellum* apice flavo. *Alae* fumatohyalinae, stigmate nigro, radio et squamula fuscis, radice picea puncto albido; areola subtriangulari. *Pedes* graciles longi rufi; anteriores trochanteribus et coxis pallidestramineis, his externe nigris, femoribus externe nigris; postici coxis, trochanteribus, femorum apice ad medium usque, tibiarumque apice, nigris, tarsis flavis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, ovatofusiforme; segmento 1 scabro, parte antica duplo latiore quam petiolus; 2 crasse puncto; sequentibus subtilius punctis nitidioribus.

Marem unicum *austriacum Dahl* transmisit.

Nota:

Conferas notam ad *Mesoleptum larvatorem*, n. 15.

13. H. LEUCOPYGUS. n.

Niger; abdominis basi rufa, ano albo; pedibus rufis, tarsis posticis nigris annulo albo. f.? m.?

Statura et proportio partium speciei insequentis; segmento 1 autem angustiore.

Longitudo fere 6 linearum. *Antennae* porrectae, corpore paulo breviores, subtus fuscoferrugineae, articulo 1 toto nigro, *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice fuscopicea; areola quadrata. *Pedes* rufi; antici coxis trochanteribus et unguibus nigris; medii basi coxarum, summo apice tibiarum, unguibusque nigris; postici femorum tibiarumque summo apice tarsisque nigris, horum articulis 3 et 4 albis. *Abdomen* fusiformiovatum, thoracis latitudine, eo autem fere duplo longius; segmento 1 fere lineari, parte antica paulo latiore quam petiolus, ejus autem longitudine, latitudine fere duplo longiore; segmentis 1—4 rufis, 3 et 4 autem nigredine contaminatis; reliquis nigris, 6 et 7 macula marginali transversali alba. *Vaginae* duae anales compressae subellipticae nigrae subpilosellae exsertae breves, terebra nulla conspicua; an partes masculae?

Individuum unicum cepit *Hartlieb* circa *Vratislaviam.*

Nota:

Haec species et insequens, ratione vaginarum analium, antennarum magis filiformium, metathoracis minus gibbi, a reliquis hujus familiae speciebus discedunt; vaginis analibus autem cum familiae XI maribus conveniunt, indeque medium quasi occupant inter hanc et illam familiam.

14. H. UNGULATUS. n.

Rufus; capite, prothorace, unguibusque nigris. m.? f.?

Longitudo 4½ linearum. *Caput* palpis testaceis. *Antennae* porrectae, corpore breviores, subfiliformes, apicem versus minus attenuatae quam in reliquis hujus familiae speciebus, excepta praecedente, fuscae, subtus rufoferrugineae, articulo 1 toto nigro. *Thorax* gibbulus, niger; metathorace rufo, inermi, minus gibbo quam in reliquis cospeciebus, excepta proxime antecedente. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et radice testaceostramineis, squamula nigra, areola quinqueangulari subquadrangulari. *Pedes* graciles, fulvorufi; medii ungulis nigris; postici summo tibiarum apice et tarsorum articulis 1, 2 et 5 nigris. *Abdomen* fusiformiovatum, latitudine thoracis, eo autem

fere duplo longius, diluterufum; segmento 1 parte antica latitudine longiore, longitudine petioli, eo autem fere duplo latiore. *Vaginae* duae exsertae anales sicut in specie praecedente, nigrae.

Unicum individuum a *Steven* e *Tauria* transmisit.

Nota:

Conferre velis notam speciei praecedenti additam.

F A M I L I A II,

seu subgenus:

C R Y P T U S.

Abdomine feminae ovato aut oblongo, maris ut plurimum angustiore; segmento primo laevi subarcuato; areola quinqueangulari aut subquadrangulari; antennis pedibusque gracilibus longis (aculeo longo).

Caput breve transversum, thorace paulo angustius, collum versus sensim angustatum; Crypto fortipedi autem subglobosum, nec collum versus angustatum. — *Oculi* ovales, rarius fere orbiculato-ovales, plus minus prominentes, speciebus capite crassiore caeteris paribus minores minusque prominentes (v. c. Crypto fortipedi). — *Antennae* longae graciles, maribus porrectae, feminis plus minus curvatae; quibusdam feminis (e. g. Crypti attentorii, anatorii, lacteatoris, contracti, peregrinatoris) subcrassiusculae, Crypto fortipedi autem breves et crassae. — De *antennis* et *oris partibus* conferas notam ad Cr. cyanatorem, et descriptionem oris partium Bassi (Crypti nostri) seductorii in Fabricii Systemate Piezatorum. — *Thorax* gibbus aut gibbulus, rarius subcylindricus. — *Scutellum* plus minus convexum, vel triangulare apice plus minus obtuso, vel subquadrangulare. — *Alae* mediocres; areola quinqueangulari aut quadrangulari. — *Pedes*, imprimis postici, longi graciles, rarius subcrassiusculi aut crassiusculi (e. g. Cr. fortipedi). — *Abdomen* petiolatum, rarius subpetiolatum (Cr. bra-

chycentro), convexum; feminis oblongum aut ovatum, circiter thoracis latitudine, eoque paulo longius, speciebus nonnullis minoribus tamen solito brevius latius et depressius; maribus plerumque angustius, saepe multo angustius multoque longius quam thorax ubique aequilatum, rarius oblongo-ovatum et thoracis latitudine (v. c. Cr. perspicillatori); haud raro in utroque sexu apicem versus compressiusculum. *Segmentum primum* laeve, interdum autem, si nempe solito brevius et latius est, lineis duabus elevatis distinctis; feminis plerumque apicem versus dilatatum, parte antica raro perbrevi quadrangulari, seu vix aut omnino non latiore quam petiolus (v. c. Cr. macrobato et seductorio); maribus ut plurimum multo angustius quam feminis, parte antica latitudine saepius petiolum vix excedente; petiolo rarissime perbrevi aut apicem versus sensim dilatato, plerumque lineari et vel longitudine partis anticae vel longiore; tuberculis lateralibus saepe late prostantibus, praeprimis si segmentum ipsum perangustum est. Quo magis hoc segmentum apicem versus dilatatur, eo acutior est angulus, sub quo pars antica cum petiolo cohaeret; sin autem segmentum aequilatum est, arcu leni curvatur (e. g. in Cr. macrobato et seductorio). Feminis plurimis *segmenta* 4—6 aut 5—6, pro exsertione terebrae, ventre prominent, praecipue si insectum terebram vel retrahit vel ita deorsum flectit, ut cum ventre angulum exhibeat; segmenta 7 et 8 ventre rima longitudinali canaliculata sunt. — *Aculeus* exsertus

prodit ventre e prominentia segmenti sexti, situ quieto in rima segmentorum 7 et 8 absconditur, tandemque a vaginis recipitur, quae, apici abdominis ipsius adnatae, plerumque dimidio abdomine longiores, rarius longitudine totius corporis aut dimidio abdomine breviores, sunt.

De affinitatibus Cryptorum cum *Ichneumonibus*, *Ischnis*, *Stilpnis*, *Tryphonibus* et *Hoplismenis* supra jam actum est. — *Cr. fortipes*, qui capite crassiore, antennis pedibusque brevioribus et crassioribus, forma abdominis, feminis *Alomyarum* respondet, aculeo longo ab eis discedit. — Mares Cryptorum prope accedunt ad quosdam mares tenuiventres *Phygadeuontium*, e. g. ad *Ph. procerum*, ut limites horum duorum subgenerum collabantur. Confiteor etiam, saepius solam magnitudinem aut parvitatem Crypti cujusdam masculi me duxisse, quo eum huic vel illi subgeneri adnumerarem, cum Phygadeuontes minores esse soleant; inde factum est, ut antea mares quosdam ad Phygadeuontes redegissem, qui postea, feminis eorum erutis, in subgenus Cryptorum transmigrati sunt, e. g. *Cr. lacteator*; etiam *Cr. pellucidatorem* antea inter Phygadeuontes collocaveram. Crypti, areola quinqueangulari, pedibus crassioribus, si feminae eorum insuper antennis solito crassioribus gaudent, (e. g. *Cr. anatorius*, *attentorius*, *brachyurus*, *fortipes*), transitum parant ad Phygadeuontes, e quibus *Ph. curvus* ad illos adpropinquat; *Phyg. arridens* quoque et *facialis*, pedibus subgracilibus, propius ad Cryptos accedunt. Non-

nulli Crypti parvi, abdomine feminarum breviore latiore depressiore (e. g. *Cr. pullator, perfusor, hortulanus, apicalis, flagitator, bitinctus*), speciebus quibusdam parvis, antennis feminarum tenuioribus, Phygadeuontium confines sunt, nec nisi antennae paulo graciliores illorum me commoverunt, eos Cryptis consociare. *Phygadeuon fumator* autem et *vagans* antea sub Cryptis militabant. Quo minus antennae feminarum Phygadeuontium curvatae sunt, eo graciliores esse solent; tum autem antennis Cryptorum magis respondent. Aliae Phygadeuontium feminae, e. g. *Phyg. digitati*, abdomine convexiore, propius ad Cryptos accedunt; *Cr. nubeculatus* autem antea Phygadeuontibus adscriptus erat. — Crypti, areola quadrangulari, transeunt in *Mesostenorum* species, cellula ista ampliore distinctas, quales sunt v. c. *Mesost. ligator* et *obnoxius*. *Mes. albinotatus* antea sub Cryptis militabat. Ex altera parte vero *Cryptus brachycentrus*, areola perparva, ad Mesostenos adpropinquat. — Nexus aeque intimus sese manifestat inter *Hemiteles* et Cryptorum species quasdam minores, areolae quinqueangularis nervo exteriore tenuissimo, quales sunt *Cr. pullator, perfusor, hortulanus, apicalis*, per feminas *Hemitelis floricolatoris, meridionalis, micatoris, aestivalis, fragilis* etc. Feminae istae Cr. pullatoris etc. nectunt, uno latere Phygadeuontes, altero Hemiteles, cum Cryptis. *Hem. inustus*, areolae nervo exteriore quidem tenui, at distincto, transit ad Cryptos et Phygadeuontes. In indi-

viduo altero varietatis 3 *Hemitelis palpatoris* areola alae unius est completa, alae alterius incompleta, quo status vere intermedius inter Cryptos et Hemiteles manifestatur; antea quoque haec varietas anomala cum *Crypto perfusore* conjuncta erat. Sed praeterea plures alii Hemiteles, e. g. mares *ruficincti*, *tristatoris*, *imbecilli*, nec non femina *inimici* ad Cryptos censeri possent, nisi defectus areolae locum eis inter Hemiteles adsignaret. — Si pars antica et petiolus segmenti primi breviusculi sunt, petiolus insuper autem solito latior, quemadmodum in *Crypto attentorio*, *lacteatore*, praecipue vero in *Crypto brachycentro*, abdomen jam pro subsessili haberi posset; istae species, praesertim tamen femina Crypti brachycentri, *Phytodietis* adpropinquant. — Licet feminae *Ischnocerotum*, habitu toto et areolae defectu, a Cryptis differant, attamen *Ischn. microcephalus*, segmento 1 distincte-petiolato, quodammodo medium tenet inter ambo subgenera. — Itidem feminae *Nematopodiorum* Cryptis quibusdam, e. g. *volubili*, adpropinquare videntur, sed habitu toto, corpore proceriore, petiolo et aculeo brevioribus, satis differunt. — *Mesochorus lucifer* aliquam similitudinem cum feminis quibusdam Cryptorum, aculeo breviore distinctis, habere videtur; differt autem abdominis apice compresso obtuso, et forma areolae. — *Campoplex nitidus*, abdomine subcompresso et areola triangulari, verus quidem est Campoplex, sed forma segmenti primi, et antennis annulatis femi-

nae, Cryptis respondet. — Mares *Echthrorum* affinitatem aliquam produnt cum speciebus quibusdam procerioribus Cryptorum, e. g. cum *Cr. albatorio;* sed differunt toto habitu, forma capitis, abdomine subsessili; attamen *Echthrus lancifer* antea Cryptis associatus erat.

Scutello et abdomine nigris,
Scutello pallido, abdomine nigro,
" " " pallido
cingulato
" pallide notato, abdomine rufo aut rufo nigroque. p. 491.
Scutello nigro, abdomine rufo aut rufo nigroque. p. 543
Scutello et thoracis parte rufis, abdomine rufo nigroque.

SECTIO I.

Scutello et abdomine nigris.

Abdomen interdum segmentis nonnullis castaneomarginatis est. Species, quibus hic color aut rufus in segmentis magis se extendit, (e. g. *macrobatus, spiralis, grisescens, bilineatus*), inde sectioni quintae adpropinquant. Rarius segmenta quaedam albido submarginata sunt, v. c. *quadriannulato.* Nonnulli ano albomaculato, distinctiore aut obsoletiore, gaudent, ita tamen, ut hae maculae, non tam verae picturae, quam membranulae plus minus laxae albocoloratae sint, quibus segmentum septimum, aut hoc et sextum, ornantur. — *Scutellum* ut plurimum totum nigrum est; in varietatibus *Cr. moschatoris*, feminae *spiralis*, et *quadriannulati* autem albonotatum, quo hae species ad sectionem secundam spectant, imprimis autem femina *spiralis* proxime accedit ad *Cr. viduatorem* sectionis secundae.

E *sectione* 5 *Cr. tricinctus* et *marginatus*, segmentis intermediis nigris apice rufo, nec non *Cr. pellucidatoris* varietas, segmenti secundi apice, tertii dorso, stramineis, speciebus supra allegatis hujus sectionis, *macrobato* etc. respondent.

Linoceras Tsch.

15. C. MACROBATUS. n.

Annulo antennarum pallido, femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro, tarsis pallidetestaceis. m. f. (*Mas* facie flava, *femina* antennis tricoloribus).

Longitudo maris 3½—5½, feminae 5—fere 6 linearum. *Caput maris* facie oreque flavis, mandibulis apice nigro; *feminae* rarius totum nigrum, plerumque orbitis internis oculorum tenuissimis flavicantibus. *Antennae* corpore paulo breviores filiformes porrectae; *maris* vel nigrae, articulis 16 et 17 subtus fuscis, vel nigrae subtus plerumque fuscoferrugineae, articulis 15—17 tribus lateribus aut subtus rufis aut diluteferrugineis; articulo 1 semper subtus flavo; *feminae* articulis 1 et 2 nigris; 3—11 supra nigris aut fuscis, subtus rufis aut ferrugineis; 12 et 14 vel totis flavis aut fulvis, vel supra fuscis aut nigris, his subtus fuscoferrugineis; 13 pallideflavo aut silaceo, rarius fuscoferrugineo; sequentibus fuscis aut nigris, subtus interdum rufoferrugineis. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres; maribus minores quam feminis, interdum angustae; subhyalinae aut fumatohyalinae, interdum irideae, apicem versus feminis subpurpureo-micantes; stigmate fulvo aut testaceo, rarius piceo, radio piceo aut fusco, radice ferruginea aut fuscopicea, squamula nigra aut fusca interdum puncto piceo aut pallidiore; areola subqua-

drata majore. *Pedes* graciles longi rufi; coxis trochanteribus nec non tibiarum posticarum apice nigris, trochanteribus anticis maris subtus linea flava; tarsis posticis articulo primo dilute rufo, apice pallidiore vel albidoflavo, 2, 3 et 4 diluterufis aut pallideflavis, 5 ferrugineo aut fusco, ut plurimum mari pallidioribus quam feminae, anterioribus quoque flavoalbidis articulo 5 ferrugineo aut fusco; tibiis anticis aut anterioribus maris subtus pallideflavis, feminae mediis subtus flavorufis apice summo flavo; femoribus posticis interdum apice nigricante. *Abdomen maris* thorace duplo longius dimidioque angustius, apicem versus subcompressum; segmento 1 laevissimo longo sublineari, parte antica perpaulo latiore quam petiolus, latitudine triplo longiore, interdum macula castanea ante apicem, tuberculis lateralibus paululum ante medium sitis; 2 interdum fascia aut macula media, aut macula laterali, castanea; *feminae* capite thoraceque longius et paulo angustius, interdum fere thoracis latitudine, oblongoovatum; segmento primo distincte aut obsolete canaliculato, paulo latiore quam mari; 1 et 2 haud raro macula media castanea. *Aculeus* longitudine segmentorum 2—7, niger, terebra castanea.

Duas feminas cepi mense Iulio prope *Helmstadium* in fruticeto, mense Augusto prope *Cudowam* in umbellatis. Plures mares et feminae ex *Austria*, *Regione Pedemontana*, nec non e *Fennia*, praeterea feminae circa *Florentiam*, *Genuam* et *Montem Pessulanum*, mares circa *Berolinum*,

Sickershausen Niesky et *Warmbrunn* capti, mihi transmissi sunt.

Synonyma maris:

Ichn. moschator Villers p. 179, n. 135 et Olivier p. 188, n. 122, varietas capite sub antennis albo (varietas capite et antennis totis nigris verus est *Cryptus moschator* Fabr. quem sub n. 21 descripsi).

Cryptus.

16. C. CYANATOR. n.

Abdomine nigrosubcoeruleo; femoribus tibiisque rufis, harum posticis apicem versus nigris. m. f.

Statura maris gracilior quam feminae.

Longitudo maris 6—7 linearum, feminae 5 — fere 8 linearum. *Caput* pubescens. *Antennae maris* porrectae, filiformes, corpore dimidio longiores, crassiores quam *feminae*, cui corpore paulo breviores, graciles, apice incurvae sunt. *Thorax* gibbus, pubescens, feminae interdum puncto rufo infra alas. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, maris subfumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula fuscis aut nigris; cellula interiore nervi dividentis vestigio, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres subelongati, rufi; coxis pubescentibus et trochanteribus nigris, tarsis fuscis; tibiis posticis apice nigro aut nigricante, feminae interdum externe totis nigricantibus, mediis maris interdum

apice fusco. *Abdomen* coeruleonigrum, *maris* capite thoraceque longius, thorace angustius; segmentis 2—6 aequilatis; 1 canaliculato, parte antica latitudine paulo longiore, pauloque latiore et breviore quam petiolus, tuberculis lateralibus prominulis; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum; segmento 1 pubescente (ut in mare), subcanaliculato, parte antica subquadrata aut subtransversa, breviore at duplo latiore quam petiolus. *Aculeus* abdomine brevior niger.

Marem unum cepi prope *Vratislaviam;* alter provenit mihi e Bombycis fuliginosae pupa, initio Aprilis, isque minor. — Feminas duas cepi mense Iunio circa *Gottingam* in gramine et ad sepem horti; plures, circa *Vratislaviam, Pichelsberg, Niesky, Hannoveram* et *Gottingam* captae, mecum communicatae sunt; eandem vidi in Museo Comitis de Hoffmannsegg sub nomine *Ichneum. cyanatoris* novi.

Varietas feminae:

1. *Femoribus anticis basin versus nigricantibus.* — *Tibiae* mediae externe nigricantes. — Caetera sicut in femina genuina.

Patria ignota.

Synonyma:

Ichn. fuscescens Gmel. ed Linn. p. 2703, n. 311 (haud p. 2718, n. 373, minutus etc.).

Ichn. Roeselii Scharfenberg p. 975, n. 40. — Roesel II. Vesp. tab. 6. — Haec species

occurrit ad hortorum parietes, folliculos Phalaenarum, v. c. Phal. Bomb. Neustriae, investigans, quos terebra perforat, et in larvam seu pupam adhuc mollem ovum singulum deponit. Larva Ichneumonis hujus magna alba, postice crassior, apoda, capite nigro acuto, folliculum construit sibi flavescentem in ipso folliculo phalaenae.

Nota:

1. *Antennas* et *oris partes Nees ab Esenbeck* accuratius examinavit et his verbis descripsit:

Antennae rectae setaceae, apice recurvae, articulis 48; radicula brevi tenui pateraeformi; scapo ovato, extus oblique excavato; pedicello cylindrico exserto; articulo quarto (accessorio) indistincto brevissimo annuliformi; reliquis cylindricis decrescentibus, anterioribus maxime elongatis, extremis ita contiguis ut vix distinguantur, ultimo brevi obtuso.

Clypeus discretus linea impressa semicirculari, transversus, margine antico subretusus, tumidus, punctis sparsis subtilibus impressus. — *Labrum* transversale breve, marginibus rectiusculis, antico ciliato. — *Mandibulae* breves firmae, parum arcuatae, pyramidales, facie exteriore supera latiore, plana, sparsim punctulata, angulis obtusis, apice acute excisa, dentibus brevibus aequalibus obtusiusculis. — *Maxillae* labium aequantes et am-

plectentes: *Stipes* angustus lanceolatus compressus, introrsum obliquus: *Mala* membranacea flavescens plana, longitudine stipitis, biarticulata; articulis longitudine et latitudine aequalibus, infero subquadrato, introrsum in lobum semicircularem ascendentem dilatato, supero fere orbiculato, ciliato, versus exteriora opaco et fere corneo. — *Palpi maxillares* mala triplo longiores, curvi, setacei, pilosuli, quinquearticulati; articulo primo obconico; secundo subrecurvo, margine interiori arcuato, basi angustiore, apice oblique truncato, subcompresso (ut cultriformis nequeat dici); tertio et quarto subcylindricis, illo basin versus paulisper attenuato; quinto tenuiori filiformi acutiusculo, relatio longitudinis 3. $\begin{smallmatrix}4\\5\\2\end{smallmatrix}$ 1. — *Labium: Mentum* corneum obovatum, basi magis contractum, parum compressum, convexum punctulatum, pilis sparsis vestitum, apice emarginatum, angulis acutis et dente utrimque setaceo sub palpis: *Lingua* mento duplo brevior, longitudine fere latior, ascendens subcoriacea glabra truncata, vix retusa, lateribus deorsum flexis, in cucullum conniventibus. — *Palpi labiales* mento duplo longiores, filiformes, pilosi, quadriarticulati; articulo primo clavatotruncato; secundo fere triangulo; tertio oblique obconico; quarto conicoattenuato, angustiori, obtusiusculo; ratio longitudinis 1. 4. 3. 2.

17. C. FIBULATUS. n.

Tibiis anterioribus femoribusque fulvis, tarsorum posticorum articulis 3 et 4 albidis. m.

A reliquis hujus sectionis maribus hic differt abdomine et segmento 1 latioribus.

Longitudo 5½ linearum. *Antennae* porrectae setaceae, corpore paulo breviores. *Thorax* gibbus subgriseopubescens. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice piceoferruginea, squamula nigra puncto albo subobsoleto; areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles longi fulvi, coxis et trochanteribus nigris; postici praeterea tibiis nigris, basi summa fulvis, tarsis nigris articulis 3 et 4 albis. *Abdomen* thorace angustius, at eo fere duplo longius, fusiforme, depressiusculum; segmento 1 petiolo lineari, angustiore atque longiore quam pars antica, hac latitudine longiore.

Marem unicum, circa *Norimbergam* captum, *Sturm* mecum communicavit.

Nota:

Schaefferi Icon. tab. 72, fig. 4 forsan huc pertinet. Panzer eam ad *Ichn castigatorem* Fabr. adhibuit. — Conferas nostrum *Ichn. castigatorem*, n. 10.

18. C. INCONSPICUUS. n.

Femoribus tibiisque rufis, horum posticis apice nigris; ore, picturis faciei, annulo tarsorum posticorum, albis. m.

Statura et proportio partium maris speciei insequentis; sed parvitate differt.

Longitudo 2 3/4 linearum. *Caput* ore, clypeo, macula faciali et orbitis internis oculorum, albis. *Antennae* articulo 1 subtus albo. *Alae* hyalinae, stigmate radio et radice piceis, squamula alba. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, coxis anticis subtus albis; tibiis posticis apice nigro; tarsis posticis nigrofuscis, articulis 3 et 4 sordide albis.

Marem unicum *a Steven* e *Tauria* misit.

19. C. TARSOLEUCUS.

Femoribus tibiisque rufis, tarsis posticis pallidioribus; facie pallidemaculata. m. f.

Statura et proportio partium omnino *Cr. moschatoris*, n. 21.

Longitudo 4 1/2—7 linearum. *Caput maris* palpis ferrugineis aut fuscis; orbitis oculorum internis, mandibularumque medio, rarius etiam labri margine et clypei linea transversali, rarissimeque insuper parte orbitarum externarum et punctis duobus in medio faciei, flavis aut flavoalbidis;

feminae orbitis oculorum internis subtilissime aut obsolete albicantibus. *Thorax* maris rarissime lineola flava infra alas. *Alae* maris hyalinae aut subfumatohyalinae, feminae paulo obscuriores; stigmate radio et radice fuscis aut nigris; squamula fusca, interdum puncto albo subobsoleto, rarissime tota sordide albida; areola quinqueangulari, interdum subquadrangulari. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, maris interdum trochanteribus anticis, rarius etiam coxis anticis, subtus lineola albida; tibiis posticis maris interdum apicem versus nigricantibus; tarsis posticis *maris* articulo 1 interdum ferrugineo apice pallidiore aut flavo, 2—4 fulvis aut flavoalbidis, *feminae* articulis 2—4 plus minus distincte pallidioribus. *Abdomen* maris interdum nigrocoeruleum, vel segmenti 2 summo margine castaneo. *Aculeus* abdomine paulo brevior.

Mares feminis frequentiores sunt. Sexus ambo cepi circa *Vratislaviam*, mensibus Iunii et Maji, in fruticetis et in gramine; feminam etiam mense Augusto, in umbellatis prope *Cudowam*. Circa *Sickershausen Nees ab Esenbeck* marem et feminam cepit. Praeterea mares plures, circa *Warmbrunn*, *Niesky*, *Hannoveram*, *Vindobonam*, *Aboam*, *Parisios* et in *Regione Pedemontana*, captos, accepi. Feminam *ab Uechtritz* in summo montis *Szobor* in *Hungaria* reperit, *Besser* in *Volhynia*. — Maris individuum *fennicum* (circa Aboam captum), longitudine 7 linearum, picturis flavis capitis omnibus descriptis, lineola flava infra

alas, squamula alarum tota albida, insigne est. — Feminarum circa *Sickershausen* captarum altera, omnium minima, tarsorum posticorum articulis 2—4 pallidioribus, et areola magis coarctata, a reliquis differt.

Synonyma maris:

Ichn. tarsoleucus Schrank Austr. n. 725; copiosus Viennae in Pratter circa arbores vagatur; nec tamen, etsi mares numerosos, feminam ullam vidi. Aestate, sub canalicula comparet.

„ Villers p. 181, n. 139; in Gallia australi; mares numerosi in his regionibus; sed nullam feminam vidi.

Ichn. leucopus Gmel. ed. Linn. p. 2700, n. 281.

Synonyma maris et feminae:

Ichn. compunctator Panzer ad Kob tab. II, fig. 20 (mas), fig. 3 (fem.); larva degit in larva Phalaenae Noctuae piniperdae. Icon maris 7 lineas, feminae 9 lineas longa est (haud *Ichn. compunctator* auctor: de quo conferas notam ad *Pimplam instigatorem*).

Nota:

Olivier *Ichn. tarsoleucum* Schrankii cum *Ichn. atratore* Fabr. conjunxit, qui autem, pedibus nigris, posticis ante apicem albis, satis differt. — *Ichn. atrator* Forsteri autem ab ambobus discedit, annulo albo antennarum, aculeo brevissimo.

20. C. INSIDIATOR. n.

Femoribus tibiisque anterioribus rufis, femorum posticorum apice tibiarumque posticarum basi rufis. m.

Statura et proportio partium maris insequentis; metathorace autem mutico et minus declivo differt.

Longitudo 4 linearum. *Caput* macula laterali faciei albida obsoleta, palpis rufis. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio piceis, radice testacea, squamula nigra puncto pallido; areola subquinqueangulari (in dextra ala subtriangulari). *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, femorum apice et summa basi rufis, tibiis rufis apice nigro. *Abdomen* segmento primo canaliculato secundoque margine summo rufescente; 7 puncto dorsali albo.

Maris individuum unicum *pedemontanum Bonelli* mecum communicavit.

Varietas:

1. *Femoribus rufis; mediis basi, posticis externe, nigris.* m. — *Statura* paulo crassior quam in mare genuino. *Caput* ore et orbitis oculorum facialibus albis. *Tarsi* postici articulis 2—4 albis. — Caetera genuino mari respondent.

Hanc varietatem *Besser* e *Volhynia* mihi transmisit.

Cryptus.

21. C. MOSCHATOR.

Tibiis anterioribus et femoribus fulvis. m. f. (*Mas* tarsorum posticorum articulis 2—4 albis).

Longitudo 3—4½ linearum. *Caput* palpis fuscis, interdum orbitis oculorum internis albidis tenuissimis. *Antennae maris* porrectae, corpore breviores, apicem versus subsetaceae; *feminae* gracillimae, multo tenuiores quam mari, filiformes, curvatae. *Thorax* gibbus, metathorace tuberculis duobus acutis, distinctioribus aut obsoletioribus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris aut fuscopiceis, radice paulo pallidiore, squamula fusca, stigmate feminae interdum ferrugineo; areola quinqueangulari aut subtriangulari. *Pedes* graciles elongati; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, femoribus rufis, tibiis feminae interdum vel nigris basi rufa vel rufis apice nigro, tarsis maris articulis 2—4 albis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius; *maris* thorace angustius, interdum thorace dimidio angustius, linearifusiforme, segmentis 2—6 subaequilatis; segmento 1 sublineari, petiolo longiore et parum angustiore quam pars antica, hac latitudine longiore subcanaliculata; *feminae* thoracis latitudine aut eo paulo angustius, oblongoovatum; segmento 1 parte antica apicem versus sensim paulo dilatata, breviore et duplo aut plus duplo latiore quam petiolus. *Aculeus* abdo-

mine brevior aut fere ejus longitudine; terebra obscurocastanea.

Marem cepi, mense Majo, in horto prope *Gottingam*, feminam die 20 Iulii in flore Pastinacae, prope *Münden* in horto. — Praeterea mares quosdam, circa *Hannoveram*, *Vratislaviam* captos, feminasque nonnullas *pedemontanas* (orbitis albis faciei distinctioribus quam in germanica), accepi.

Varietas:

1. *Scutello albonotato.* m. — *Longitudo* 5 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis, et parte externarum, albidis aut flavis, tenuibus. *Scutellum* puncto apicali albo. — Caetera sicut in mare genuino.

Unum marem circa *Niesky*, alterum circa *Aboam* captum, accepi.

Synonyma maris:

Ichn. moschator Fabr. Mant. p. 266, n. 84 (excepta varietate antennis alboannulatis, facie alba, quae ad nostrum *Cr. macrobatum* n. 15 referri debet); habitat in *Dania*, moschum spirans. — Entom. p. 166, n. 134. — Piez. p. 67, n. 75.

„ Villers pag. 179, n. 135; Olivier pag. 188, n. 122, (exceptis individuis facie et antennarum annulo albis, quae ad nostrum *macrobatum* adhibui).

„ Trentep. Revis. pag. 24, n. 13. Isis 1826, p. 71.

Nota:

Fabricius in Mantissa Insectorum, l. c. sine dubio species duas genuinas (*macrobatum* nostrum et *moschatorem*) confuderat. Villers et Olivier, auctoritate ejus nixi, in eandem errorem collabebantur. In Entomologia systematica auctor, errorem antea commissum corrigens, varietatum facie et antennarum annulo albis nullam facit mentionem; haud indicat vero, quo eas transtulerit, et mere eas delevisse videtur.

Ichn. moschator Thunb. Ichn. n. 477 differt tibiis alboannulatis.

Cryptus.

22. C. RUFIPES. n.

Femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro. m.

Statura et proportio partium maris insequentis; segmento 1 vix paulo breviore; areola distinctius quinqueangulari, cellula interiore nervi dividentis nullo vestigio; tibiis posticis fere totis nigris.

Longitudo 3—5 linearum. *Caput* puncto rufo mandibularum. *Antennae* (apice mutilatae). *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice straminea, squamula nigra; areola quinqueangulari. *Pedes* fulvi; coxis et trochanteribus, nec non posticorum tarsis tibiisque, nigris, his basi

fulva. *Abdomen* segmento 2 interdum margine summo castaneo.

Mares quosdam, circa *Genuam* captos, *a Spinola* transmisit.

Cryptus.

23. C. SPIRALIS.

Femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro; cellula interiore vestigio nervi dividentis. m. f. (*Femina* antennarum annulo albo).

Longitudo maris 3—$4\frac{1}{2}$, feminae $3\frac{3}{4}$—$5\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* ore maris interdum stramineo; feminae orbitis oculorum internis, plerumque etiam externis, tenuissimis albidis. *Antennae* corpore breviores; *maris* subfiliformes porrectae; *feminae* filiformes, tenues graciliores quam mari, curvatae; articulis 7—11, aut plurimis eorum, superne albis, rarissime articulo 8 solo superne albo. *Thorax* gibbulus; metathorace spinulis duabus aut tuberculis acutis, feminae distinctioribus quam mari, armato; feminae etiam interdum puncto flavo infra alas. *Alae* mediocres, fumato-hyalinae; stigmate, radio, radice et squamula fuscis, stigmate rarius ferrugineo, radice interdum pallidiore; areola quinqueangulari subtriangulari, cellula interiore initio nervi dividentis. *Pedes* graciles rufi, coxis et trochanteribus nigris; medii tarsis plerumque fuscis; postici tarsis et tibiarum apice nigricantibus aut fuscis. *Abdomen* maris

thorace angustius, eo autem duplo longius, rarius subfusiforme, plerumque segmentis 2—6 aequilatis; segmento 1 petiolo lineari, longiore et paulo angustiore quam pars antica, hac vel subquadrata vel latitudine paulo longiore; segmentis 2 et 3 interdum fuscis aut margine summo castaneo; *feminae* capitis et thoracis longitudine, thorace paulo angustius, oblongoovatum aut ovatofusiforme; segmento 1 parte antica plus duplo latiore quam petiolus, subquadrata aut latitudine longiore. *Aculeus* fere abdominis longitudine.

Marem cepi mense Augusto in umbellatis, prope *Helmstadium;* feminam cepit *Richter,* mense Iunii, in gramine circa *Vratislaviam.* Praeterea mihi transmissi sunt mares circa *Norimbergam* et in *Regione Pedemontana* capti; ille major, segmentis 2 et 3 fuscis, hic minor segmentis 2 et 3 castaneomarginatis; feminae circa *Norimbergam, Sickershausen, Vindobonam,* nec non in *Iberia, Gallia* et in *Regione Pedemontana* captae, e quibus una, prope Sickershausen capta, puncto flavo infra alas, altera, eaque Iberiensis, antennarum articulo 8 solo supra albido, a reliquis differunt.

Varietas:

1. *Puncto minuto scutellari albido.* f. — *Longitudo* 5 linearum. *Thorax* puncto flavo infra alas. — Caetera ut in plurimis feminis genuinis.

Duo individua, in *Etruria* capta, a *Sanvitale* mecum communicavit.

Synonyma feminae:

Ichn. Geoffroi p. 339, n. 42 (auctor citat Ichn. Actor. Suec. 1736 I. L. p. 50 [126] n. 21, qui autem ventre subfalcato differre videtur).

Ichn. spiralis Fourcroy p. 407, n. 42.

„ Olivier p. 210, n. 20.

Nota:

Varietas *puncto albo scutellari* proxime accedit ad *Cr. viduatorii* feminam e sectione II; vixque haesitarem ambas species in unam conjungere, nisi mares, pictura alba capitis et coxarum *viduatorii*, semper differrent. Nihilominus tamen forsan varietates merae unius ejusdemque speciei esse possent, de quo tempus futurum sine dubio nos certiores faciet.

24. C. LUGUBRIS. n.

Areola quinqueangulari; femoribus tibiisque rufis; antennarum annulo albo. f.

Statura et proportio partium feminae antecedentis; sed antennis crassioribus, aculeo breviore.

Longitudo 4½ linearum. *Antennae* apice involutae, articulis 7—11 tribus lateribus albis. *Thorax* metathorace tuberculis duobus subacutiusculis. *Alae* subfumatohyalinae; stigmate radio radice et squamula fuscis; areola quinqueangulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris (tarso-

rum posticorum articulis 2—5 deficientibus). *Aculeus* longitudine trientis abdominis.

Feminam unicam *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

25. C. BRACHYCENTRUS. n.

Cellula cubitali intermedia minuta, pedibus rufis. m. f. (*Mas* facie, coxis trochanteribusque anterioribus, albis, coxis posticis fuscis; *femina* antennarum annulo albo).

Statura tota maris multo gracilior est quam feminae.

Longitudo 3—4 linearum. *Caput maris* ore facie genisque albis, mandibularum apice fusco; *feminae* palpis fuscis aut piceostramineis, labro stramineo. *Antennae* filiformes, *maris* porrectae, corpore dimidio paulo longiores, articulo 1 subtus albo; *feminae* graciles, corpore breviores, apice curvatae; articulis 8 et 9, interdum etiam 10, rarius quoque 7, tribus lateribus albis. *Thorax* cylindricus aut gibbulocylindricus. *Alae* hyalinae aut subhyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula exalbis; areola parva quinqueangulari aut subquadrangulari, feminae interdum nervo exteriore suboblitterato. *Pedes* graciles, elongati; *maris* testaceorufi; anteriores coxis et trochanteribus albis; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo, tarsis et tibiis fuscis, his subtus subtestaceis; *feminae* rufi

antici coxis et trochanteribus plerumque fuscescentibus aut fuscomaculatis, postici tibiis et tarsis supra fuscis aut fuscoferrugineis. *Abdomen* subpetiolatum; *maris* capite thoraceque paulo longius, thorace angustius, sublineare; segmentis 1 et 2 apicem versus sensim paulo dilatatis, 3—7 aequilatis; 8 accessorio exserto, distincto, conico; 1 latitudine triplo longiore, tuberculis lateralibus paulo ante medium sitis; *feminae* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, ovatofusiforme, dorso apicem versus deplanato; segmentis distinctis octo, 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine paululum longiore, multoque latiore quam in mare; 2—7 transversis, 4—6 brevissimis, vel omnibus vel eorum plurimis albomarginatis, 8 conico sicut in mare. *Aculeus* longitudine trientis abdominis, vel paulo longior, paulove brevior. Vaginae parti infernae segmenti 8 adfixae sunt et transeunt in rimam, a radice vaginarum usque ad segmentum 6 prolongatam. Segmenta 5 et 6 ventre exhibent valvulam prominentem, e qua terebra libera exseritur et sub ventrem reflecti potest. Situ quieto terebra porrecta a rima ventrali segmentorum 7 et 8 excipitur planeque absconditur, apice autem vaginis amplectitur et cum illis ultra abdomen porrigitur.

Nonnulli mares et feminae, circa *Warmbrunn* et in *Volhynia* capti, mihi transmissi sunt; mares cepit *Besser* ligno vetusto insidentes; *Hartlieb* feminam cepit mense Septembri prope *Pless;* etiam e *Fennia* femina mecum communicata est.

Nota:

Haec species a reliquis cospeciebus hujus sectionis, areola minore, aculeo breviore, praecipue autem abdomine vix petiolato, discedit, et familiae octavae adpropinquat, a qua tantum areola quinqueangulari differt.

26. C. PARVULUS. n.

Cellula cubitali intermedia quadrata, pedibus rufis. m. f. (*Mas* femoribus tibiisque posticis apice nigris, tarsis posticis fuscis pallideannulatis; *femina* antennarum annulo albo).

Mas corpore toto pedibusque gracilioribus est quam femina. Haec a *Cr. anatorio*, n. 27, differt statura paulo breviore et crassiore, terebra breviore, areola quadrata.

Longitudo maris 3, feminae 2½—3 linearum. *Caput* feminae interdum orbitis oculorum frontalibus albis. *Antennae* maris porrectae, corpore breviores; feminae apice curvatae, articulis 1—7 fuscis aut nigris, subtus interdum ferrugineis, 8—11 albis subtus fuscis, reliquis nigris aut fuscis. *Alae* fumatohyalinae aut subhyalinae, stigmate radio et squamula nigris aut fuscis, radice maris picea feminae exalbida; areola quadrangulari. *Pedes* rufi; antici coxis feminae interdum fuscescentibus; postici maris apice femorum et tibiarum nigro, tarsis nigris, articulis 2—5 basi albidis. *Abdomen maris* capite thoraceque paulo

longius, thorace vix paululum angustius, depressiusculum; segmento 1 sublineari, parte antica latitudine longiore, breviore et paulo latiore quam petiolus; 2, interdum etiam 3, margine rufescente; 7 supra albo; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, subpetiolatum; segmento 1 apicem versus sensim valde dilatato, latitudine longiore, margine summo plerumque obsolete rufescente; 2 margine summo obsolete castaneo; 7 plerumque membrana albida dorsali. *Aculeus* abdomine paulo brevior aut fere ejus longitudine.

Mares et feminas *Manger* circa *Warmbrunn* legit.

Cryptus.

27. C. ANATORIUS. n.

Areola quinqueangulari; pedibus rufis, coxis anticis nigris; annulo antennarum albo. f.

Haec species medium tenet inter antecedentem et insequentem.

Longitudo 3—4 linearum. *Antennae* filiformes, corpore dimidio paulo longiores, apice involutae; articulis 8—12 aut 9—12 niveis, sequentibus interdum subtus ferrugineis. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate fusco, radio piceo, radice picea aut straminea, squamula nigra, areola quinqueangulari aut subquinqueangulari. *Pedes* mediocres rufi; antici coxis et trochanteribus nigris, inter-

dum subtus rufis aut ferrugineis; medii coxis vel totis rufis, vel nigris subtus badiis; postici plerumque tarsis et tibiarum apice nigricantibus, femoribus plerumque geniculo subfuscescente; trochanteribus posterioribus interdum nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, ventre compressiusculo, petiolatum; segmento 1 subcanaliculato, parte antica subquadrata, apicem versus sensim dilatata, breviore et latiore quam petiolus; 7 macula membranacea alba seu obsoleteferruginea; 5 plerumque ventre valvula prominente. *Aculeus* abdominis longitudine, niger, terebra castanea.

Feminam circa *Sickershausen* captam *Nees ab Esenbeck* sub nomine *Ichneumonis anatorii* novi mecum communicavit. Plures feminas, circa *Norimbergam*, *Trajectum ad Moenum*, *Hannoveram*, *Warmbrunn* et, mense Septembri, circa *Pless* captas, accepi.

Varietates:

1. *Femoribus anticis externe nigricantibus.* f. — Caetera cum plurimis feminis genuinis congruunt.

Unum individuum *Manger* prope *Warmbrunn* cepit.

2. *Tibiis posticis totis fuscis.* f. — *Statura* speciei sequentis; aculeo longitudine intermedia inter aculeos speciei genuinae et speciei sequentis; cellula cubitali intermedia quinqueangulari et

coxis anticis obscuris sicut in specie genuina. Medium tenet inter ambas species. — *Longitudo* 4 1/4 — 4 1/2 linearum. *Pedes* coxis anticis vel totis nigris vel fuscis macula rufa, mediis rufis aut fuscescentibus; trochanteribus anterioribus nigris aut fuscis; tibiis tarsisque posticis fuscis. *Aculeus* abdomine longior. — Caetera feminis genuinis plurimis respondent.

Individua duo, circa *Warmbrunn* et *Gottingam* capta, mihi transmissa sunt.

28. C. FURCATOR. n.

Areola quadrangulari; pedibus rufis, posticorum tarsis tibiisque fuscis; antennis alboannulatis. f.

Statura et proportio partium speciei antecedentis; sed areola quadrangulari, terebra longiore, petiolo breviore et crassiore, differt.

Longitudo 4 — 4 2/3 linearum. *Antennae* articulis 9 — 12 tribus lateribus albis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice testacea aut exalbida, squamula vel nigra puncto exalbido vel tota exalbida; areola quadrangulari. *Pedes* rufi, postici tarsis et tibiis fuscis, his interne rufis aut ferrugineis. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius, thoracis latitudine; segmento 1 profunde canaliculato, subpetiolato, petiolo apicem versus sensim dilatato, paulo longiore quam

pars antica, hac subquadrata. *Aculeus* corporis longitudine.

Feminas quasdam, circa *Vratislaviam* et *Warmbrunn* captas, accepi.

Varietates:

1. *Tibiis posticis rufis apice fusco.* f. — Medium tenet inter *furcatorem* genuinum et *anatorium*. *Statura* et aculei longitudo conveniunt cum hoc, cellula cubitalis intermedia exacte quadrangularis et coxae omnes rufae cum illo. — *Longitudo* 4 linearum. *Antennae* articulis 9—11 albis. *Thorax* puncto rufo obsoleto infra alas. *Alae* stigmate et radio nigris, radice et squamula albis. *Pedes* rufi, postici tarsis et tibiarum apice fuscis. *Aculeus* longitudine abdominis.

Unicum individuum *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

2. *Cellula cubitali intermedia quinqueangulari.* f. — *Longitudo* $4\frac{1}{4}$ linearum. *Antennae* articulo 1 subtus badio, 8—12 albis. *Abdomen* segmento 1 apice obscure castaneo, 7 supra flavo-albo. *Aculeus* fere corporis longitudine.

Hanc feminam vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg* sub nomine *Ichn. furcatoris* novi.

29. C. GRISESCENS. n.

Griseosericeus; femoribus tibiisque rufis; tarsis posticis fuscis, articulis 3 et 4 subalbis; annulo antennarum albo. m.

Longitudo 3 $^2/_3$ — 5 linearum. *Antennae* corporis longitudine seu breviores, porrectae, apice setaceae recurvae; articulis 15 — 16 — 17, vel 13 — 17 tribus lateribus albis. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres subamplae, hyalinae seu subfumatohyalinae, stigmate nigro, radio fusco, radice testacea, squamula nigra, areola subquadrangulari aut quinqueangulari. *Pedes* graciles rufi, coxis et trochanteribus, interdum etiam geniculis posticis, nigris; postici tarsis et tibiarum apice nigricantibus, articulis 3 et 4 tarsorum interdum albis. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius et angustius; segmento 1 distinctius aut obsoletius canaliculato, sublineari, parte antica paululum latiore et breviore quam petiolus, latitudine duplo longiore; 2—5 sensim latioribus; 2 et 3 rarius margine summo castaneo, 3 rarissime lateribus rufis.

Individua plura, circa *Gottingam*, *Vindobonam* et *Genuam* capta, mecum communicata sunt; gottingensia a reliquis differunt tarsis posticis totis nigris.

Nota:

Haec species, cum duabus proxime sequentibus, a reliquis hujus sectionis speciebus, metathorace multo minus declivi, se distinguit.

Cryptus.

30. C. BIVINCTUS. n.

Subsericans; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris; tarsis albidis, posticorum articulo primo nigro; palpis, orbitis facialibus, annulo antennarum, albis. m.

Statura et proportio partium omnino antecedentis.

Longitudo 2¾—4½ linearum. *Caput* orbitis oculorum facialibus, labro, palpisque, stramineoalbis seu sordidis; mandibulis stramineorufis apice nigro. *Antennae* articulis 12—18, vel plurimis eorum, tribus lateribus sordidealbidis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis aut nigris, radice flavescente; areola subquadrangulari aut subquinqueangulari. *Pedes* rufi, tibiis tarsisque anterioribus paulo pallidioribus; trochanteribus basi coxisque nigris; postici insuper geniculis et tibiis a medio ad apicem usque nigris, tarsis albis articulo 1 et apice quinti nigris. *Abdomen* margine summo segmenti 2, interdum etiam segmenti 1, subcastaneo.

Quaedam individua cepi mense Majo circa *Gottingam;* alia quaedam, circa *Vratislaviam* et *Fürstenau* capta, mecum communicata sunt.

Nota:

Conferas notam ad speciem antecedentem.

31. C. STOMATICUS. n.

Femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro; ore et orbitis oculorum internis albis. m.

Longitudo 3¼—4 linearum. *Caput* ore stramineo, mandibularum basi et apice, ut plurimum etiam puncto seu macula clypei, nigris; orbitis oculorum facialibus latis stramineis aut pallideflavis. *Antennae* porrectae, corpore dimidio longiores, articulo 1 subtus albido. *Thorax* gibbulus seu gibbulocylindricus, colli margine supero plerumque albido. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula pallidestramineis; areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles, rufi; coxis nigris, anticis subtus albidis; trochanteribus nigris, anterioribus subtus albis, posticis interdum subtus rufis; tibiis posticis apice, tarsisque posticis totis, nigricantibus aut nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine vel paululum longius, thorace angustius; segmentis 2—6 aequilatis; 1 plerumque canaliculato, parte antica paulo breviore pauloque latiore quam petiolus, latitudine longiore; interdum margine summo segmentorum 1—3 rufescente, 4—6 glauco, 7 apice membranaceo-albo.

Duos mares circa *Niesky*, unum circa *Norimbergam*, captos, accepi; norimbergensis segmentorum marginibus coloratis distinctus est.

Nota:

Conferas notam ad *Crypt. grisescentem*, n. 29.

32. C. LEUCOPSIS. n.

Femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro; trochanteribus et coxis anterioribus albis, posticis nigris; facie alba. m.

Statura et proportio partium speciei praecedentis; interdum abdomine breviore et latiore, cellula cubitali intermedia subquadrangulari.

Longitudo 3 — fere 4 linearum. *Caput* facie ore et macula genarum albis. *Antennae* articulo 1 subtus plerumque albo. *Thorax* puncto albo ante alas. *Alae* subhyalinae aut subfumatohyalinae, irideae, stigmate et radio nigris, radice et squamula albis; areola quinqueangulari, interdum subquadrangulari. *Pedes* rufi; anteriores coxis vel albis basi nigra vel nigris subtus albis, trochanteribus albis, femoribus interdum geniculis flavicantibus; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo aut albido, femoribus interdum apice nigricante, tibiarum apice tarsisque nigris. *Abdomen* plerumque capite thoraceque paulo longius, thorace angustius, segmentis 2—6 aequilatis; interdum autem contractum, capitis thoracis-

que longitudine et latitudine, segmentis 2—5 sensim dilatatis; interdum segmento 2, vel segmentis 1 et 2, margine summo rufescente, 7 margine summo albido.

Marem unum cepi die 3 Septembris prope *Woelfelsgrund*, eumque maximum, geniculis femorum anteriorum flavicantibus posticorum nigris; alterum cepit *Nees ab Esenbeck*, die 1 Maji, prope *Sickershausen*, in Pruno Pado in sylva, eumque minimum, areola subquadrangulari, abdomine contracto, trochanteribus posticis apice albo; tertium *Pedemontanum Bonelli* mecum communicavit, eumque antennis totis nigris.

33. C. BILINEATUS. n.

Femoribus tibiisque rufis, posticis summo apice nigris; orbitis internis oculorum albis. m.

Statura et proportio partium *Cr. stomatici*, n. 31, antennis autem paulo longioribus, areola subquinqueangulari.

Longitudo 2¾ linearum. *Caput* orbitis oculorum facialibus albis. *Antennae* porrectae, corpore paulo breviores. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate radio radice et squamula piceis; areola subquinqueangulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tarsis et apice summo femorum et tibiarum nigricantibus. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et paulo angu-

stius; segmentis 2—6 sensim paulo dilatatis, 2 et 3 basi badiis, 7 puncto apicali albo.

Unicum marem *Manger* cepit prope *Warmbrunn.*

34. C. ERYTHROPUS. n.

Areola quadrangulari; femoribus tibiisque rufis. m.

Statura et proportio partium *Cr. stomatici,* n. 31; sed areola majore et exacte quadrangulari. *Longitudo* 3—4 linearum. *Caput* macula mandibularum et puncto minuto laterali clypei albis. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis aut nigris, radice alba, squamula fusca aut nigra (individui alterius etrusci areola dextra est quinqueangularis, sinistra quadrangularis). *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et paulo angustius, fusiforme, segmentis 1 et 2 interdum summo margine subcastaneo.

Individua duo circa *Florentiam*, unum circa *Warmbrunn*, capta mihi transmissa sunt; etrusca majora sunt.

Nota:

Hic Cryptus, si areola quinqueangularis esset, pro mare *Crypti lugubris*, n. 24, haberi posset.

35. C. UNICINCTUS. n.

Tibiis anterioribus testaceis, posticis basi alba; segmento 2 margine rufo; antennis subalbo-annulatis. m.

Statura gracilis. — *Longitudo* $2\frac{2}{3}$ linearum. *Antennae porrectae*, corpore dimidio longiores (apice mutilatae), articulis 14 et 15 albis, subtus ferrugineis. *Thorax* subcylindricus. *Alae* sub-hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice alba, squamula nigra; areola quinqueangulari. *Pedes* graciles longi nigri; femoribus anterioribus apice testaceis; tibiis anticis testaceis, mediis fuscis basi exalbida, interne testaceis, posticis fuscis basi albida; tarsis anticis fuscescentibus, mediis fuscis, posticis nigris articulo 1 basi alba. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, linearifusiforme, nitidulum; segmento 1 sublineari, parte antica paulo latiore et breviore quam petiolus, latitudine longiore; 2 margine rufo; 3 summo margine subrufescente.

Marem unicum *pedemontanum Bonelli* transmisit.

Cryptus (s. a.)

36. C. SEXANNULATUS. n.

Macula magna alarum fusca; antennis, nec non tibiis tarsisque posticis, alboannulatis. f.

Longitudo $4—4\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* vestigio orbitarum internarum et externarum albidarum.

Antennae gracillimae, corpore paulo breviores, apice curvatae, articulis 8—11 albis, subtus fuscis. *Thorax* gibbus, metathorace tuberculis duobus acutis. *Alae* hyalinae, fascia lata fusca sub stigmate fusco, radio radice et squamula fuscis; areola subtriangulari. *Pedes* graciles longi nigri; antici tibiis interne et geniculo testaceis; postici annulo ante basin tibiarum et articulis 2—4 tarsorum albis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum; segmento 1 parte antica longitudine latitudinis, apicem versus sensim latiore, duplo latiore et fere dimidio breviore quam petiolus linearis; 4—6 ventre in processum antriformem, magis minusve prominentem, prout terebra sita et directa est, productis; 7 membrana albida marginato. *Aculeus* abdomine dimidio paulo longior.

Feminam unam *Ehrenhaus* circa *Grunwitz* cepit; alteram, eamque minorem, *pedemontanam* *Bonellio* debeo.

37. C. QUADRIANNULATUS. n.

Margine summo segmentorum 2 et 3, linea ante alas, annulo antennarum et tarsorum posticorum, albis. f.

Statura et proportio partium omnino antecedentis; terebra attamen paulo breviore, segmento primo angustiore.

Longitudo paululum ultra 3 lineas. *Antennae* articulis 8—12 tribus lateribus albis. *Thorax*

linea alba ante alas. *Scutellum* punctis duobus obsoletis subtestaceis ad basin, *Alae* fumatohyalinae, stigmate piceofusco, radio et squamula nigris, radice pallidetestacea; areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores tarsis, tibiis interne, femorumque anticorum apice, ferrugineis; postici tarsorum articulis 2—4 exalbidis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine ovatofusiforme; segmento 1 sublineari, parte antica breviore et paulo latiore quam petiolus, latitudine longiore; 2 et 3 margine summo albo. *Aculeus* abdomine dimidio vix paululum brevior.

Unicam cepi feminam, sub fine mensis Septembris, prope *Trajectum ad Viadrum,* in loco aprico herbaceo dumetoso.

Nota:

An femina *Crypti unicincti,* n. 35?

38. C. ATERRIMUS. n.

Tibiis anticis testaceis; antennarum annulo albo. f.

Statura et proportio partium *Cr. sexannulati,* n. 36; sed areola quadrangulari, metathorace mutico.

Longitudo 5 linearum. *Antennae* articulis 7—11 tribus lateribus albis. *Thorax* vestigio tuberculorum duorum acutorum metathoracis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice ferruginea, areola quadrangu-

lari. *Pedes* antici geniculis testaceis, tibiis testaceis externe fuscescentibus, tarsis fuscoferrugineis, articulorum apicibus testaceis; medii geniculis summis testaceis, tibiis fuscoferrugineis, tarsis ut in anticis. *Abdomen* segmento 6 puncto marginali albo, 7 dorso toto albo. (*Aculeus* omnino deest; sed e habitu corporis, et imprimis e forma tota apicis abdominis et rimae ventralis, in reliquis speciebus ad recipiendam terebram comparatae, patet, hoc individuum feminam esse mutilatam, statu integro aculeo exserto instructam, quemadmodum feminae reliquae hujus familiae).

Individuum unicum *pedemontanum* Bonelli mecum communicavit.

Nota:

An femina *Crypti bicingulati*, n. 44?

Phygadeuon

39. C. FORTIPES. n.

Capite suborbiculato, pedibus crassiusculis rufis; antennis perbrevibus, annulo albo. f.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* suborbiculatum, subbuccatum; vertice subquadrato, collum versus haud angustiore; palpis testaceis, mandibulis rufis macula nigra. *Antennae* corpore dimidio breviores, apice curvatae, versus medium sensim paulo crassiores; articulo 1 fusco, 2—5 fuscoferrugineis, 6—11 albis, subtus fuscoferrugineis, sequentibus fuscis subtus ferrugineis. *Thorax*

gibbulocylindricus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice testacea; areola quinqueangulari subtriangulari. *Pedes* crassiusculi rufi. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius et angustius, fusconigrum; segmento 1 parte antica subquadrata, petiolo apicem versus sensim dilatato, longiore quam pars antica, macula marginali ferruginea; 2 quadrato, macula marginali alteraque basali ferrugineis; 3 et 4 transversis, aequilatis; reliquis membrana marginali albida. *Aculeus* vix abdomine paulo brevior, niger, terebra rufa.

Unicam feminam *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Nota:

Haec species, capite crassiore subgloboso, antennis pedibusque crassioribus et brevioribus, a reliquis hujus familiae speciebus facillime discernitur, ratione pedum et antennarum propius accedens ad familiam tertiam, aculeo longiore autem huic familiae secundae respondens.

SECTIO II.

Scutello pallido, abdomine nigro.

Scutellum vel totum vel solo apice album est. *Abdomen* interdum apice albonotatum est (*Crypt. quadriguttato*); interdum segmenta intermedia castaneomarginata sunt, e. g. *Crypt. bicingulato*, quem antea in sectionem tertiam redegeram; *Cr. viduatorii* varietas, segmento 2 nigrocastaneo, sectioni quartae adpropinquat.

E *sectione* 1 varietates *Cr. moschatoris*, *quadriannulati*, et feminae *spiralis*, scutello albonotato, huc spectant.

Cryptus (s. a.)

40. C. VIDUATORIUS.

Femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro. m. f. (*Mas* facie et coxis anterioribus albomaculatis; *fem.* annulo albo antennarum).

Longitudo maris 3⅕—4¼, feminae 2⅔—5 linearum. *Caput maris* orbitis oculorum internis, macula faciali, alteraque clypei, palpis et mandibulis, flavis, his apice fuscis; *feminae* rarius totum nigrum, plerumque orbitis internis et externis oculorum tenuibus flavescentibus, labro rufescente aut subtestaceo, palpis fuscis. *Antennae maris* corpore paulo breviores porrectae subsetaceae, articulo 1 subtus albido; *feminae* graciliores filiformes, corpore dimidio longiores, apice incurvae, articulis 6—9—10, interdum etiam 11, albis, subtus fuscis, rarius 3—6 piceofuscis, rarissime solis 7 et 8 puncto albo. *Thorax* gibbus seu gibbocylindricus, feminae gibbior; plerumque puncto albido sub alis, rarius etiam lineola alba ante alas; metathorace ut plurimum tuberculis duobus subacutis. *Scutellum* macula albidoflava. *Alae* mediocres, maris hyalinae, feminae fumatohyalinae; stigmate et radio fuscis aut piceis, radice picea, squamula vel tota alba vel macula nigra; areola quinqueangulari vel subtriangulari. *Pedes* graciles, feminae paulo crassiores, rufi; coxis et trochanteribus nigris, mari autem anterioribus subtus macula alba, mediis rarius totis nigris; postici tar-

sis et tibiarum apice nigricantibus, illis mari articulis 3 et 4 ut plurimum fuscoferrugineis, rarius pallidioribus aut albidis, rarissime 2—4 diluterufis. *Abdomen maris* thorace fere duplo longius, seu capitis thoracisque longitudine, thorace dimidio angustius; segmento 1 laevi sublineari, parte antica breviore et paulo latiore quam petiolus, latitudine duplo longiore, tuberculis lateralibus interdum acute prominentibus; 2—5 aequilatis cylindricis; 3—6 ventre compressis aut subcompressis; *feminae* capitis thoracisque latitudine et longitudine, vel paulo longius, oblongoovatum; segmento 1 laevi, petiolo apicem versus sensim dilatato, parte antica subquadrata, apicem versus sensim paulo dilatata, breviore at duplo latiore quam petiolus; 2 interdum castaneonigro aut summo margine castaneo. *Aculeus* abdomine paulo brevior, terebra rufa aut castanea.

Mares feminis rariores sunt. Sexus ambo, circa *Warmbrunn*, nec non in *Austria*, *Etruria* et *Tauria* capti, mihi transmissi sunt. Marem cepi, mense Majo, in umbellatis prope *Gottingam*; plures feminas autem mense Iunio in fruticetis circa *Barterodam*, mense Augusto in umbellatis circa *Cudowam*; praetereaque multae, passim in *Silesia*, nec non circa *Halam Saxonum*, *Niesky*, *Sickershausen*, *Genuam*, in *Regione Pedemontana* et in *Volhynia* captae, mecum communicatae sunt. — Maris individua etrusca et taurica a germanis differunt linea alba ante alas; taurica praeterea ab omnibus, articulis 2—4 tarsorum

posticorum diluterufis. Feminarum individuum maximum, e Volhynia, antennis fere totis nigris, solis articulis 7 et 8 puncto albo, se distinguit; minimum autem, circa Barterodam captum, puncto albo infra alas caret.

Synonyma feminae:

Cryptus viduatorius Fabr. Piez. p. 70, n. 2; habitat in Moravia.

Ichn. viduatorius Thunb. Ichn. n. 82.

Nota:

Conferas notam ad *Cr. spiralem*, n. 23.

41. C. BIGUTTATUS. n.

Femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro; facie, punctis duobus scutelli duobusque ad radicem alarum, albis; coxis anterioribus flavis. m.

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore facie et orbitis oculorum frontalibus flavis. *Antennae* porrectae filiformes, corpore breviores, subtus fulvae articulis 1 et 2 albis. *Thorax* gibbus; colli margine supero, linea ante alas, punctoque infra alas, albidis. *Scutellum* puncto laterali albo. *Alae* subhyalinae irideae, radio et stigmate fuscis, radice et squamula exalbidis, areola subquinqueangulari, fere subtriangulari. *Pedes* graciles, rufi; anteriores coxis et trochanteribus pallide flavis; postici coxis trochanteribus tarsis et tibiarum apice nigris.

Abdomen gracile, capite thoraceque longius et angustius, nitidulum subsericeum; segmento 1 laevi, nitido, parte antica breviore at fere duplo latiore quam petiolus, latitudine longiore, tuberculis lateralibus acutiusculis; 2—6 aequilatis; 1—4 margine summo rufescente.

Marem unicum *pedemontanum Bonellio* debeo.

42. C. QUADRIGUTTATUS. n.

Femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro; puncto anali et antennarum annulo albis. f.

Statura et proportio partium omnino feminae *Cr. viduatorii*, n. 40; sed cellula cubitali intermedia quadrata.

Longitudo fere 4 linearum. *Antennae* articulis 4 et 5 subtus ferrugineis, 11 et 12 supra albis. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice picea, squamula nivea; areola quadrata. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis fuscescentibus; postici nigri, femoribus et tibiarum basi rufis. *Abdomen* segmento 7 macula flavoalbida. *Aculeus* longitudine abdominis, terebra rufescente.

Feminam unicam, circa *Niesky* captam, *Roentgen* mihi dono dedit.

Phygadeuon

43. C. CINCTORIUS.

Metathorace bispino, antennis subclavatis, ano albo, pedibus rufis. f.

A reliquis hujus sectionis feminis haec differt terebra et antennis brevioribus, hisque regidioribus.

Corpus totum tenuiter griseosericeum. *Longitudo* 3—$3\,{}^{2}/_{3}$ linearum. *Caput* palpis rufis. *Antennae* porrectae, corpore dimidio paululum longiores, apicem versus sensim paulo incrassatae; subtus articulis 3—10 interdum ferrugineis aut rufescentibus, sensim obscurioribus, reliquis nigris. *Thorax* gibbulocylindricus, metathorace bispino. *Scutellum* totum album. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio radice fuscis aut piceis, squamula nigra aut fusca; areola quadrata majore. *Pedes* rufi graciles, tarsis posterioribus fuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, sericeum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, parte antica breviore at duplo latiore quam petiolus, latitudine longitudinis; 2 interdum margine castaneo; 7 albo. *Aculeus* abdomine dimidio vel paululum brevior vel paululum longior; terebra compressa rufa, apice tenuiore.

Quaedam individua in museo *Klugii Berolini* vidi; duo, circa *Warmbrunn* et *Vratislaviam* capta, mecum communicata sunt; unum, idque

maximum, antennis totis nigris, ipse cepi, mense Augusto, in umbellatis prope *Cudowam;* unumque e *Fennia* accepi.

Synonyma:

Ichn. cinctorius Fabr. Syst. p. 332, n. 31; habitat in Anglia. — Ent. p. 149, n. 66.
„ Villers p. 151, n. 49.
„ Gmelin ed. Linn. p. 2683, n. 105.
„ Christ pag. 341 (verbis Fabricii: *antennae basi subpiceae,* prave verbis: das Grundgelenk ist unten gelb, in linguam germanicam translatis).
„ Latreille Crust. XIII. p. 182, n. 14.
„ Olivier p. 176, n. 59.
„ Walckenaer p. 55, n. 33.
„ Thunb. Ichn. n. 533.
Ichn. Geoffroy p. 346, n. 56; reperi hunc Ichneumonem copiosissime, versus finem aetatis, in culmis Scirpi; forsan ova deponit in corpus cujusdam insecti aquatici.
Ichn. Scirpi Fourcroy p. 413, n. 57.
„ Villers p. 156, n. 60.
Cryptus cinctorius Fabr. Piez. p. 78, n. 33.

44. C. BICINGULATUS. n.

Tibiis anterioribus testaceis; ano et tarsorum posticorum annulo albis; segmentis 2 et 3 castaneomarginatis. m.

Statura angusta gracilis. — *Longitudo* fere 4—5½ linearum. *Caput* palpis albidis; clypeo vel toto vel punctulo albo. *Antennae* porrectae filiformes graciles, corpore paulo breviores. *Thorax* cylindricus. *Scutellum* apice summo punctulo, aut lineola transversali, albo. *Alae* mediocres, subhyalinae, irideae; stigmate et radio piceis, radice straminea, squamula vel tota alba vel nigra puncto albo; areola vel quadrangulari vel quinqueangulari. *Pedes* graciles elongati, colore variabili: 1) coxis nigris; trochanteribus anterioribus albis puncto nigro, posticis nigris apice rufo; femoribus anterioribus testaceoferrugineis, basi et lineis duabus longitudinalibus nigris, posticis nigris; tibiis stramineis, posticis fuscis basi summa ferruginea; tarsis fuscotestaceis, posticis nigris articulis 3 et 4 albis: 2) nigri; femoribus anterioribus apicem versus stramineis; tibiis anterioribus testaceis, externe fuscis; tarsis anterioribus testaceofuscis, posticis nigris, articulis 2—4, nec non apice primi, albis. *Abdomen* capite thoraceque longius et fere dimidio angustius; segmento 1 sublineari, parte antica paulo breviore et paululum latiore quam petiolus, latitudine fere duplo longiore; 2—6 cylindricis aequilatis seu sensim per-

parum latioribus; 1—3 margine summo castaneo, 7 macula alba terminato.

Unum individuum *genuense a Spinola* transmisit, alterum, in *Regione Pedemontana* captum, *Bonelli;* hoc majus, clypeo toto albo, squamula alarum nigra puncto albo, areola quadrangulari, pedibus varietatis 2.

SECTIO III.

Scutello pallido, abdomine pallidocingulato.

Scutellum vel totum est pallidum vel solo apice. — *Abdomen* flavo-aut albido-cingulatum est (nunquam autem segmentum quodpiam totum rufescit, quo haec sectio a quarta differt.)

E *sectione 2, Cr. bicingulatus,* segmentis intermediis castaneomarginatis, antea in hac tertia sectione militabat.

Linoceras Tsch.

45. C. SEDUCTORIUS.

Facie, segmentorum 1 et 2 marginibus, ſemoribus, tibiisque flavis, harum posticis apice obscurioribus aut nigris; antennarum annulo testaceoalbo. m. f. (*Fem.* ano flavo).

Longitudo maris 5—7, feminae 6—8 linearum. *Caput* facie et orbitis oculorum internis et externis fulvis; ore maris fulvo, feminae nigro, puncto clypei medio flavo. *Antennae* filiformes, apice subcurvatae setaceae, corpore paulo breviores, ferrugineae, subtus dilutiores; articulis 11—17, vel plurimis eorum, totis fulvis; 1 subtus flavo; 1—3 plerumque superne nigris. *Thorax* gibbus, interdum punctis duobus ante collum flavis aut rufis; feminae plerumque lineola transversa infra scutellum, interdum etiam linea transversa arcuata, seu punctis duobus, metathoracis, supra petiolum abdominis, fulvis. *Scutellum* fulvum. *Alae* fulvescentihyalinae, apice fumatohyalino; stigmate et radio fulvis, radice fulva aut flava, squamula flava; areola quinqueangulari seu subquadrata. *Pedes* elongati graciles flavi; coxis et trochanteribus nigris, trochanteribus anticis subtus, rarius etiam superne et totis, flavis; femorum posticorum apice, ad medium usque, mari nigro feminae rufo, femoribus anterioribus interdum superne rufescentibus; tibiis posticis apice ſusco aut nigro. *Abdomen maris* multo gracilius quam feminae, thorace

duplo fere longius, eoque dimidio angustius, linearifusiforme; segmento 1 longo gracili lineari, parte antica latitudine fere triplo longiore, breviore quam petiolus, sequentibus ventre plerumque compressis, 1 et 2 margine luteotestaceo; *feminae* capite thoraceque longius et parum angustius, oblongoovatum, apicem versus subcompressum; segmento 1 sicut in mare, parte antica paululum latiore; 5 et 6 ventre prominentibus apertis, pro exsertione terebrae; 1 et 2 apice flavo aut pallidefulvo; 5 vel toto aut margine nigro, vel toto flavo aut pallidefulvo, vel punctis quibusdam flavis; sequentibus totis flavis aut pallidefulvis. *Aculeus* longitudine abdominis, haud computato segmento primo; terebra badia, apice subserrata.

Mares et feminae, in *Etruria*, *Genua* et *Regione Pedemontana* capti, mihi transmissi sunt. Feminas *Neapolitanas* vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg*. Marem (an circa *Sickershausen* captum?) *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit.

Varietas feminae:

Segmento 1 toto nigro. — *Caput* facie nigra, macula centrali et orbitis oculorum flavis; clypeo toto nigro. *Thorax* totus niger. *Scutellum* puncto flavo. *Femora* rufa, postica apice nigro basi flava. *Abdomen* nigrum; segmento 2 summo margine, 7 toto, rufis. — Caetera feminae genuinae respondent.

Unicum individuum *a Steven* e *Tauria* transmisit.

Synonyma feminae:

Ichn. seductorius Fabr. Ent. p. 139, n. 28; habitat in Gallia.
„ Coquebert Ic. I. p. 17, tab. 4, fig. 1 (aculeo nimis brevi).
„ Walckenaer p. 51, n. 12.
Bassus seductorius Fabr. Piez. p. 94, n. 4.
Ichn. seductor Scopoli Delic. pag. 58, n. 2; tab. XXIII, fig. B.
„ Rossi n. 770; habitat in sylvestribus rarius.
„ Gmelin ed. Lin. p. 2678, n. 221.

Synonyma maris:

Sphex Scopoli Delic. pag. 58, n. 3, tab. XXIII, fig. C.

Nota:

1. *Oris partes* Fabricius in Systemate Piezatorum pag. 94, his verbis descripsit:

Os palpis maxillisque absque lingua. *Clypeus* transversus rotundatus ciliatus. *Palpi* quatuor porrecti inaequales filiformes: *anteriores* longiores, sexarticulati, articulis aequalibus subcylindricis, adhaerentes maxillae dorso; *posteriores* breviores, quadriarticulati; articulis subaequalibus, adnati labii apice. *Mandibula* cornea incurva, apice subbifida. *Maxilla* compressa membranacea, labio longior, apice dilatata, oblique truncata, bifida.

Labium breve corneum cylindricum, apice parum membranaceum, rotundatum integrum. —

2. Scopoli et Rossi *terebram* descripserunt vaginis breviorem; in nostris autem speciminibus terebra longitudine vaginarum est.

3. Scopolio hujus speciei mares et feminae *prodibant e nido Sphegis spirificis*, quo inductus auctor suspicabatur, hunc Sphegem et Cryptum nostrum ad unam eandemque speciem redigendos, Sphegem nempe marem, Crypti nostri feminam hujus feminam esse, quibus a natura tertium individuum neutrum (mas nostri Crypti) consociatum sit, ut in apibus et formicis. — Patet autem, hujus Crypti larvas in larvis Sphegis spirificis degisse, deinde vero in nido Sphegis ipso mutationem in insectum declaratum subiisse.

4. Sphegem citatum Scopolii (marem nostri Crypti) Rossi ad *Ichn. circumflexum* adhibuit; sed hic Rossii *Ichn. circumflexus* nec ad nostrum Cryptum, nec ad *Ophionem circumflexum* Fabr. quadrat, potiusque cum nostro *Ichn. infractorio*, n. 140, quem conferre velis, conjungi debet.

Ichn. seductorius et *Ichn. seductor* (*Cryptus seductor* Fabr. ex America) Thunb. Ichn. n. 65 et 161, huc non spectant.

Limoceras Tsch.

46. C. MELANOLEUCUS. n.

Ore, antennarum annulo, macula metathoracis, segmentorum 1—3 margine, albis; femoribus tibiisque anterioribus testaceis. f.

Statura et proportio partium feminae praecedentis; sed thorace minus gibbo, areola exacte quadrata.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* ore, puncto faciali, orbitis oculorum superis, albis. *Antennae* porrectae, filiformes, graciles, corporis longitudine; articulis 8—12 tribus lateribus albis. *Thorax* gibbulocylindricus; puncto infra alas, altero sub scutello, metathoracis macula supra petiolum punctoque laterali supra coxas posticas, albis. *Scutellum* album. *Alae* subfumatohyalinae, radio et stigmate piceis, squamula et radice piceo-seu testaceo-flavis; areola quadrata. *Pedes* anteriores coxis et trochanteribus nigris, his apice testaceis, femoribus tibiisque testaceis basin versus obscurioribus, tarsis piceotestaceis; postici nigri, femoribus interdum apicem versus fuscescentibus, tibiis fuscis ante basin stramineis, tarsis fuscis articulo 1 medio albo. *Abdomen* segmento 1 basi et margine, 2 et 3 solo margine, albis, 6 et 7 membrana marginali alba. *Aculeus* abdomine paulo brevior, terebra fulva.

Feminae duae, circa *Genuam* et in *Tauria* captae, mecum communicatae sunt.

Varietas maris?

1. *Facie, picturis pedum, segmentorum omnium margine, albis.* — *Statura* et proportio partium sicut in mare speciei antecedentis; segmento 1 autem paulo breviore, areola regulari quinqueangulari. Ob hanc areolae formam dubius adhuc haereo, an hic mas feminae genuinae hujus speciei consociari possit.

Longitudo $3\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* ore facie et orbitis oculorum frontalibus et genalibus sordide albidis. *Antennae* articulo 1 subtus albido, 11—17 subtus subtestaceis. *Thorax* sutura ante alas, lineola infra alas alteraque infra scutellum, colli margine, metathoracis macula subcirculiformi supra petiolum, guttaque pone alas posticas, albis. *Scutellum* album. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula exalbidis; areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores albidi, latere supero femorum tibiarum et tarsorum fusco; postici nigri, tibiis basi alba, tarsorum articulis 2—4 totis, 5 basi, 1 apice, albis. *Abdomen* petiolo et segmentorum omnium margine albis.

Marem unicum *de Block* cepit circa *Dresdam.*

SECTIO IV.

Scutello pallide notato; abdomine rufo aut rufonigroque.

Scutellum rarius totum album est, plerumque puncto majore minoreve albo, *Cr. confectori* minutissimo, notatum, quo haec sectio transit ad quintam. *Abdomen* rarissime totum rufum est; semper fere petiolus, ut plurimum etiam apex, niger est; apice interdum albonotato, de quo autem idem monendum est quod jam ad sectionem 1 indicavi. Nonnumquam color rufus abdominis fusco contaminatus est, e. g. in *Cr. spectatore;* rarissime segmentum 1 apice album est, nempe *Cr. tibiatori.* — Varietas *Cr. congruentis*, metathoracis dorso rufo, transit ad sectionem 6.

E *sectione 2* varietas *Cr. viduatorii*, segmento 2 nigrocastaneo, e *sectione* 5 autem varietates *Cr. migratorii* et *Dianae*, scutello albo-aut rufonotato, huic sectioni adpropinquant.

47. C. ATTENTORIUS.

Abdomine nec non femoribus tibiisque anterioribus rufis; annulo antennarum albo. f.

Statura et proportio partium *Mesosteni ligatoris* e familia IV; sed aculeo longiore, areola quinqueangulari.

Longitudo 6 linearum. *Caput* palpis fuscoferrugineis. *Antennae* subfiliformes, corpore dimidio paulo longiores, apice involutae, articulis 8—12 supra albis. *Thorax* gibbus. *Scutellum* album. *Alae* subfumatohyalinae, apice obscuriores, stigmate testaceopiceo, radio et radice piceis, squamula fusca; areola quinqueangulari. *Pedes* subelongati; anteriores rufi, coxis et trochanteribus, interdum etiam femorum mediorum latere externo basin versus, nigris, tarsis mediis, interdum etiam anticis, fuscescentibus; postici nigri, femorum apice summo summaque basi ferrugineis, tibiis basin versus fuscoferrugineis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongoovatum, apice obtusum, rufum aut badium petiolo nigro; segmento 1 parte antica subcanaliculata subquadrata, longitudine petioli, eo autem duplo latiore. *Aculeus* fere abdominis longitudine, terebra rufa.

Feminas duas (*norimbergenses?*) *Sturm* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. attentorius Panzer ad Schaeff. Ic. tab. 175, fig. 7; habitat in sylvaticis; (antennis porrectis).

48. C. FEMORALIS. n.

Abdominis medio, tibiis anterioribus femoribusque, rufis; antennarum annulo albo. f.

A femina antecedente haec discrepat antennis pedibusque gracilioribus, areola majore quadrata.

Longitudo paulo ultra 6 lineas. *Antennae* graciles, corpore paulo breviores, apice curvatae; articulis 10—12 supra albis. *Thorax* gibbus, puncto albo infra alas. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et radice fuscis, squamula alba; areola magna quadrata. *Pedes* graciles elongati; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis et tibiarum mediarum latere altero subfuscescentibus; postici nigri, femoribus et tibiarum basi rufis. *Abdomen* capite thoraceque longius thoracis latitudine, oblongoovatum; segmento 1 laevi nitido nigro, apicem versus sensim dilatato, petiolo paulo latiore at parte antica paulo angustiore quam in specie antecedente; 2 et 3 castaneis; 4 castaneo apice nigro; sequentibus nigris, 7 macula exalbida dorsali. *Aculeus* abdomine dimidio longior, terebra rufa.

Unicam feminam *Pedemontanam Bonelli* transmisit.

Nota:

Si *Cryptus stenogaster* areolam haberet majorem quadratam, eum pro hujus feminae mare agnoscerem.

Cryptus.

49. C. ARROGANS. n.

Abdominis medio, nec non femoribus tibiisque anterioribus, et tibiarum posticarum basi, rufis; orbitis oculorum internis, articulisque 3 et 4 tarsorum posticorum, albis. m.

Statura et proportio partium omnino *Crypti perspicillatoris*, n. 55.

Longitudo 4⅓—5 linearum. *Caput* palpis fuscis aut subtestaceis, mandibulis et labro interdum exalbidis aut testaceis; orbitis oculorum facialibus, plerumque parte externarum, albis. *Antennae* porrectae setaceae, longitudine corporis, seu paulo breviores, articulo 1 subtus albo. *Thorax* gibbulus. *Scutellum* apice summo albo. *Alae* fumatohyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice pallidiore, squamula fusca; areola triangulari aut subquinqueangulari. *Pedes* elongati graciles; anteriores rufi aut fulvi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus mediis plerumque basin versus nigris, unguibus fuscis, tarsis mediis plerumque fuscis aut fuscescentibus; postici nigri, femoribus summa basi, interdum etiam geniculo, rufis, tibiis vel nigris basi rufa, vel rufis apice nigro, tarsorum articulis 3

et 4 totis, 2 apice, albis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, oblongum, seu segmentis 2—6 subaequilatis; segmento 1 nigro, apice plerumque rufo, parte antica subquadrata, latiore et fere dimidio breviore quam petiolus; 2—4 rufis, 4 interdum margine nigro; reliquis nigris, 5 interdum fusco basi et lateribus rufis.

Individua quaedam cepi mense Augusto, circa *Warmbrunn* et *Cudowam*, in gramine et frutetis. Nonnulla alia, in aliis *Silesiae* locis, nec non circa *Hannoveram* et *Aboam*, capta, mihi transmissa sunt; hannoveranum, omnium maximum, abdomine oblongo, segmento 5 basi atque lateribus rufis, distinctum.

50. C. ASSERTORIUS.

Abdomine, femoribus, tibiis, tarsisque rufis, horum posticis annulo albo; orbitis oculorum internis, annulo antennarum, punctisque ad alarum radicem, albis. f.

Longitudo $2\frac{3}{4}$—4 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis et macula labri, interdum etiam macula clypei, flavis aut albis. *Antennae* setaceae graciles, vix corporis longitudine, porrectae, vel apice magis minusve incurvae; articulis 1—7—9 nigris, interdum 1 vel 1—4 subtus ferrugineis, rarius 3—5 totis ferrugineis; 8—11, aut 9—11—12, tribus lateribus albis. *Thorax* gibbulus, cinereosericeus; margine colli supero, plerumque

etiam laterali, puncto ante alas, altero sub àlis, tertio dorsali utrimque ante collum, flavis, distinctioribus aut obsoletioribus, puncto ante alas interdum cum puncto dorsali ejusdem lateris in lineam confluente; lineola sub scutello alba. *Scutellum* album. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, aut hyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice straminea rarius picea, squamula fusca aut exalbida; areola quinqueangulari. *Pedes* graciles, rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici femorum et tibiarum apicibus distinctius aut obsoletius nigricantibus, tarsorum articulis 2 et 3, vel 2 solo, vel tantum basi 2, albidis; unguibus omnibus nigris. *Abdomen* ovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel paulo latius, rufum aut castaneum; segmento 7, rarius etiam 6, nigro; 1 laevi, apicem versus sensim dilatato, parte antica longitudine latitudinis, breviore quam petiolus, tuberculis lateralibus obsoletis. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine vel paulo brevior.

Quasdam feminas cepi in umbellatis et fruticetis, circa *Gottingam* et *Helmstadium*, mensibus Maji et Iulii; plures, passim in *Silesia*, nec non circa *Halam Saxonum*, *Norimbergam*, *Sickershausen*, *Vindobonam*, *Parmam*, in *Regione Pedemontana* et in *Volhynia* captae, mecum communicatae sunt.

Varietas:

Capite toto nigro — femoribus posticis nigris, summa basi rufa — abdomine castaneofusco, aut

nigrofusco lateribus castaneis — caeteris feminae genuinae respondentibus.

De patria nescius sum.

Synonyma:

Ichn. assertorius Fab. Ent. p. 140, n. 31.
„ Thunb. Ichn. n. 7.
Cryptus assertorius Fab. Piez. p. 76, n. 20.
Ichn. sanguinolentus Gmelin ed. Linn. p. 2679, n. 231.
Ichn. leucostictos Gmel. ed. Linn. p. 2679, n. 232.

Nota:

Mas hujus feminae forsan est noster *Cr. albatorius.*

Cryptus.

51. C. RUFIVENTRIS. n.

Abdomine pedibusque rufis, coxis fuscis; picturis capitis et thoracis, nec non annulo antennarum, albis. f.

Statura et proportio partium speciei antecedentis; aculeo paulo longiore, tuberculo faciali distincto. Medium tenere videtur inter antecedentem et succedentem.

Longitudo 3 linearum. *Caput* labro stramineo, clypeo interdum castaneo, oculorum orbitis omnibus albis; tuberculo faciali distincto, interdum albo. *Antennae* articulis 8—10—11 tribus lateribus albis. *Thorax* colli margine supero et

laterali, linea ante alas, lineola sub alis alteraque sub scutello, plerumque punctis duobus minutis infra hanc lineolam, rarius etiam puncto laterali metathoracis, albis. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate piceo aut nigro, radio et squamula fusconigris, radice alba; areola quinqueangulari. *Pedes* rufocastanei; coxis anticis nigris, posterioribus nigrofuscis aut badiis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, castaneum aut rufum, petiolo plerumque fusco; segmentis 3—7 ventre prominentibus. *Aculeus* fere longitudine abdominis, terebra castanea.

Duo individua cepit *Richter* mense Iunio in gramine prope *Vratislaviam;* tertium, idque tuberculo frontali et puncto laterali metathoracis albis insigne, ipse prope *Scheidnich* prehendi, mense Iulio.

Varietates:

1. *Coxis anticis fuscoca staneis, mediis castaneis, posticis rufis.* — Caetera sicut in femina genuina.

Unicam feminam a *Steven* misit e *Tauria.*

2. *Coxis nigris puncto albo.* — *Longitudo* 3⅓ linearum. *Antennae* articulis 10—12 supra albis. *Thorax* colli margine supero, linea ante alas, puncto infra alas, lineolaque transversali metathoracis, albis. *Scutellum* apice albo. *Pedes* anteriores castanei, trochanteribus et coxis ni-

gris, his externe puncto albo; postici nigri, coxis superne macula inferne puncto albis, femoribus castaneis geniculo nigro. *Abdomen* obscurocastaneum, petiolo obscuriore. *Aculeus* abdominis longitudine. — Caetera ut in specie genuina.

Unicum individuum cepit *de Heyden* circa *Trajectum ad Moenum.*

52. C. APPARITORIUS.

Abdomine femoribus et tibiis rufis, harum posticis apicem versus nigris; annulo antennarum albo. f.

Statura et proportio partium *Cr. assertorii*, n. 50; antennis tamen paulo brevioribus, aculeo longiore, segmenti primi forma differt.

Longitudo fere 4 — 4⅕ linearum. *Caput* vestigio orbitarum internarum et externarum albido. *Antennae* corpore dimidio longiores, apice curvatae, articulis 8 — 11 tribus lateribus albis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice fusca aut straminea, squamula nigra; areola quinqueangulari. *Scutellum* album. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tarsis tibiisque fuscis, his attamen basi rufescente, illis articulis 3 et 4 interdum paulo pallidioribus. *Abdomen* ovatum castaneum; segmento 1 petiolo nigro, parte antica quadrata subcanaliculata, fere duplo latiore et dimidio breviore quam petiolus, tuberculis lateralibus subacutis. *Aculeus* fere abdominis longitudine.

Unam feminam *Fehler* cepit circa *Gottingam*, alteram, eamque minorem, *Richter* in *Silesiae Sudetis*.

…ormari Tsch.

Varietas?:

1. *Tibiis posticis totis rufis.* — Rectius forsan pro specie peculiari agnoscenda; tarsis autem posticis pedibusque anticis totis deficientibus, eam recipere nolui.

Longitudo 4¼ linearum. *Caput* puncto clypei et orbitis oculorum internis et externis albis. *Antennae* articulis 6 — 11 supra albis. *Thorax* lineolis duabus dorsalibus ante collum, lineolaque infra alas, albis. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et radice piceis, squamula alba, areola quinqueangulari subtriangulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, coxis posticis superne castaneis. *Abdomen* rufum, petiolo fusco. *Aculeus* abdomine brevior.

Feminam unicam *Germar* cepit circa *Halam Saxonum*.

Synonyma:

Ichn. apparitorius Villers p. 143, n. 29; circa Lugdunum.
„ Olivier p. 169, n. 26; prope Parisios.
„ Rossi Mant. II App. n. 81; habitat ruri non frequens.
„ Walckenaer p. 52, n. 18.

Nota:

Quaeritur, num forsan *Ichn. variabilis* Schrank Boica n. 2104 var. A. hujus feminae mas esse possit; femina enim, quam auctor *Ichn. variabili* mari consociavit, scutello nigro differt.

53. C. TUBERCULATUS. n.

Metathorace subbispino; abdomine femoribus et tibiis rufis; antennarum annulo albo. f.

Statura et proportio partium *Cr. assertorii* et *apparitorii*, n. 50 et 52, sed aculeo breviore, segmento primo latiore.

Longitudo 4 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis et externis tenuibus albis. *Antennae* articulis 7 — 10 — 11 supra albis. *Thorax* metathoracis tuberculis duobus acutis. *Scutellum* apice albo. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et radice piceis, squamula exalbida macula fusca. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis posticis fuscis. *Abdomen* rufum; segmento 1 lineis duabus subelevatis, lateribus petioli nigricantibus, parte antica quadrata fere subtransversa. *Aculeus* trientis abdominis longitudine.

Unum individuum *a Steven* e *Tauria*, alterum *Besser*, mecum communicaverunt.

spinolus var. ♀ 95.

= 54. C. ARMATORIUS.

Metathorace bispino, abdomine rufo; femoribus et tibiis rufis nigromaculatis. f.

Statura et proportio partium *Cr. assertorii*, n. 50; sed abdomine paulo angustiore, aculeo longiore.

Longitudo 3 ½ — 4½ linearum. *Caput* orbitis oculorum internis et parte externarum albidis, interdum subobsoletis, ut plurimum etiam puncto stramineo clypei, tuberculo faciali obtuso. *Antennae* articulis 6—9 aut 7—9 supra albis. *Thorax* metathoracis spinis duabus seu tuberculis acutis. *Scutellum* puncto apicali albo. *Alae* fumatohyalinae seu subhyalinae, stigmate radio et radice nigris aut fuscis, squamula rarius tota alba, plerumque nigra puncto albo; areola subtriangulari. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus interdum externe a basi ultra medium nigris, tibiis tarsisque plerumque externe fuscis; tarsis mediis semper fuscis; postici vel nigri, femoribus inferne rufis, vel fusci femoribus apice ultra medium rufis. *Abdomen* rufum. *Aculeus* abdomine dimidio longior.

Unam feminam *Roentgen* cepit circa *Niesky;* alteram, eamque minimam, squamula alarum tota alba, *Desmarest* misit e *Gallia;* tertiam *etruscam*, eamque maximam, femoribus anterio-

ribus totis rufis, *a Sanvitale* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. armatorius Fabr. Mant. p. 260, n. 14. — Ent. II p. 134, n. 11; habitat Kiliae.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2676, n. 82.
„ Villers p. 140, n. 16; in Gallia australi.
„ Olivier p. 167, n. 16.
„ Thunb. Ichn. n. 56 (ubi autem, pro *scutello*, legendum est *thorace.*)
Cryptus armatorius Fabr. Piez. p. 71, n. 3.

Nota:

Ichn. armatorius Panzeri Faun. fasc. 70, tab. 21, Crypto huic responderet, nisi aculeo nimis brevi gauderet; indeque illum ad nostrum *Hoplismenum perniciosum*, n. 3, adhibui. — Nec huc spectat *Ichn. armatorius* Forsteri n. 82, quem Gmelin sub nomine *Ichn. dimicatorii* recepit, de quo conferas nostrum *Ichn. fasciatorium*, n. 144, quocum etiam *Ichn. armatorius* Rossii n. 752 conjunctus est.

Cryptus.

55. C. PERSPICILLATOR.

Facie albomaculata; segmentis 2 — 7, femoribus tibiisque anterioribus, rufis, femoribus mediis basi nigra; tarsorum posticorum annulo albo. m.

Longitudo 4 — 5 linearum. *Caput* ore clypeo genis, orbitis oculorum internis, plerumque

macula faciali, figuram V exhibente, interdum vel cum orbitis oculorum confluente, vel incompleta seu in puncta duo dissoluta, albidoflavis. *Antennae* fere corporis longitudine, setaceae, porrectae, articulo 1 subtus albido. *Thorax* gibbus; puncto sub alis, lineolaque sub scutello albido, flavis. *Scutellum* apice albido. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula vel tota fusca vel straminea macula fusca, areola quinqueangulari subpyramidata. *Pedes* elongati; antici fulvi, coxis nigris plerumque subtus macula albida aut subtestacea, trochanteribus vel totis nigris aut fuscis vel subtus subtestaceis, femoribus interdum externe fuscescentibus aut nigris; medii coxis et trochanteribus nigris, his plerumque apice fulvo, femoribus basi nigris aut fuscis apice testaceis, tibiis testaceis, tarsis fuscescenti-testaceis, articulis 3 et 4 pallidioribus interdum albidis, unguibus fuscis; postici nigri, plerumque genubus et summa basi femorum ferrugineis, rarius femoribus ab apice ad medium usque et tibiarum basi rufis, tarsorum articulis 2—4 totis, 5 basi, albis. *Abdomen* oblongum seu oblongoovatum, capite thoraceque paulo longius pauloque angustius; segmento 1 laevi nigro sublineari, parte antica latitudine paulo longiore, pauloque latiore at fere dimidio breviore quam petiolus, apice plerumque castaneo; reliquis rufis, 2 tamen saepe basi nigra.

Plures legi mensibus Majo-Iulio passim circa *Vratislaviam* in fruticetis et in gramine; nonnulli,

circa *Hannoveram* et *Gottingam* capti, mecum communicati sunt.

Varietas:

Facie tota alba. — *Longitudo* 3 linearum. *Pedes* antici coxis et trochanteribus nigris, subtus albis; femoribus totis fulvis. — Caetera sicut in plurimis maribus genuinis.

Unum individuum *Richter* cepit circa *Fuerstenau.*

Synonyma:

Ichn. perspicillator Gravenh. Uebers. n. 3754.

56. C. PUNGENS. n.

Abdomine, tibiis anterioribus, femoribusque rufis, horum anterioribus basi nigra; antennarum annulo albo. f.

Statura et proportio partium *Cr. assertorii* n. 50; segmento 1 autem latiore, aculeo paulo longiore.

Longitudo 4 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis tenuibus albentibus. *Antennae* articulis 8 — 10 tribus lateribus albis. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris; areola quinqueangulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; anterioribus vel femoribus tibiis tarsisque totis rufis, vel femoribus externe nigricantibus,

tibiis tarsisque externe subfuscescentibus; postici tarsis tibiisque nigrofuscis, his interne castaneis. *Abdomen* rufum, petiolo, interdum quoque segmento 7, nigro; segmento 1 parte antica subquadrata duplo latiore at paulo breviore quam petiolus, lineis duabus elevatis. *Aculeus* abdomine dimidio longior.

Unam feminam cepi prope *Vratislaviam;* alteram *austriacam,* eamque pedibus anterioribus obscurioribus, segmento 7 nigro, *Dahlio* debeo.

57. C. GEMINUS. n.

Abdomine rufo, apice nigro; femoribus tibiis tarsisque rufis; thorace punctis duobus albis dorsalibus; antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium omnino *Cr. assertorii,* n. 50.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* articulis 3 — 10 rufis, 8 — 10 superne fuscis, 11 — 13 albis subtus piceis. *Thorax* margine supero colli, punctis duobus ante collum, punctoque infra scutellum, albis. *Scutellum* album. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice albida, squamula nigra; areola quinqueangulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* rufum, petiolo paulo obscuriore; segmentis 6 et 7 nigris, 5 fusco lateribus rufis. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine.

Feminam unicam *austriacam Dahl* mihi transmisit.

58. C. VOLUBILIS. n.

Abdomine rufo, apice nigro; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro; antennarum annulo albo. m.

Statura et proportio partium *Cr. tinctorii*, n. 60; antennis tamen paulo brevioribus et crassioribus.

Longitudo 3 — fere 4 linearum. *Caput* plerumque orbitis oculorum internis tenuibus albis, distinctioribus aut obsoletioribus; interdum quoque vestigio externarum. *Antennae* porrectae, corpore breviores; articulorum 10 — 16 plurimis tribus lateribus albis. *Thorax* subgibbulus, puncto albo infra alas. *Scutellum* album. *Alae* subhyalinae; stigmate radio et radice fuscis aut piceis, squamula fusca interdum puncto albido; areola triangulari. *Pedes* graciles seu subgraciles, longiusculi; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, plerumque latere externo femorum, interdum etiam tibiarum atque tarsorum, nigricante; postici coxis trochanteribus et tarsis nigris, femoribus tibiisque rufis apice nigris. *Abdomen* subfusiforme aut oblongoovatum, capitis et thoracis longitudine; thorace paulo angustius, rufum; segmentis 6 et 7, interdum etiam 5 seu quinti margine, nigris; 6 et 7 plerumque margine summo albido; 4 quoque interdum margine nigro; 1 apicem versus sensim dilatato, parte antica paulo breviore quam petiolus, vel latitudine paulo longiore

vel subquadrata, rarissime toto rufo aut nigro apice rufo, plerumque rufo basi nigra.

Plures legi circa *Warmbrunn*, mense Augusto, in umbellatis et salicetis; quosdam, circa *Hirschberg Niesky* et *Norimbergam* captos, accepi.

Varietas:

Femoribus posticis fere totis nigris. Color niger geniculorum posticorum gradatim augetur, ita ut tandem femora fere tota nigra evadant, basi sola rufa. — Caetera individuis genuinis respondent.

Specimina quaedam circa Warmbrunn capta sunt.

Nota:

Quaeritur an haec species forsan varietas sit *Cr. tinctorii*, n. 60, qui quidem plerumque antennis paulo longioribus et tenuioribus differt, sed hac quoque ratione, individuis intermediis, sensim in *volubilem* transire videtur.

Phygadeuon

59. C. ALBULATORIUS. n.

Segmentis 2 et 3 rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro; orbitis oculorum internis, nec non annulo antennarum et tarsorum posticorum, albis. m.

Statura et proportio partium speciei antecedentis et succedentis; sed antennis crassioribus.

Longitudo 3⅔—4 linearum. *Caput* palpis, macula mandibularum, orbitisque internis oculorum albis. *Antennae* porrectae, dimidio corpore longiores; articulo 1 subtus, 15—16—17 supra, albis. *Thorax* puncto albo infra scutellum. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis; areola quinqueangulari aut fere subtriangulari. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, interdum femoribus mediis, rarius quoque anticis, supra basin versus nigris, tarsis mediis interdum fuscescentibus, articulis 3 et 4 pallidioribus; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis, tribus lateribus apicem versus nigris, tibiis rufis apice nigro, tarsis nigris, articulis 3 et 4 albis. *Abdomen* segmento 1 nigro apice rufo, 2 et 3 rufis, sequentibus nigris, 7 margine albo.

Nonnulla individua, passim in *Silesia* capta, accepi. Unum *a Stillfried*, sub nomine *Ichn. albulatorii* novi, mecum communicavit.

60. C. TINCTORIUS. n.

Segmentis 1—3 rufis, ano albo; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro; orbitis internis oculorum et antennarum annulo albis. m.

Longitudo 3—4 linearum. *Caput* palpis fuscis; margine labri et orbitis internis oculorum pallideochraceis aut albidis, interdum obsoletis. *Antennae* plerumque corpore paulo longiores, se-

taceae, porrectae; articulis 12 — 17 aut 13 — 15 — 16 tribus lateribus albis. *Thorax* gibbus, rarius puncto albo infra alas. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate stramineo au tsubpiceo, radio et squamula piceis aut fuscis, radice picea; areola subtriangulari. *Pedes* mediocres subelongati; anteriores rufi, coxis et trochanteribus, nec non latere externo femorum, nigris; postici trochanteribus et coxis nigris, his interdum macula castanea, femoribus rufis apice nigro, tarsis tibiisque nigricantibus, his ante basin rufescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, aut paulo longius, thorace angustius aut ejus latitudine, oblongum; segmento 1 rufo, petiolo nigro paulo angustiore at duplo longiore quam pars antica subquadrata; 2 et 3 rufis aut rufocastaneis; 4 nigro, plerumque basi rufo, vel, sicut 5, nigro, margine tenuissimo rufo; 6 et 7 nigris, margine albo.

Quidam mares circa *Warmbrunn* capti, unusque *hannoveranus*, mihi transmissi sunt.

Nota:

Conferas notam ad *Cryptum volubilem*, n. 58.

61. C. BREVICORNIS. n.

Segmentis 1 — 3 rufis, 6 et 7 albomarginatis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris; tarsis posterioribus annulo albido. m.

Statura et proportio partium *Cr. albulatorii*, n. 59, sed antennis brevioribus et crassioribus, areola quinqueangulari.

Longitudo 3½ linearum. *Antennae* porrectae setaceae dimidio corpore paulo longiores. *Thorax* lineola sub scutello alba. *Scutellum* album. *Alae* subhyalinae, irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula fuscis; areola quinqueangulari. *Pedes* rufi, trochanteribus et coxis nigris; medii tarsis fuscis, articulis 2 et 3 albis; postici femorum et tibiarum summo apice, nec non tibiarum summa basi, nigris, tarsis nigris, articulis 3 et 4 nec non apice secundi albis. *Abdomen* segmento 1 rufo, petiolo nigro; 2 et 3 rufis; sequentibus nigris, 6 et 7 dorso albomarginatis.

Unicum marem, circa *Warmbrunn* captum, *Manger* mecum communicavit.

Cryptus

62. C. HOSTILIS. n.

Segmentis 1—4 rufis; pedibus anterioribus rufis, coxis mediis nigromaculatis; trochanteribus posticis nec non basi femorum et tibiarum posticorum rufis; antennarum articulo 1 subtus fulvo. m.

Statura et proportio partium *Cr. albulatorii,* n. 59, segmento 1 autem tenuiore, areola quadrata.

Longitudo 3—3¾ linearum. *Caput* palpis et mandibularum macula rufis. *Antennae* subtus fuscae aut ferrugineae articulo 1 fulvo aut cerino. *Thorax* lineola sub scutello pallide flava. *Scutellum* pallide flavum. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate piceo, radio fusco, radice pallideflava, squamula vel testacea vel nigra margine testaceo; areola subquadrata. *Pedes* anteriores rufi, coxis mediis vel totis nigris vel nigromaculatis; postici nigri, trochanteribus et femorum basi rufis, tibiis rufis apice nigro. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, oblongum aut fusiforme; segmento 1 sublineari, nigro, apice rufo, parte antica paulo latiore at fere dimidio breviore quam petiolus; 2—4 rufis; 5 nigro basi rufa; reliquis nigris.

Individua duo mense Iulio in gramine prope *Vratislaviam* cepi.

63. C. ADUSTUS. n.

Alarum disco fusco; segmentis 1—3 rufis, 7 superne albo; femoribus posticis rufis, anticis subtus testaceis; annulo antennarum albo. f.

Statura et proportio partium *Cr. assertorii*, n. 50; sed crassior.

Longitudo 4 linearum. *Caput* orbitis internis oculorum albis tenuibus. *Antennae* filiformes, apice curvatae, articulis 8—10 tribus lateribus albis. *Thorax* colli margine supero, lineolaque transversa sub scutello, albidis; metathorace tuberculis duobus subacutis. *Scutellum* apice albo. *Alae* fumatohyalinae, punctis minutis seu atomis fuscis quasi adspersae, nube disci fusca; stigmate radio radice et squamula nigris; cellula interiore nervi dividentis vestigio, areola quadrata. *Pedes* nigri; antici femoribus tibiisque interne fulvostramineis; medii tibiis interne castaneis; postici femoribus rufis apice nigro, tibiis interne basin versus castaneis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum, rufocastaneum, petioli basi nigra; segmento 4 nigro lateribus et summa basi rufis; reliquis nigris, 6 margine summo albente, 7 supra albo. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine.

Unicam feminam *austriacam Dahl* mihi transmisit.

Cryptus.

64. C. TRICOLOR. n.

Abdomine rufo, apice nigro, ano albo; pedibus rufis, posticis femorum et tibiarum apice nigro; antennarum annulo albo. f.

Statura et proportio partium omnino antecedentis, sed areola quinqueangulari. A *Cr. assertorio*, n. 50, hic statura crassiore differt.

Longitudo 2½—3 linearum. *Antennae* articulis 3—4—5 ferrugineis aut testaceis, 6 et 7 fuscis, 8—10 tribus lateribus albis. *Thorax* interdum puncto exalbido obsoleto infra scutellum, metathorace subbituberculato. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice piceostraminea, squamula rufa aut nigra. *Pedes* rufi; postici femorum et tibiarum apice nigricante. *Abdomen* rufum, segmento 4 nigro basi rufa, sequentibus nigris, 6 et 7 dorso albomarginatis. *Aculeus* dimidio abdomine vix paulo longior, rarius paulo brevior.

Tria individua, circa *Norimbergam*, *Sickershausen* et in *Volhynia* capta, mihi missa sunt; volhyniense maximum est, aculeo autem breviore.

65. C. FUGITIVUS. n.

Abdomine rufo, apice nigro, ano albo. m. f. (*Mas* pedibus anterioribus rufis, coxis et trochanteribus albidomaculatis, tarsorum posticorum annulo albo; *femina* femoribus rufis, anticis basin versus nigricantibus, tibiis anterioribus rufis).

Longitudo maris 3, feminae $2\frac{1}{3}$—$3\frac{1}{4}$ linearum. *Caput* maris orbitis oculorum internis palpis et clypeo albidis. *Antennae* graciles, fere corporis longitudine, maris porrectae; feminae apice curvatae, articulis 8—11 aut 9—11 tribus lateribus albis. *Thorax* gibbulus; puncto infra alas, plerumque lineola aut puncto punctisve duobus sub scutello, albis. *Scutellum* rarius totum album, plerumque apice aut puncto apicali, hoc feminae interdum minuto, albo. *Alae* fumatohyalinae aut subfumatohyalinae; stigmate et radio fuscis aut piceis, radice maris albida feminae straminea aut picea, squamula maris alba feminae fusca aut nigra interdum puncto albo; areola quadrata aut subquadrata. *Pedes* graciles elongati rufi; coxis et trochanteribus nigris, anterioribus mari subtus albis; feminae latere externo femorum anticorum, interdum etiam mediorum, plus minus fusco aut nigricante; tibiis posticis nigris, feminae basin versus rufis aut ferrugineis; tarsis fuscescentibus, posticis nigris, mari articulis 2—4 albis. *Abdomen maris* capite thoraceque longius et angustius, sublineare, apicem versus sensim paululum dila-

tatum; segmento 1 nigro, apice rufo, parte antica breviore et parum latiore quam petiolus, latitudine longiore; 2—4 rufis; 5—7 nigris, 7 macula dorsali alba; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 rufo, interdum petiolo nigro, parte antica vel subquadrata vel apicem versus sensim dilatata, latitudine longitudinis, breviore et latiore quam petiolus; 2 et 3 rufis; 4 vel toto nigro vel rufo apice nigro; reliquis nigris, 7 dorso albo aut obsolete exalbido. *Aculeus* dimidio abdomine paulo brevior aut paulo longior, terebra rufa.

Marem unicum *austriacum Dahlio* debeo. — Feminae nonnullae, passim in *Silesia*, nec non circa *Norimbergam* et *Genuam*, lectae, mihi transmissae sunt; unam ipse cepi mense Septembri in fruticeto prope *Scheidnich*.

Varietates feminae:

1. *Tibiis anterioribus externe fuscis.* — *Longitudo* $2\frac{2}{3}$ linearum. *Thorax* interdum puncto albo infra alas, rarius etiam punctis duobus sub scutello albis. *Scutellum* puncto apicali albo. *Alae* stigmate radio radice et squamula fuscis; areola quadrata aut subquadrata aut quinqueangulari. *Pedes* anteriores femoribus tibiisque rufis, externe fuscis aut nigricantibus; postici nigri, femoribus rufis geniculo nigro. *Abdomen* rufocastaneum; segmentis 5—7, ut plurimum etiam petiolo, nigris, 7 superne albo. — Caetera sicut in specie genuina.

Feminae nonnullae, circa *Warmbrunn*, *Hirschberg*, *Sickershausen*, *Norimbergam*, *Hannoveram*, captae, mihi transmissae sunt; hannoverana, areola quinqueangulari, segmento 1 toto rufo, a reliquis discrepat.

2. *Pedibus fere totis fuscis aut nigris.* — *a*) *Longitudo* 2⅔ linearum. *Antennae* articulis 9—11 tribus lateribus albis. *Thorax* puncto albo infra alas. *Scutellum* apice album. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice picea, squamula nigra, areola quadrata. *Pedes* fusci, coxis et trochanteribus nigris; anteriores femoribus tibiisque interne testaceis. *Abdomen* segmento 1 fusco angulis apicalibus rufis; 2 et 3 rufis; sequentibus nigris, ultimo supra albo. — *b*) *Longitudo* 4 linearum. *Antennae* et *thorax* sicut in var. *a*. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice fusca puncto albo, squamula alba, cellula cubitali intermedia quinqueangulari. *Pedes* sicut in var. *a*, femoribus posticis autem basin versus badiis. *Abdomen* segmento 1 nigricante medio castaneo, 2—4 rufis, 5 rufo margine summo nigro, 6 nigro lateribus rufis, 7 nigro supra albo.

Varietatem *a*, circa *Genuam* captam, *a Spinola* mecum communicavit; varietatem *b Bonelli* cepit in *Regione Pedemontana*.

3. *Abdominis medio rufo nigromaculato.* — *a*) *Longitudo* 4 linearum. *Antennae* articulis

9—12 tribus lateribus albis. *Scutellum* apice albo. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris, areola quadrata. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus, nec non femorum basi, nigris; postici nigri, femoribus et tibiarum basi rufis. *Abdomen* nigrum; segmento 2 castaneorufo, ante marginem nigro; 7 membrana dorsali albida. — *b*) *Longitudo* 2½ linearum. *Antennae* articulis 8—11 tribus lateribus albis. *Thorax* puncto albo infra alas. *Scutellum* apice albo. *Alae* stigmate radio et squamula fuscis, radice picea, areola quadrata. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus rufis, anterioribus superne subfuscescentibus; tibiis anterioribus rufis, externe subfuscescentibus, posticis totis fuscis; tarsis ferrugineofuscis, posticis fuscis. *Abdomen* segmento 1 nigro apice summo castaneo; 2 et 3 rufis, macula dorsali nigra; 6 et 7 margine albo.

Var. *a* circa *Warmbrunn* capta est, var. *b* circa *Genuam*.

66. C. CONFECTOR. n.

Segmentis 1—3, tibiis anterioribus femoribusque rufis; puncto scutellari, ano, annuloque tarsorum posticorum et antennarum, albis. f.

A specie praecedente haec differt corpore toto antennis et aculeo paulo longioribus et gracilioribus.

Longitudo 4 linearum. *Antennae* graciles, corpore paulo breviores, filiformes, apice curvatae,

articulis 8—11 supra albis. *Thorax* gibbulocylindricus. *Scutellum* puncto albo apicali. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice diluteferruginea puncto fusco; areola quadrata. *Pedes* graciles, longi; coxis et trochanteribus nigris; femoribus rufis; tibiis anterioribus rufis, posticis nigrofuscis interne badiis basi rufa; tarsis fuscescentibus, posticis nigrofuscis articulis 3 et 4 albis. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius pauloque angustius, ovatofusiforme; segmento 1 rufo, petiolo nigro, parte antica subquadrata, latitudine perparum longiore, paulo breviore at fere duplo latiore quam petiolus; 2 et 3 rufis; reliquis nigris, 7 macula dorsali alba membranacea; 4—6 ventre prominentibus et apertis pro exsertione terebrae. *Aculeus* longitudine abdominis; terebra diluterufa compressa, apice sublimata.

Feminam unicam *fennicam Sahlbergio* debeo.

Nota:

Haec species, puncto albo scutellari minuto, transit ad sectionem sequentem, hujusque *Crypto peregrinatori* adpropinquat, a quo veruntamen iisdem notis differt, quibus a fugitivo discrepat.

67. C. GRACILIS. n.

Abdomine medio rufo, ano albo; femoribus tibiisque rufis nigromaculatis; tarsis posticis annulo albo. m.

Statura et proportio partium maris *Cr. fugitivi*, n. 65, sed antennis brevioribus et crassioribus; an illius varietas?

Longitudo 4 linearum. *Caput* palpis pallidis, orbitis oculorum internis albis. *Antennae* corpore paulo breviores, porrectae. *Thorax* colli margine supero, puncto infra alas, lineolaque infra scutellum, albis. *Scutellum* album. *Alae* apice fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula alba; areola subquadrata. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; trochanteribus anterioribus, rarius etiam coxis anterioribus, puncto albo notatis; femoribus rufis aut fulvis, anterioribus semper, posticis plerumque, basin versus plus minus nigris; tibiis anterioribus rarius totis fulvis, ut plurimum fuscescentibus, interne rufescentibus aut testaceis, posticis nigris; tarsis fuscescentibus, posticis nigris articulis 2—4 albis. *Abdomen* segmento 1 nigro, interdum apice rufo; 2—4 vel rufocastaneis, vel 2 et 3 rufis disco nigricante, 4 nigro lateribus et summo margine rufis; sequentibus nigris, 7 macula dorsali alba, 5 interdum basi castanea.

Mares tres, circa *Warmbrunn*, *Niesky* et in *Regione Pedemontana* capti, mecum communicati

sunt; pedemontanus distinctus est tibiis femoribusque anterioribus fulvis, his tantum summa basi nigris, coxis anterioribus puncto albo, segmentis 2—4 disco nigricante.

Varietates:

1. *Femoribus anterioribus totis rufis.* — *Longitudo* 3¼ linearum. *Caput* totum nigrum. *Thorax* colli margine supero albo. *Alae* stigmate et radio fuscis, radice exalbida, squamula nigra puncto albo. *Pedes* rufi; anteriores coxis et trochanteribus nigris, tarsis fuscis; postici coxis, trochanteribus, femorum apice, tarsisque nigris, horum articulis 3 et 4 albis, tibiis fuscoferrugineis apice nigro. — Caetera sicut in plurimis individuis genuinis.

Unicum marem cepi die 5 Augusti prope *Warmbrunn* in umbellatis.

2. *Femoribus anterioribus fere totis nigris, tarsis posticis totis fuscis.* — *Longitudo* fere 5 linearum. *Caput* et *thorax* toti nigri. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice picea, squamula nigra. *Pedes* nigri; femoribus anterioribus apice rufo, posticis rufis summa basi nigra; tibiis anterioribus rufis, posticis nigrofuscis; tarsis fuscis, anticis pallidioribus. — Caetera sicut in plurimis maribus genuinis.

Hunc marem *a Steven* e *Tauria* transmisit.

68. C. OPISOLEUCUS. n.

Abdominis medio rufo; femoribus tibiisque rufis nigromaculatis; annulo tarsorum posticorum, maculisque duabus metathoracis, albis. m.

Statura tota paulo crassior quam in *Cr. triguttato*, n. 75; caeterum autem eadem proportio partium.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* palpis et orbitis oculorum internis albidis. *Thorax* lineola sub scutello, puncto infra alas, maculis duabus in parte declivi metathoracis, albis. *Scutellum* apice albo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula piceostramineis, areola quadrata. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus nigris, interne rufis, posticis rufis apice nigro; tibiis anterioribus stramineis, externe fuscescentibus, posticis fuscis, interne basin versus ferrugineis; tarsis anterioribus fuscostramineis, mediis articulis 3 et 4 pallidioribus, posticis fuscis, articulis 2—4 albis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace angustius, segmento 1 nigro apice rufo, 2—6 latitudine aequali rufis, 7 nigro.

Marem unicum *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

69. C. NIGRIPES. n.

Abdominis medio rufo. m. f. (*Femina* ano et annulo antennarum albis).

Statura et proportio partium *maris* sicut in *Cr. perspicillatore*, n. 55, corpore toto paulo graciliore; *feminae* sicut in *Cr. attentorio*, n. 47, areola magis quadrata.

Longitudo 4 linearum. *Antennae* (maris apice mutilatae) feminae articulis 8—11 supra albis. *Scutellum* apice albo. *Alae* fumatohyalinae, stigmate squamula et radio nigris, radice maris ferrugineofusca feminae testacea; areola quadrata. *Pedes maris* anteriores tibiis et tarsis ferrugineofuscis, tibiis anticis subtus pallideflavicantibus; *feminae* antici tibiis et femorum apice rufoferrugineis; medii tibiis interne geniculoque ferrugineis. *Abdomen maris* segmentis 2—4 totis, 5 basi et summo margine, 6 summo margine, rufis; *feminae* segmento 1 apice rufocastaneo, 2—4 rufocastaneis, 4 apice nigricante, 7 membrana dorsali albida, 3—6 ventre prominentibus. *Aculeus* dimidio abdomine longior.

Marem *genuensem a Spinola*, feminam *etruscam a Sanvitale* mecum communicaverunt.

Cryptus.

70. C. LEUCOTARSUS. n.

Abdomine rufo; pedum anteriorum tibiis femoribusque rufis, his externe obscuris; tarsis posticis annulo albo. m.

Statura tota pedibusque crassioribus et brevioribus haec species differt a *Cr. perspicillatore,* n. 55 et *insinuatore* n. 71.

Longitudo 3—4 linearum. *Caput* palpis et mandibulis testaceis, plerumque orbitis internis oculorum albidis tenuibus. *Antennae* porrectae, corpore breviores, plerumque subtus ferrugineae. *Thorax* gibbulus; lineola infra scutellum, interdum quoque puncto infra alas, albis. *Scutellum* apice albo. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice testacea, squamula fusca ut plurimum apice subtestacea; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres elongati; anteriores rufofulvi, tibiis pallidioribus, coxis et trochanteribus nigris, his inferne albis, femoribus mediis plerumque externe fuscis aut nigris, coxis interdum fuscocastaneis; postici nigri, subsericei, tarsorum articulis 2—4 albis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine aut paulo longius, thorace paulo angustius; segmento 1 nigro laevi, petiolo lineari, parte antica latitudine longiore, aequilata, breviore et paulo latiore quam petiolus, apice rufo; sequentibus rufis aut castaneis, 6 et 7 subfuscescentibus.

Individua duo *pedemontana*, unum *etruscum*, transmissa sunt; hoc minus, femoribus mediis totis fulvis, antennis totis nigris.

71. C. INSINUATOR. n.

Segmentis 2—6, tibiisque anterioribus, rufis; femoribus anterioribus tribus lateribus rufis. m.

Statura et proportio partium omnino *Cr. perspicillatoris*, n. 55.

Longitudo 3 linearum. *Scutellum* album. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice picea, squamula nigra; areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus, nec non femorum latere convexo, nigris; postici nigri, summo femorum apice rufo. *Abdomen* sericeum; segmento 1 nigro apice rufo; 2—6 rufis, 6 basi fusca; 7 toto fusco.

Marem unicum *austriacum Dahl* mecum communicavit.

72. C. ALBOLINEATUS. n.

Segmentis 2—6, nec non latere altero femorum tibiarumque anticorum, rufis; orbitis oculorum internis, annuloque tarsorum posticorum, albis. m.

Statura intermedia inter *Cr. titillatoris* marem et *Cr. pelinocheiri* individuum minus; ab illo abdomine graciliore differt, ab hoc abdomine et petiolo paululum crassioribus et areola quadrata.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis albis. *Scutellum* apice albo. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigrofuscis, radice piceoalbida; areola quadrangulari. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus nigris, anticis subtus, mediis solo apice, rufo- aut stramineo-testaceis, posticis vel subtus rufocastaneis vel apice testaceis; tibiis anterioribus testaceostramineis, externe fuscis, posticis totis nigris aut fuscis; tarsis anticis testaceis aut subfuscescentibus, mediis fuscescentibus, articulis 3 et 4, interdum etiam apice secundi, exalbidis, posticis nigris, articulis 2—4 albis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius; segmento 1 laevi aut subcanaliculato, apicem versus sensim paulo dilatato, parte antica subquadrata vel tota rufa vel solis angulis apicalibus rufis; 2—6 subaequilatis rufis, 6 interdum fuscocastaneo; 7 nigro.

Duos mares *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

73. C. FUSCOMARGINATUS. n.

Segmentis 2—4 rufis margine fusco; tibiis anterioribus subtus rufis. m.

Statura et proportio partium omnino *Cr. gracilis*, n. 67. — A *Cr. triguttato*, n. 75, hic differt parvitate et areola quadrata.

Longitudo 3⅓ linearum. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice piceofusca; areola quadrata. *Scutellum* puncto

albo. *Pedes* anteriores femoribus subtus apicem versus rufis, tibiis rufis externe fuscescentibus. *Abdomen* segmentis 2—4 rufis, margine dorsali nigro.

Marem unicum *Richter* cepit mense Septembri, in gramine prope *Vratislaviam*.

74. C. PELINOCHEIRUS. n.

Segmentis 2—4 rufis; tibiis anticis subtus testaceis. m.

A specie sequente et a *Cr. nigripede*, n. 69, haec differt *statura* tota et abdomine brevioribus, fere sicut in *Cr. leucotarso*, n. 70.

Longitudo 3 1/3—4 1/4 linearum. *Antennae* porrectae setaceae, dimidio corpore longiores. *Thorax gibbulus*, puncto infra scutellum albo. *Scutellum* macula apicali alba. *Alae* fumatohyalinae, radio stigmate et squamula nigris, radice alba; areola quinqueangulari. *Pedes* elongati subgraciles nigri; tibiis anticis subtestaceis, externe fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine vel paulo longius, thorace angustius; segmento 1 nigro, subcanaliculato, apice rufo, petiolo lineari, parte antica longitudine latiore, aequilata, breviore et paulo latiore quam petiolus; 2—4 rufis; 5 obscurorufo aut nigro; 6 et 7 nigris.

Duos mares *pedemontanos Bonelli* mihi transmisit.

75. C. TRIGUTTATUS. n.

Segmentis 2—5, nec non tibiis anticis et femorum anticorum apice, rufis; puncto albo infra alas. m.

Statura et proportio partium omnino *Cr. stenogastri*, n. 77, sed petiolo paulo breviore.

Longitudo fere 5 linearum. *Thorax* puncto albo infra alas. *Scutellum* album. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice picea, squamula nigra aut alba; areola quinqueangulari. *Pedes* postici toti nigri; anteriores vel rufi, coxis et trochanteribus totis, femoribus basin versus, nigris, vel nigri, antici tibiis totis et apice atque latere infero femorum rufis, medii femorum summo apice et tibiarum summa basi castaneis. *Abdomen* segmento 1 apice rufo; 2—5 rufis, 5 margine dorsali nigro.

Unum marem *austriacum*, alterum *pedemontanum*, accepi; hic, pedibus anterioribus obscurioribus et squamula alarum nigra, ab illo differt.

Nota:

Quaeritur, numne haec species et tres proxime succedentes (*Cr. spectator*, *stenogaster* et *leucostomus*) varietates unius ejusdemque speciei esse possint. Feminas earum nondum eruere potui.

76. C. SPECTATOR. n.

Segmentis 2 — 4 castaneis, tibiis femoribusque anterioribus rufis, orbitis oculorum internis et puncto infra alas albis. m.

Statura et proportio partium speciei praecedentis; sed abdomine breviore, alis amplioribus. *Longitudo* 4 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis albis. *Thorax* puncto albo infra alas. *Scutellum* apice albo. *Alae* apice fumatohyalinae; stigmate et radio nigris, radice et squamula fuscis, areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, fere dimidio thorace angustius, apicem versus compressum; segmentis 2 — 4 nigrocastaneis, 5 margine summo castaneo.

Marem *austriacum* *Dahl* mecum communicavit.

Nota:

Conferre velis notam ad spec. antecedentem.

77. C. STENOGASTER. n.

Segmentis 1 — 3 rufis; tibiis femoribusque rufis, posticis apice nigro; tarsorum posticorum articulis 3 et 4 rufis, ore et orbitis oculorum internis flavis. m.

Longitudo 5½ linearum. *Caput* palpis ferrugineis; mandibularum basi, labro, lineola trans-

versali clypei, orbitis oculorum internis, pallide flavis. *Antennae* setaceae, porrectae, fere longitudine corporis. *Thorax* gibbus. *Scutellum* puncto testaceo. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice picea, squamula nigra; cellula interiore nervi dividentis initio; areola quinqueangulari. *Pedes* elongati, rufi, coxis trochanteribus et unguibus omnibus nigris; postici geniculis, tibiarum apice, tarsisque, nigris, horum articulis 3 et 4 ferrugineis. *Abdomen* thorace duplo longius dimidioque angustius, lineare, segmentis 2—6 aequilatis; 1 petiolo gracili nigro, parte antica rufa, obsoletissime canaliculata, latitudine longiore, duplo latiore at dimidio breviore quam petiolus, tuberculis lateralibus prominulis; 2 et 3 rufis; 4 rufo apice nigro; reliquis totis nigris.

Unicum individuum (prope *Niesky* captum?) *Roentgenio* debeo.

Nota:

Conferas quae ad *Cryptum femoralem* et *triguttatum*, n. 48 et 75, monui.

78. C. LEUCOSTOMUS. n.

Abdominis medio rufo; picturis faciei et prothoracis, nec non articulis 2—4 tarsorum posticorum, albis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro. m.

Statura et partium proportio speciei antecedentis; abdomine interdum paulo breviore et apicem versus compressiore.

Longitudo $3\frac{1}{3}$ — $4\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* orbitis oculorum internis et parte externarum, macula faciei majore minoreve, macula clypei vel clypeo toto, oreque, flavoalbidis, mandibularum basi et apice nigris. *Antennae* articulo 1 subtus albo. *Thorax* linea ante alas, puncto sub alis, margineque supero colli, albis. *Alae* subhyalinae vel subfumatohyalinae, stigmate fusco aut piceo, radio et radice fuscis, squamula albida macula nigra; areola quinqueangulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; horum anticis, vel etiam mediis, tunc quoque coxis anterioribus, subtus albis; postici femorum apice summo, tibiarum apice, tarsisque, nigris, his articulis 2—4 albis, 2 interdum basi fusca. *Abdomen* vel forma et proportione sicut in specie praecedente, segmentis 2—4 totis, 1 apice, rufis; vel paulo brevius, apicem versus magis compressum, segmento 1 angustiore toto nigro; 2 nigro, 3 et 4 rufocastaneis, 5 nigro lateribus rufocastaneis, reliquis nigris.

Unum marem, circa *Norimbergam* captum, eumque majorem, maculis faciei et clypei minoribus, solis trochanteribus anticis subtus albis, abdomine longiore et minus compresso, *Sturm* transmisit; alterum *Dahl* ex *Austria.*

Nota:

Consule notam ad *Cr. triguttatum,* n. 75.

79. C. EFFEMINATUS. n.

Segmentis 2 — 4, nec non tibiis femoribusque anterioribus, rufis; tibiis posticis basin versus rufis; annulo antennarum et tarsorum posticorum albo. m.

Statura et proportio partium *Cr. perspicillatoris,* n. 55; sed abdomine et antennis paulo gracilioribus.

Longitudo 4½ linearum. *Caput* palpis pallidis. *Antennae* subgraciles, porrectae, subcurvatae, corpore breviores, articulis 13—16 supra albis. *Thorax* puncto infra scutellum albo. *Scutellum* apice albo. *Alae* fumatohyalinae, irideae, stigmate radio et squamula fuscis, radice pallide flava, areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores rufi, trochanteribus et coxis nigris; postici nigri, tarsorum articulis 2 — 4 albis; tibiis rufis apice nigro. *Abdomen* capite thoraceque longius et angustius, segmentis 1 — 6 sensim latioribus; 1 apice, 2—4 totis, rufis.

Marem unicum a *Spinola* circa *Genuam* cepit.

Nota:

Effeminatum hunc Cryptum appellavi, quia, ad modum feminarum plurium hujus Piezatorum tribus, annulo antennarum albo decoratus est, licet mas sit.

Phygadeuon

80. C. CONGRUENS. n.

Abdomine dilute rufo, apice nigro; pedibus rufis, coxis nigris, femoribus posticis fuscis; antennis annulo albo. m. f. (*mas* facie flava; *femina* orbitis oculorum internis et basi antennarum rufis).

Statura et proportio partium maris sicut in specie sequente; sed areola subtriangulari. Femina, statura breviore et crassiore, a reliquis feminis hujus sectionis antennis crassioribus satis differt.

Longitudo maris 5, feminae vix 3—4⅕ linearum. *Caput maris* ore et facie albidoflavis; *feminae* palpis rufis aut testaceis, macula mandibularum, plerumque labro et clypei macula, rufis, orbitis oculorum internis, rarius etiam occipitalibus, rubricosis. *Antennae maris* porrectae, corpore breviores, articulo 1 subtus albido, 13—16 albidis subtus rufescentibus; *feminae* dimidio corpore longiores, apice involutae aut recurvatae, articulis 8—17 sensim dilatatis, sequentibus sensim angustatis, ultimis et 1—7 teretiusculis, reliquis deplanatis; 1 semper rufo, supra nigro aut fusco; 2—5 rarius totis rufis, ut plurimum eorum

nonnullis supra fuscis aut nigris, 6 et 7 vel totis fuscis aut nigris, vel subtus rufis; 8—13—14 albidis, 8 rarius fusco, sequentibus nigris, subtus fuscis aut ferrugineis. *Thorax* maris gibbulus, feminae gibbus; puncto infra alas testaceo aut rufescente; maris puncto obsoleto testaceo ante alas, feminae interdum puncto flavo infra scutellum; metathorace plerumque dorso rubricoso. *Scutellum* flavum. *Alae* fulvescenti- aut subfumato-hyalinae, stigmate et radice silaceis, radio fusco; squamula fusca aut ochracea disco fusco; areola subtriangulari aut triangulari. *Pedes* elongati, mediocres, feminae paulo crassiores quam mari; coxis nigris, anticis subtus plerumque rufescentibus, posticis feminae supra plus minus rufescentibus aut rubricosis; trochanteribus rufis, anterioribus supra fuscis; femoribus anterioribus testaceorufis, latere convexo plus minus nigro aut fusco, anticis rarius totis testaceorufis, posticis nigris aut fuscis summo apice summaque basi rufis, feminae rarius latere interno toto rufo; tibiis tarsisque dilute rufis aut fulvis. *Abdomen maris* thorace fere duplo longius, eo autem angustius, nitidum, fulvum, segmento 4 margine nigro, sequentibus totis nigris; 1 laevi, apicem versus sensim paulo dilatato, parte antica latitudine fere duplo longiore, paulo breviore quam petiolus; 2—5 aequilatis; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum, fulvum aut rufum, vel segmentis 4—7 nigris, vel 6 et 7 nigrofuscis, 7 semper membrana pallida mar-

ginato; 4—6 ventre prominentibus. *Aculeus* abdomine brevior, terebra rufa.

Marem et feminam cepit a *Stillfried* prope *Hirschberg*. Duas feminas *fennicas*, antennis pedibusque paulo crassioribus, metathorace toto nigro, segmentis 6 et 7 nigrofuscis, distinctas, *Sahlberg* mecum communicavit.

Nota:

Cum sexus ambo antennis alboannulatis congruant, speciem ipsam *congruentem* appellavi.

81. C. QUADRILINEATUS. n.

Abdomine rufo; femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigris; picturis capitis et thoracis, annuloque tarsorum posticorum, albis. m.

Statura et proportio partium *Cr. stenogastri*, n. 77; segmento 1 autem plerumque angustiore. *Longitudo* 4—6 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis, plerumque parte externarum et puncto faciali, mandibulisque medio, albidis. *Thorax* colli margine supero, puncto dorsali, linea ante alas, puncto seu lineola sub alis, puncto infra scutellum, maculisque seu punctis duobus vel circulo in declivi metathoracis parte, albidis; linea ante alas interdum obsoleta, rarius plane extincta; metathorace rarius toto nigro. *Scutellum* apice albo. *Alae* hyalinae, margine apicali fumatohyalinae, radio et stigmate nigris,

radice picea aut albida, squamula nigra interdum puncto albo; cellula interiore nervi dividentis vestigio, areola quinqueangulari aut subquadrata. *Pedes* coxis vel omnibus badiis macula nigra, vel anterioribus nigris; posticis nigris macula castanea; trochanteribus nigris; femoribus rufis, tibiis anterioribus rufis, interne plerumque flavicantibus, posticis nigris, basin versus castaneis; tarsis subfuscescentibus, posticis nigris articulis 2—4 albis, 2 interdum basi nigra. *Abdomen* rufum aut castaneum, segmento 1 interdum petiolo nigro, rarius segmentis 3—7 nigrocastaneis.

Nonnulla individua, circa *Warmbrunn, Niesky, Sickershausen* lecta, mihi transmissa sunt; unum ipse cepi mense Iunio in fruticeto prope *Barterodam.*

Cryptus.

82. C. ALBATORIUS.

> Segmentis 2—7 rufis; tibiis anterioribus femoribusque rufis, horum posticis basi nigris; facie, tarsis posticis, thoracis et coxarum anteriorum picturis, albis. m.

Longitudo $4\frac{1}{2}$—$5\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* facie, orbitis oculorum externis et frontalibus, mandibulisque, flavoalbidis, harum apice fusco, palpis albidis aut ferrugineis; interdum linea obliqua abbreviata faciei, utrimque ad latera clypei, nigra. *Antennae* setaceae porrectae, fere corporis longitudine, articulo 1 subtus albido. *Thorax* gibbus, subgriseopubescens; colli margine supero et la-

terali, linea suturali ante alas, lineola infra alas, interdum etiam puncto sub alis posticis, alboflavis. *Scutellum* vel totum vel solo apice alboflavum. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice picea, squamula alba aut flavicante; cellula interiore nervi dividentis initio, areola quinqueangulari. *Pedes* elongati; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, subtus albis aut albomaculatis; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis basi, ut plurimum quoque summo apice, nigricantibus, tibiis nigris aut nigricantibus, tarsis sordide albis, articulo 5 et basi primi nigricantibus. *Abdomen* capite thoraceque duplo fere longius, dimidio thorace angustius, cylindricum aut subclavatum, apicem versus plerumque compressum aut subcompressum, rufum; segmento 1 nigro sublineari, parte antica vix paulo latiore at fere dimidio breviore quam petiolus, latitudine fere duplo longiore, apice rufo, tuberculis lateralibus prominulis; 5—7 interdum dorso fuscescente.

Quaedam cepi individua circa *Vratislaviam*, mensibus Iunii et Iulii in fruticetis; alia, circa *Warmbrunn*, *Hannoveram*, *Meiningen*, *Vindobonam* lecta, mihi transmissa sunt; *lusitanica* vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

Synonyma:

Ichn. albatorius Villers p. 156, n. 63; habitat in Bressiae nemoribus.

Ichn. albatorius Olivier p. 214, n. 44; habitat in Gallia, circa Lugdunum.

Nota:

Haud confundendus cum *Ichn. albatorio* Müll. abdomine nigro; albomaculato; nec cum *Ichn. albatorio* Fabr. et Thunb. abdomine nigro, segmentorum marginibus albis, ex India.

Conferas notam ad *Crypt. assertorium*, n. 50.

83. C. LEUCOSTICTUS. n.

Segmentis 2—7 rufis; femoribus rufis, posticis basi nigra; tibiis rufis, posticis apice nigro; puncto infra alas, annulo tarsorum posticorum, picturis faciei et coxarum anticarum, albis. m.

Statura et proportio partium praecedentis. *Longitudo* 3½ linearum. *Caput* palpis piceis; orbitis oculorum internis et externarum parte, puncto faciali, clypeo et mandibulis, albis, his basi et apice nigris. *Antennae* articulo 1 subtus albo. *Thorax* colli margine supero et puncto infra alas albis. *Scutellum* apice albo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice picea, squamula alba; cellula interiore nervi dividentis vestigio, areola subtriangulari. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, anticis subtus albis; femoribus posticis, interdum etiam anterioribus, basi nigris; tibiis posticis nigris, basin versus ferrugineis; tarsis anterioribus testaceis

aut testaceofuscis, posticis nigris, articulis 2—4 albis, 2 interdum basi nigra. *Abdomen* rufum; segmento 1 nigro, apice distinctius aut obsoletius rufo.

Mares duos *genuenses a Spinola* mecum communicavit.

84. C. TIBIATOR. n.

Abdominis medio, femoribus tibiisque anterioribus, rufis; segmenti primi margine et tibiarum posticarum basi albis. m.

Longitudo 3⅔ linearum. *Caput* palpis pallidis. *Antennae* filiformes, porrectae, corpore paulo breviores. *Thorax* gibbus. *Scutellum* puncto apicali et lineola transversa sub scutello sordide albidis. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice flavicante; areola subquadrata. *Pedes* graciles, coxis et trochanteribus nigris, horum anterioribus apice testaceo; femoribus anterioribus rufis, mediis apice nigricante, posticis nigris basi rufa; tibiis anticis rufis, mediis fuscescenti-rufis basi summa albida, posticis nigris basi summa albida spinis apicalibus rufescentibus; tarsis fuscescentibus, articulorum apicibus summis rufescentibus. *Abdomen* capite thoraceque longius et paulo angustius; segmentis 3—6 subaequilatis; 1 nigro, margine albido, parte antica subquadrata, latitudine parum longiore, paulo latiore at fere dimidio breviore quam petiolus, tuberculis late-

ralibus acute prominentibus; 2 basi nigra apice rufo; 3 et 4 rufis, basi summa fuscescente; 5—7 nigris.

Marem unicum cepi die 12 Iulii in umbellatis prope *Barterodam*.

85. C. PYGOLEUCUS. n.

Abdominis medio, tibiis anterioribus, femoribusque rufis, horum posticis apice nigro; macula anali, nec non tibiarum posticarum basi, albis. m.

Statura et proportio partium praecedentis; sed abdomine graciliore, antennis paulo longioribus.

Longitudo $2\frac{2}{3}$ linearum. *Antennae* vix corpore paulo breviores. *Thorax* lineola infra scutellum, plerumque altera sub alis, albis. *Scutellum* apice albo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice pallidetestacea, squamula alba, areola subquadrangulari. *Pedes* anteriores fulvi, coxis et trochanteribus nigris, his apice albido; postici nigri, femoribus basin versus rufis, tibiis basi alba. *Abdomen* gracile; segmentis 2—6 aequilatis; 1 nigro, apice albido; 2 nigro, apice rufo; 3 et 4 rufis, plerumque basi nigra; reliquis nigris, 7 macula dorsali alba aut subtestacea.

Individuum unum *Scheidnichianum* domi ad fenestras cepi; duo alia *Pedemontana* sunt, quorum

alterum lineola alba infra alas deficiente et segmentis 3 et 4 totis rufis differt.

86. C. ISCHIOLEUCUS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis anterioribus albis; pedum posticorum tarsis et tibiarum basi albis, femoribus rufis apice nigro; facie et thorace albopictis. m.

Statura et proportio partium omnino praecedentis; abdomine vix paulo breviore.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* ore et facie albis, hac lineis duabus longitudinalibus nigris. *Antennae* articulo 1 subtus albo. *Thorax* colli margine supero, lineola infra alas, altera sub scutello, punctisque duobus metathoracis supra petiolum, albis. *Scutellum* apice albo. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula albis, areola quadrangulari. *Pedes* anteriores fulvi, coxis trochanteribus nec non tibiarum basi albis; postici coxis nigris, trochanteribus nigris subtus albis, femoribus fulvis apice nigro, tibiis fuscis basi alba, tarsis albis articulis 1 et 5 fuscis. *Abdomen* capite thoraceque longius et angustius; segmento 1 sublineari, parte antica rufa, latitudine duplo longiore, paulo latiore et breviore quam petiolus fuscus; 2—4 rufis; 5 rufo apice nigro; sequentibus nigris, 7 dorso albo.

Unicum marem *Richter* cepit in *Silesiae Sudetis.*

Nota:

Cr. ischioleucus, *pygoleucus*, n. 85, *tibiator*, n. 84, et *migrator*, n. 119, habitu multum inter se congruunt, ut diu ambiguus haeserim, nonne potius pro meris varietatibus unius ejusdemque speciei agnoscendi essent.

SECTIO V.

Scutello nigro; abdomine rufo aut rufo nigroque.

Scutellum rarissime puncto albo aut rufo notatum est (varietatibus *Cr. migratoris* et *Dianae*), quo haec sectio praecedenti adpropinquat. — De *coloribus abdominis* idem monendum est, quod jam ad sectionem quartam indicavi. Color rufus interdum in castaneum, rarius in fulvum, vergit. *Cr. tricinctus, marginellus,* nec non varietas *pellucidatoris,* abdomine nigro, segmentis intermediis rufo- aut testaceo-pictis, sectioni primae adpropinquant; *Cr. macilentus* autem, colore segmentorum intermediorum nonnunquam ambiguo fuscescente, antea sectioni primae consociatus erat.

E *sectione* 1 varietates *Cr. macrobati, spiralis, grisescentis,* nec non *Cr. bilineatus,* segmentis quibusdam pro parte rufis aut badiis, huc spectant. E *sectione* 4 *Cr. confector,* scutello fere toto nigro, ad hanc sectionem referri posset. — E *sectione* 6 autem *Cr. praedator,* thorace et scutello totis nigris, forsan melius cum sectione 5 jungeretur.

Cryptus.

87. C. TENUIS. n.

Capite thoraceque argenteosericeis; segmentis 2—7 femoribusque posticis rufis; pedibus anterioribus stramineis. m.

Statura graciliore, imprimis pedibus tenerrimis, a cospeciebus hujus sectionis distinguitur.

Longitudo 4 linearum, aut paulo brevior. *Caput* thorace paulo latius, imprimis facie et genis argenteosericeum; palpis stramineis, mandibulis medio rufis. *Antennae* filiformes, tenues, dimidio corpore longiores, subtus testaceae aut rufescentes. *Thorax* gibbulus argenteosericeus. *Alae* subfumatohyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula testaceis aut stramineis, areola quinqueangulari. *Pedes* graciles; anteriores straminei; postici rufi, tarsis et tibiis, plerumque summa femorum basi et trochanterum apice, nigricantibus. *Abdomen* capite thoraceque fere duplo longius, dimidioque angustius, apicem versus sensim paulo dilatatum; segmento 1 lineari, interdum subcanaliculato, nigro, apice rufo, parte antica latitudine triplo longiore, longitudine et latitudine petioli, tuberculis lateralibus distinctis; sequentibus rufis, 7 subfuscescente.

Mares tres cepi die 25 Iunii prope *Scheidnich*, in loco graminoso frutetoso.

Cryptus,

88. C. DIANAE. n.

Abdomine medio rufo; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro. m. f. (*Mas* picturis capitis et annulo tarsorum posticorum albis; *femina* annulo antennarum albo).

Statura et proportio partium omnino *Cr. minatoris* et *spinosi*, n. 94 et 95; thorace autem gibbosiore, alis plerumque amplioribus.

Longitudo maris $3\frac{3}{4}$—$4\frac{3}{4}$, feminae $3\frac{1}{3}$—5 linearum. *Caput maris* orbitis oculorum internis, macula faciei alteraque clypei, labro, palpis, mandibulisque albis, his apice nigro; *feminae* vel totum nigrum, vel orbitis oculorum internis frontis et verticis albis tenuissimis. *Antennae maris* articulo 1 subtus puncto albo; *feminae* articulis 6—8—9 supra albis. *Thorax* gibbus, tuberculis duobus acutiusculis metathoracis, interdum obsoletis; mari ut plurimum puncto parvo ante alas, altero sub alis, tertio ad colli marginem lateralem, albis, uno alterove interdum obsoleto. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae aut fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis seu ferrugineis, stigmate feminae rarius testaceo, radice feminae fusca aut ·btestacea, maris albida, squamula feminae fusca, ·ris albida; areola quinqueangulari aut fere sub·gulari. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus ·, anticis autem, nec non trochanteribus me·mari subtus albis; femoribus posticis plerum· geniculo nigro; tibiis posticis apice nigro,

mari plerumque nigricantibus; tarsis posticis feminae fuscis, maris albis basi et apice (vel articuli primi basi et articuli quinti apice, vel his articulis totis, interdum quoque secundi basi) nigris. *Abdomen* segmento 1 maris nigro apice rufo, feminae rufo petiolo nigro; 2 et 3 rufis, 3 feminae interdum margine fusco; sequentibus nigris aut fuscis, 4 feminae saepius rufo aut rufofulvo. *Aculeus* abdomine paulo brevior.

Marem unicum *Roentgen* cepit mense Iunio in *Hercynia;* feminae nonnullae, circa *Warmbrunn, Norimbergam, Sickershausen, Vindobonam, Parmam,* et in *Tauria* lectae, mihi transmissae sunt.

Varietates:

1. *Mas: femoribus posticis totis nigris.* — *Abdomen* segmentis 2—6 castaneis, dorso obscurioribus. — Caetera sicut in mare genuino.

Individuum unicum vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

2. *Mas: Femoribus posticis externe nigris; segmentis 2—7 rufis.* — *Caput* nigrum, solis orbitis oculorum internis albis. *Thorax* totus niger. *Alarum* radix et squamula totae nigrae. *Coxae* et *trochanteres* toti nigri. — Caetera mari genuino respondent.

Hunc marem *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

3. *Scutelli apice colorato; mas* et *femina.* — *Scutellum* maris puncto albo, feminae apice casta-

neo. *Abdomen* maris segmentis 2—7 totis rufis. — Caetera ad speciem genuinam quadrant.

Mares duos *austriacos Dahl* mihi transmisit; feminam ipse cepi die 24 Iulii in umbellatis prope *Helmstadium*.

89. C. GRACILIPES. n.

Abdominis medio rufo; pedibus anterioribus rufis, coxis et trochanteribus albis; posticis femoribus rufis, tarsis annulo albo; ore et orbitis oculorum internis albis. m.

Statura et proportio partium omnino *Cr. stenogastri*, n. 77.

Longitudo 4 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis, ore et clypeo flavoalbis, mandibularum basi et apice nigris. *Thorax* puncto flavo sub alis. *Alae* subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis; cellula interiore nervi dividentis vestigio obsoleto, areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores coxis nigris apice albido, trochanteribus totis albidis; postici coxis et trochanteribus nigris, tibiis subfuscescentibus, tarsis albidis, articulis 1 et 5 fuscis. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice rufo; 2 et 3 rufis, basi subfuscescente; 4 nigro, macula dorsali transversali rufa; reliquis nigris.

Marem unicum, prope *Norimbergam* captum, *Sturm* mihi transmisit.

Nota:

Hic mas forsan est varietas *Cr. leucostomi*, n. 78.

90. C. CALESCENS. n.

Segmentis 2 et 3 pedibusque rufis, trochanteribus et coxis nigris. f.

Statura et proportio partium speciei sequentis, sed areola minus angusta.

Longitudo 6—7 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis et externis tenuissimis rufis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris, areola quinqueangulari. *Pedes* rufi, femoribus fulvis, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* segmentis 2 et 3 rufis. *Aculeus* abdomine brevior.

Feminas nonnullas *pedemontanas* *Bonelli* transmisit.

91. C. OBSCURUS.

Abdomine rufo basi nigra; tibiis anterioribus femoribusque rufis. m. f. (*Mas* tarsis posticis annulo albo).

Longitudo maris 5—7⅓, feminae 3½—7 linearum. *Caput maris* palpis fuscis aut exalbidis, mandibulis plerumque macula albida, labro testaceo aut piceo, interdum puncto clypei, alteroque faciei, pallidis obsoletis, orbitis oculorum

albis, occipite interruptis; *feminae* interdum orbitis oculorum tenuissimis, aut vestigio earum, pallidis, palpis interdum ferrugineofuscis. *Antennae maris* porrectae, setaceae, corpore breviores aut fere ejus longitudine, interdum articulo 1 subtus albo; *feminae* gracillimae, multo graciliores quam mari, corpore paulo breviores, apice curvatae. *Thorax* maris gibbus, feminae gibbulus aut gibbulocylindricus, metathorace plerumque tuberculis duobus acutiusculis; puncto albido aut ferrugineo, interdum obsoleto, infra alas. *Alae* magis minusve fumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris aut fuscis, hac mari interdum puncto albo, radice fusca aut ferruginea, mari interdum testacea; areola quinqueangulari, interdum subtriangulari. *Pedes* graciles longi rufi, interdum fulvi aut subcastanei; coxis et trochanteribus nigris, anticis feminae rarius badiis, trochanteribus anticis mari interdum subtus lineola alba; femoribus posticis mari interdum basi nigra; tibiis posticis fuscis, basin versus aut subtus interdum castaneis aut ferrugineis; tarsis posticis fuscis, articulis 2—4 aut 3 et 4 feminae interdum ferrugineis, maris semper albis. *Abdomen maris* thorace fere duplo longius et dimidio angustius, elongato- aut sublineari-fusiforme; segmento 1 distinctius aut obsoletius canaliculato, sublineari, parte antica parum latiore pauloque breviore quam petiolus, latitudine fere duplo longiore; *feminae* capitis thoracisque longitudine vel paulo longius, plerumque thorace paululum angustius, fusiforme aut oblongoovatum;

segmento 1 petiolo lineari, parte antica apicem versus sensim dilatata, fere duplo latiore et dimidio breviore quam petiolus, latitudine longitudinis; maris et feminae rufum aut castaneum, segmento 1 nigro, apice interdum rufo aut castaneo, ultimis mari plerumque subfuscomaculatis. *Aculeus* interdum fere abdominis longitudine, interdum vix dimidio abdomine longior; niger, terebra rufa.

Mares quosdam, circa *Vratislaviam, Warmbrunn, Parisios, Genuam* et in *Regione Pedemontana* captos, accepi. Feminam die 1 Octobris prope *Scheidnich* in rubetis cepi; plures aliae, passim in *Silesia*, nec non circa *Gottingam, Trajectum ad Moenum, Sickershausen, Norimbergam, Niesky,* in *Austria Tauria* et *Fennia* lectae, mihi transmissae sunt.

Varietates:

1. *Femoribus posticis vel totis vel magnam partem nigris.* m. f. — *Longitudo* maris 6—7, feminae 4—6 linearum. *Caput maris* palpis, labro, macula mandibularum alteraque clypei, orbitis oculorum, ad occiput interruptis, plerumque puncto faciei, albis; *feminae* orbitis oculorum internis et externis interdum tenuibus albis. *Antennae* maris articulo 1 subtus albo. *Thorax* vel totus niger vel puncto aut lineola parva alba infra alas. *Alae* stigmate radio radice et squamula fuscis aut nigris, hac mari puncto albo; areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores rufi, coxis et tro-

chanteribus nigris, horum anticis, rarius quoque mediis, mari subtus macula aut linea alba, femoribus rarius totis rufis, plerumque mediis, vel etiam anticis, externe plus minus nigricantibus; postici nigri, femoribus interdum interne et superne plus minus rufis aut castaneis, tarsis maris articulis 2—4 albis. *Abdomen* segmento 1 nigro, feminae margine rufo; sequentibus rufis aut rufocastaneis, mari interdum 4—7 aut omnibus supra fuscone-bulosis. *Aculeus* fere abdomine dimidio paulo brevior.

Mares nonnulli, in *Carinthia Genua* et *Regione Pedemontana*, feminaeque, circa *Möckern*, *Trajectum ad Moenum* et in *Volhynia*, lecti, mihi transmissi sunt.

2. *Femoribus posticis vel totis vel magnam partem, anoque, nigris.* m. — *Longitudo* 7—7⅓ linearum. *Caput* palpis fuscis aut testaceis, labro fulvo aut rufescente; interdum puncto mandibularum albido et vestigio obsoleto orbitarum internarum pallidarum. *Antennae* interdum articulo 1 subtus puncto testaceo. *Alae* stigmate fusco aut ferrugineo, radio fusco, radice vel fusca vel exalbida apice fusco, squamula nigra; areola quinque-angulari aut subquadrata. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus mediis ut plurimum externe nigricantibus, tarsis interdum articulis 2—4 albidis; postici nigri, femoribus interdum rufis superne apicem versus nigricantibus, tarsis articulis 2—4 aut 3 et 4 albis. *Abdo-*

men vel *a*) segmentis 1 et 2 nigris, hoc apice rufo, 3 rufo basi nigra, 4 et 5 rufis, 6 rufo dorso nigro, 7 toto nigro; vel *b*) segmento 1 nigro, 2 rufo dorso basin versus nigricante, 3 rufo, 4—6 rufis macula dorsali irregulari nigra, 7 toto nigro.

Individua quaedam, circa *Gottingam, Meiningen, Genuam* et in *Regione pedemontana* lecta, mihi transmissa sunt; *genuense* femoribus posticis maximam partem rufis, abdomineque sub *b* descripto, a reliquis discrepat.

Synonyma maris:

Ichn. obscurus Gmel. ed. Linn. p. 2704, n. 315 (? pedibus anterioribus flavescentibus basi ferrugineis, femoribus posticis nigris, tibiis ferrugineis apice fuscescentibus, plantis posterioribus albis. Leske) — haud *Ichneum. obscurus* reliquorum auctorum.

Nota:

1. Quaeritur, an mares et feminae descripti juste ad unam eandemque speciem redacti sint? Feminae plurimae maribus multo minores sunt et areola multo minore et angustiore ab eis discrepant. Ex Italia autem, unde multos mares accepi, nulla femina ad me pervenit. — Mares descripti etiam cum femina *Cr. sponsoris*, n. 93, copulari possent.

2. Ex observatione quadam, in schedulis meis notata, larva feminae hujus Crypti degit in *larva Bombycis quernae;* nescio autem unde hanc notitiam hausi.

92. C. GRACILICORNIS. n.

Segmentis 1—4 dilute rufis; femoribus tibiisque dilute rufis, posticis apice nigro. f.

Statura et proportio partium feminae praecedentis, sed thorace paululum gibbosiore, abdomine paululum breviore.

Longitudo 5 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis et externis tenuissime albicantibus. *Thorax* gibbus, metathorace tuberculis duobus acutiusculis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice fusca, squamula nigra; cellula interiore nervi dividentis vestigio, areola quinqueangulari subtriangulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici praeterea geniculis nigris, tarsis et tibiarum apice fuscis. *Abdomen* capitethoraceque paulo longius, thoracis latitudine, oblongoovatum rufum, petiolo nigro; segmentis 5—7 nigris, marginibus obsolete pallidioribus. *Aculeus* abdomine paulo brevior.

Feminam unicam *austriacam Dahl* transmisit.

Nota:

An *Ichn. denticulator* Müll. Prodr. n. 1841? (apice abdominis maculis duabus albis) — sed *Ichn. denticulator* Thunb. longe differt.

93. C. SPONSOR.

Pedibus abdomineque rufis; petiolo, macula coxarum, tarsis posticis, apice tibiarum posticarum, nigris; antennarum annulo albo. f.

Statura et proportio partium *Crypt. Dianae*, n. 88, antennis autem aliquanto brevioribus et crassioribus.

Longitudo 4—6½ linearum. *Caput* orbitis oculorum internis tenuissime obsolete pallidis. *Antennae* dimidio corpore longiores, apice incurvae setaceae; articulis 8—11, aut nonnullis eorum, rarius 9 solo, supra albis. *Thorax* gibbus aut gibbulus, metathorace interdum subbituberculato aut subspinoso. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula fuscis, areola quinqueangulari aut subquadrata. *Pedes* subgraciles longi, rufi aut rufocastanei; trochanteribus et coxis nigris, harum posticis, vel etiam mediis et anticis, macula castanea, interdum autem rufis macula nigra; tibiis posticis vel fulvis aut castaneis apice nigricante, vel nigris basin versus badiis; tarsis plerumque fuscoferrugineis articulo 1 fusco. *Abdomen* ovatum aut subfusiforme, capite thoraceque vix paulo longius pauloque angustius, aut latitudine thoracis, castaneorufum aut fuscocastaneum; segmento 1 parte antica apicem versus sensim paulo dilatata, longitudine latitudinis, duplo latiore et breviore quam petiolus, rarius toto nigro, plerumque petiolo solo nigro; rarissime etiam basi

segmenti 2 nigra. *Aculeus* abdomine brevior aut fere ejus longitudine.

Feminae nonnullae, passim in *Silesia*, nec non circa *Vindobonam*, *Friburgum*, *Sickershausen* et *Hannoveram* captae, mecum communicatae sunt. *Hartliebio* teste haec species prodibat e larva *Noctuae valligerae*.

Varietates:

1. *Coxis et trochanteribus totis rufis.* — *Longitudo* 4 linearum. — Caetera ut in plurimis feminis genuinis.

Unum individuum *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

2. *Coxis totis nigris.* — *Longitudo* 6½—7 linearum. — Caetera feminae genuinae respondent.

Duo individua, circa *Hannoveram* et *Parisios* capta, *Hegewisch* et *Desmarest* mecum communicaverunt.

3. *Antennis totis nigris.* — *Longitudo* 4¼ — fere 5 linearum. *Caput* totum nigrum. *Antennae* articulo 10 puncto obsoletissimo albo. — Caetera sicut in feminis genuinis.

Unam cepit *Richter*, mense Iulio circa *Fürstenstein*; duas *ab Uechtritz* mense Iunio in umbellatis circa *Warmbrunn* et *Meffersdorf*.

Synonyma:

Ichn. sponsor Fabr. Ent. II. pag. 153, n. 84 (ubi autem pro *abdomine nigro* legendum est

abdomine rubro, secundum lectionem in Syst. Piezator. emendatam).

Cryptus sponsor Fabr. Piez. p. 83, n. 50.

Ichn. regenerator Panzer ad Schaeff. Ic. tab. 119, fig. 4 (aculeo abdomen longitudine paululum excedente).

Nota:

1. Conferre velis notam ad *Crypt. obscurum,* n. 91.

2. De *Ichn. sponsore* Thunb. Ichn. n. 90, dubius sum, num huc referri possit, cum auctor speciatim frontis nigrae mentionem fecerit. — *Ichn. regenerator* Fabr. autem ad genus *Tryphonum* redactus est, cujus speciem 43 comparare velis.

Cryptus.

94. C. MINATOR. n.

Abdominis medio, tibiis anterioribus, femoribusque, rufis; orbitis oculorum internis albis. m. f. (*Mas* annulo tarsorum posticorum et picturis faciei albis; *femina* annulo antennarum albo).

Statura et proportio partium feminae sicut in specie praecedente; sed antennis paulo gracilioribus, areola apicem versus magis angustata. Mas statura est gracilior quam femina, antennis autem crassioribus.

Longitudo maris 3 ⅓, feminae 2 ½ — 3 ⅓ linearum. *Caput feminae* orbitis oculorum internis pallidis tenuissimis; *maris* orbitis internis, macula

faciei alteraque clypei, labro palpis et mandibulis, albis, his apice nigro. *Antennae* fere corporis longitudine, *maris* porrectae, articulo 1 subtus macula alba, *feminae* graciliores, apice curvato involutae, articulis 7—9—10 tribus lateribus albis. *Thorax* feminae tuberculis duobus subacutiusculis metathoracis, interdum obsoletis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et radice fuscis aut piceis, squamula fusca aut nigra; areola quinqueangulari, fere triangulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, anticis maris subtus puncto albo; postici tibiis et tarsis fuscis, his mari articulis 3 et 4 albidis, femoribus maris superne nigricantibus. *Abdomen maris* capite thoraceque longius et angustius, a basi ad segmentum 5 usque sensim paulo incrassatum; segmento 1 laevi nigro angusto sublineari, apicem versus vix aliquanto latiore, parte antica latitudine longiore at fere dimidio breviore quam petiolus, tuberculis lateralibus prominentibus; 2—4 rufis, 5—7 fuscis; *feminae* rufum aut castaneum; segmento 1 vel toto fuscocastaneo aut nigro, vel apice rufo; 6 et 7 vel totis fuscis vel fuscomarginatis. *Aculeus* abdominis longitudine aut paulo brevior.

Marem unicum *Roentgen* cepit die 31 Maji in vallo *Gottingensi*. Feminae nonnullae, circa *Warmbrunn Niesky* et *Genuam* captae, mihi transmissae sunt; warmbrunnensis, omnium minima, stigmate piceo, segmento 1 toto nigro, aculeo breviore, cellula cubitali intermedia magis quinqueangulari, a reliquis differt.

Varietas maris:

1. *Femoribus nigris, anterioribus subtus testaceis.* — *Longitudo* fere 5 linearum. *Pedes* nigri, anteriores tibiis et femorum latere interno testaceis, tarsis fuscescentibus; postici articulis 2—4 tarsorum albis. *Segmentum* 1 paulo crassius quam in mare genuino. — Caetera huic respondent.

Unicum marem *pedemontanum Bonelli* mecum communicavit.

95. C. SPINOSUS. n.

Metathorace bispino; abdomine rufo; orbitis oculorum internis et annulo antennarum albis. m. f. (*Mas* pedibus nigris, tibiis anticis subtus ferrugineis; *femina* femorum latere infero, tibiisque anterioribus, rufescentibus).

Statura et proportio partium speciei antecedentis, sed metathorace bispino differt.

Longitudo $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* orbitis oculorum internis tenuissimis flavoalbidis. *Antennae* articulis 7—8—9 tribus lateribus albis. *Thorax* metathoracis spinis duabus acutis. *Alae* fumatohyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris aut fuscis; areola quinqueangulari aut subtriangulari. *Pedes maris* nigri, tibiis anticis subtus fuscoferrugineis; *feminae* coxis et trochanteribus nigris; femoribus vel nigris, latere infero toto aut tantum apicem versus castaneo seu ferrugineo, vel anticis rufotestaceis, supra imprimis basin versus nigris, mediis vel sicut

antica, vel nigris, subtus apicem versus testaceis aut ferrugineis, posticis nigris, lateribus, praecipue apicem versus, badiis; tibiis anticis badiis aut ferrugineis aut testaceorufis, externe interdum fuscis, mediis rarius totis nigris, plerumque interne rufotestaceis externe fuscis, interdum totis castaneis aut ferrugineis, posticis nigris aut fuscis; tarsis fuscis, anterioribus pallidioribus. *Abdomen* castaneum aut rufum; segmento 1 vel fere toto, vel solo petiolo, nigro aut nigricante. *Aculeus* vel abdominis longitudine vel paulo brevior, niger, terebra rufa.

Marem unicum, e *Gallia meridionali*, vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg*. — Feminam unicam cepi prope *Vratislaviam;* plures autem, circa *Montem pessulanum*, *Parisios*, *Genuam* et in *Regione Pedemontana* captae, mihi transmissae sunt.

96. C. ITALICUS. n.

Segmentis 2—7 rufis; tibiis anterioribus subtus albidis. m. f. (*Mas* tarsis posticis albis; *femina* antennarum annulo albo).

Statura et proportio partium *Cr. minatoris*, segmento 1 autem angustiore.

Longitudo maris 3½ — fere 5, feminae 4 linearum. *Caput* labro stramineo, vestigio orbitarum albidarum. *Antennae* feminae articulis 8—10—11 supra albis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate

radio et squamula nigris aut fuscis, radice picea aut fusca; areola parva quinqueangulari. *Pedes maris* nigri; anteriores femoribus apice, seu latere interno toto, ferrugineis, tibiis interne albis, tarsis subpiceis; postici tarsis albis, basi apiceque nigris, femoribus plerumque interne castaneis; *feminae* trochanteribus et coxis nigris; femoribus rufis aut castaneis, externe nigris, posticis interdum fere totis nigris; tibiis fuscis, anterioribus latere altero testaceis aut stramineo-ferrugineis; tarsis fuscis, posticis supra albis. *Abdomen* castaneum aut rufum, maris plerumque dilutius; segmento 1 maris et feminae nigro, lineari, parte antica longitudine petioli eoque paulo latiore, feminae canaliculato; 3—7 individui maris, abdomine castaneo distincti, basin versus nigricantibus. *Aculeus* fere abdominis longitudine.

Nonnullos mares et feminas, in *Etruria Genua* et *Regione Pedemontana* captos, accepi.

Cryptus.

97. C. ANALIS.

Segmentis 2—4 rufis; tibiis anticis, seu anterioribus, rufis. m. f. (*fem.* annulo albo antennarum).

Statura maris multo gracilior est quam feminae. — *Longitudo* maris $2\frac{1}{2}$—5, feminae $2\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ linearum. *Antennae* subfiliformes; *mari* dimidio corpore longiores, porrectae; *feminae* dimidio corpore paulo longiores, apice incurvae, articulis 7—12, vel eorum plurimis, rarissime

6—12, aut solis 10 et 11, tribus lateribus albis. *Thorax* gibbus aut gibbulocylindricus. *Alae* subfumatohyalinae aut fumatohyalinae; stigmate et radio nigris, rarius fuscopiceis; radice feminae nigra, maris plerumque straminea; squamula nigra; areola quadrata aut subquinqueangulari. *Pedes* mediocres, elongatuli, maris graciliores, nigri; femoribus anterioribus apicem versus plus minus rufescentibus, interdum fere totis rufis aut ferrugineis, basi sola superne nigra, mediis feminae rarius totis nigris, posticis maris ut plurimum summa basi, vel etiam geniculis, rufis; tibiis anterioribus rufofulvis aut ferrugineis, apice et latere externo plerumque fuscescentibus, praeprimis in feminis, mediis feminae totis nigris aut fuscis, posticis interdum basin versus ferrugineis aut rufescentibus; tarsis anticis maris rufis aut rufofulvis, feminae anterioribus fuscis aut nigris, mediis maris vel totis rufis vel fuscescentibus, rarissime articulis 3 et 4 albidis, posticis maris saepius artic. 3 et 4, interdum etiam apice secundi, albentibus. *Abdomen maris* elongatum, capite thoraceque longius, rarissime eorum longitudine, thorace multo angustius, *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum; segmento 1 *maris* sublineari, nigro, plerumque apice rufo, imprimis in individuis majoribus, parte antica latitudine interdum duplo longiore, parum latiore at fere dimidio breviore quam petiolus, *feminae* rarius fere toto rufo aut nigro, plerumque petiolo nigro, apice rufo, parte antica ple-

rumque subquadrata, apicem versus sensim paulo dilatata, interdum latitudine paulo longiore, breviore et latiore quam petiolus, ut plurimum duplo latiore quam hic; 2—4 rufis, rarius castaneis, 4 interdum margine seu ante marginem seu dimidio nigro; reliquis nigris, 5 interdum basi rufa. *Aculeus* abdominis sextante brevior.

Mares et feminas copiosos legi, mensibus Maji—Augusti, circa *Vratislaviam, Warmbrunn, Gottingam, Oedelem, Helmstadium*, et in *Hercynia*, praesertim in umbellatis, sed etiam in gramine et fruticetis; plures in *Bavaria, Regione Pedemontana, Genua, Etruria, Volhynia* capti, mihi transmissi sunt; praetereaque mares quosdam, circa *Sickershausen, Vindobonam, Trentschin, Teplitz* et in *Tauria*, feminasque circa *Hannoveram, Friburgum, Cracoviam*, nec non in *Hungaria* et *Gallia*, captos, accepi.

Varietates:

1. *Segmento quarto toto nigro.* f. — *Segmento* 3 badio, margine nigro; 4 vel toto nigro vel basi badio. — Caetera feminis genuinis pluribus respondent.

Duo individua circa *Warmbrunn* capta sunt.

2. *Femoribus posticis subtus rufis.* m. — *Longitudo* 3—4 linearum. *Pedes* anteriores rufi, coxis trochanteribus et femorum basi nigris, tarsis mediis, vel etiam anticis, fuscis; postici nigri, femoribus subtus rufis, tibiis nigrofuscis,

plerumque basin versus rufis aut ferrugineis, tarsis fuscis, articulo 3 interdum supra albo. — Caetera sicut in maribus plurimis genuinis.

Unum, idque articulo 3 tarsorum posticorum albo, *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* duo individua ipse, cum pluribus genuinis, prope *Gottingam*, uno eodemque die et loco, in umbellatis legi, quorum maximum, tibiis posticis totis nigris, se distinguit.

3. *Femoribus anticis totis rufis.* m. — *Pedes antici* rufi, aut rufofulvi, solis coxis et trochanteribus nigris. — Caetera ut in maribus genuinis.

4. *Segmento 4 toto nigro.* m. — *Longitudo* 2½ linearum. *Tarsi medii* rufi, articulis 3 et 4 albis, 5 fusco. *Abdomen* nigrum; segmentis 2 et 3 totis, 1 apice, rufis. — Caetera sicut in pluribus maribus genuinis.

Unum marem *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

Synonyma maris:

Bassus analis Gravenh. Uebers., n. 3781.

Nota:

Feminae hujus speciei vix a feminis speciei sequentis discerni possunt; mares autem ambarum specierum satis inter se differunt, abdominis forma et proportione.

Cryptus.

98. C. TITILLATOR.

Segmentis 2 et 3, nec non apice primi, rufis; tibiis anticis rufis. m. f. (*Mas* tarsis posticis annulo albo; *femina* antennis alboannulatis).

Statura et proportio partium feminae sicut in specie antecedente; sed aculeo longiore, plerumque antennis gracilioribus et segmento 1 angustiore. Mas abdomine latiore a praecedente differt.

Longitudo maris $2\frac{1}{3}$ — fere 5, feminae $2\frac{4}{5}$ — 5 linearum. *Antennae* feminae paulo graciliores quam maris, articulis 9—11—12 aut 10 et 11 supra distinctius aut obsoletius albis. *Thorax* gibbus. *Alae* fuscohyalinae aut subhyalinae, stigmate radio et squamula nigris aut fuscis, radice fusca aut ferruginea; areola quadrata majore. *Pedes* nigri; femoribus anterioribus plerumque inferne et apice plus minus rufis aut ferrugineis, anticis interdum fere totis rufis, posticis nonnunquam summa basi summoque apice ferrugineis; tibiis anticis ferrugineis aut rufis, mediis rarius totis nigris, plerumque ferrugineis aut rufis supra fuscescentibus; nonnunquam totis rufis; tarsis anticis rarius totis fuscis, plerumque ferrugineis apice fuscescente, mediis fuscescentibus, articulis 2—4 maris plerumque albis, posticis nigris, articulis 2—4 aut 3 et 4 maris, rarius etiam feminae, al-

bis. *Abdomen maris* capite thoraceque paulo longius et angustius, fusiforme; segmento 1 parte antica quadrata, paulo latiore et dimidio breviore quam petiolus, tuberculis lateralibus plerumque acute prominentibus; *feminae* capite thoraceque paulo longius et angustius, seu thoracis latitudine, fusiforme aut ovatum, segmento 1 parte antica convexiore quam in mare, latitudine paulo longiore, breviore et paulo latiore quam petiolus, tuberculis lateralibus subprominulis; mari et feminae segmento 1 plerumque rufo petiolo nigro, rarius fere toto nigro; 2 et 3 rufis; 3 interdum dorso seu apice nigro aut fuscescente; reliquis nigris, 3 nonnunquam basi rufa. *Aculeus* longitudine partis tertiae aut quartae abdominis.

Mares et feminas legi mense Iulio circa *Helmstadium* in umbellatis; praeterea mares nonnullos, mensibus Iunii et Augusti, circa *Warmbrunn Oedelem* et *Gottingam*, in fruticetis et umbellatis, feminasque circa *Scheidnich* et *Vratislaviam*, cepi. Insuper mihi transmissi sunt mares e *Regione pedemontana* ex *Etruria* et *Tauria;* feminae circa *Niesky, Sickershausen, Norimbergam, Vindobonam, Genuam,* nec non in *Volhynia* et *Tauria*, captae. — Mas etruscus a reliquis omnibus differt, pedibus mediis totis nigris, tarsorum posticorum solis articulis 3 et 4 albidis, tuberculis lateralibus segmenti primi haud prominentibus. — Feminas majores accepi ex Italia et Volhynia; minores et mediae magnitudinis ex Italia et Germania.

Varietates:

1. *Segmentis 2—4 rufis.* m. f. — *Longitudo* maris $2\frac{2}{3}$, feminae 4—5 linearum. *Antennae* feminae articulis 9—12—13 tribus lateribus albis. *Tarsi* postici maris nigri, solo articulo 4 albo. *Abdomen* segmentis 2—4 et apice primi rufis aut fulvis, 4 interdum margine nigro; 5 rarius basi et summo margine rufofulvis. — Caetera sicut in plurimis individuis genuinis.

Marem *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen* cepit; feminam unam *ab Uechtritz* circa *Pichelsberg* cepit, duas *pedemontanas Bonelli* mecum communicavit; pichelsbergiana antennis crassioribus a reliquis discrepat.

2. *Femina antennis totis nigris.* — *Longitudo* 3—$4\frac{1}{3}$ linearum. *Antennae* vel totae nigrae, vel fuscae articulo primo nigro. *Abdomen* oblongoovatum, capitis thoracisque longitudine, vix thoracis latitudine; segmento 1 rufo, petiolo aut petioli basi nigro; 2 et 3 rufis, 3 interdum castaneo apice fusco; 4 vel toto rufo, vel margine nigro, vel toto nigrofusco; reliquis fusconigris, 5 interdum basi rufa. *Aculeus* longitudine tertiae aut quartae, rarius quintae, partis abdominis.

Cepi hanc varietatem mense Iulii in umbellatis circa *Vratislaviam* et *Helmstadium;* pluria individua, circa *Sickershausen* et *Vindobonam*, nec non in *Etruria*, *Genua*, *Regione Pedemontana*, *Volhynia* et *Tauria* lecta, mecum commu-

nicata sunt. Individuum etruscum maximum est, aculeo autem brevissimo.

Synonyma maris:

Ichn. titillator Linn. Fauna, n. 1611. — Syst. XII p. 934, n. 35.
„ Fabr. Syst. p. 337, n. 56. — Ent. p. 167, n. 140.
„ Fuessl. Helv. p. 49, n. 959; haud frequens.
„ Müll. prodr., n. 1812.
„ Schrank Austr., n. 723; lectus die 22 Maji.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2692, n. 35.
„ Villers p. 168, n. 101 (auctor addit: *foemina nigra, aculeo brevissimo,* quod cum nostra observatione haud convenit).
„ Rossi (ed. II) II, n. 769.
„ Christ p. 371.
„ Olivier p. 188, n. 124.
„ Walckenaer p. 60, n. 58.
„ Latreille Crust. XIII, p. 188, n. 35.

Cryptus titillator Fabr. Piez. p. 86, n. 68; in Europae nemoribus.

Ichn. elongator var. *a* Trentep. in Iside 1826 p. 224 (conf. Syn. ad *Tryph. elongatorem*).

Nota:

1. Conferre velis notas ad *Tryphonem nemoralem*, n. 42, et ad speciem antecedentem. Individuum *pichelsbergianum* varietatis primae *titillatoris* exacte medium tenet inter hunc et *analem*, antennis crassioribus enim magis *anali*

respondet, aculeo longiore autem magis ad *titillatorem* quadrat.

2. Omnes auctores ad hanc speciem laudati, nihil quidem dicunt de pictura nigra femorum anticorum, caeteris autem eorum descriptiones editae Crypto nostro (inter cujus individua mascula varietates quoque inveniuntur femoribus anticis fere totis rufis), bene respondent. Linneus, in Fauna suecica, dicit quidem: *Corpus capite thorace pedibus antennisque nigris immaculatis,* addit autem paulo post: *pedes anteriores ferruginei, pedes posteriores nigri plantis albis.*

Ichneumon Geoffroii II p. 350, n. 65, ab auctore ipso et a plurimis reliquis auctoribus ad *titillatorem* adhibitus, differt picturis albis faciei et oris. — Etiam *Ichn. titillator* Thunb. Ichn. n. 316 fronte flavolineata a nostro discedit.

Schaefferi Icon. tab. 6 fig. 11, et tab. 107 fig. 4, quas Panzer ad *titillatorem* refert, differunt magnitudine et abdomine toto, segmento primo nigro excepto, rufo. Tabulae 6 fig. 11 Fuessly adhibuit ad *Ichn. rutilatorem*, de quo conferas nostrum Tryphonem rutilatorem. Tabulae 107 fig. 4 autem Schrank ad *Ichn. Fabricii*, n. 264, retulit, qui tamen colore pedum et abdominis satis differt.

99. C. OBFUSCATOR.

Segmentis 2 et 3, nec non apice primi, dilute rufis. f.

Statura et proportio partium *Cr. analis*, n. 97, feminae; sed antennis gracilioribus.

Longitudo 5 linearum. *Thorax* gibbus, metathoracis tuberculis duobus subacutiusculis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris, areola quadrata. *Pedes* tibiis anticis subtus fuscoferrugineis. *Abdomen* segmento 1 apice rufo, 2 et 3 testaceorufis. *Aculeus* quadrantis abdominis longitudine.

Feminam unicam (circa *Sickershausen* captam?) *ab Esenbeck* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. obfuscator Villers p. 197, n. 204; in Gallia australi, prope Lugdunum.
„ Olivier p. 218, n. 71.

Nota:

Ichn. obfuscator Thunb. Ichn. n. 123 species est longe diversa, abdomine nigro pedibus rufis.

100. C. TRICINCTUS. n.

Segmentis 2—4 rufis, basi nigris; tibiis anterioribus femoribusque rufis; trochanteribus anterioribus, annulo tarsorum posticorum, facieque albis.

Longitudo 3¼ linearum. *Caput* ore et facie alboflavis, regione infra antennas nigra. *Antennae* fere longitudine corporis, porrectae, articulo 1 subtus albo. *Thorax* gibbus. *Alae* subamplae, hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula flavicantibus; areola quinqueangulari. *Pedes* graciles; coxis nigris; trochanteribus anterioribus albidis, posticis nigris; femoribus rufis, posticis geniculo nigricante obsoleto; tibiis flavorufis, posticis nigris basi obscuroferruginea; tarsis anterioribus silaceis, mediorum articulis 2—5 pallidioribus, posticis nigris, articulis 3 et 4, nec non apice secundi, albis; unguibus omnibus nigris. *Abdomen* capite thoraceque vix paululum longius, thorace angustius; segmentis 2—5 aequilatis; 1 sublineari, nigro, puncto marginali rufo, parte antica latitudine longiore parumque latiore et breviore quam petiolus, subcanaliculata; 2—4 rufis, basi nigris; reliquis nigris.

Marem unicum *Roentgen* cepit mense Iunio in *Hercynia*.

101. C. MARGINELLUS. n.

Segmentis 1—3 testaceomarginatis; femoribus et tibiis rufis, posticis apicem versus nigris. m.

Statura et proportio partium omnino *Cr. pygoleuci*, n. 85; an ejus varietas?

Longitudo 3 linearum. *Caput* ore pallido. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice pallida, squamula fusca; areola subquadrangulari. *Pedes* anteriores rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis fuscis; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus basi rufis apice nigris, tibiis ferrugineis, apicem versus fuscis, basi exalbidis, tarsis fuscis. *Abdomen* segmento 1 sublineari, nigro, margine testaceo, tuberculis lateralibus prosilientibus, ante medium sitis, petiolo rufescente; 2 et 3 testaceomarginatis, dorso piceis; 4 piceo, lateribus nigricantibus; sequentibus nigris.

Marem unicum *Mangèr* cepit circa *Warmbrunn*.

102. C. COARCTATUS. n.

Segmentis 2 et 3, nec non apice primi et basi quarti, tibiis anterioribus et femorum anteriorum apice, rufis. m.

Statura et proportio partium *Cr. analis*, n. 97, maris; sed pedibus brevioribus, areola minore quinqueangulari.

Longitudo 4 linearum. *Antennae* (apice mutilatae). *Alae* hyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice straminea; areola quinqueangulari, nervo exteriore suboblitterato. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus, nec non femorum basi, nigris. *Abdomen* segmento 1 canaliculato nigro, summo apice castaneo; 2 et 3 rufis; 4 nigro, basi rufo; reliquis nigris.

Marem unicum *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

103. C. BRACHYURUS. n.

Segmentis 1—4 rufis; tibiis femoribusque rufis, posticis apice nigris; antennarum annulo et orbitis oculorum superioribus albis. f.

Longitudo 3—3¾ linearum. *Caput* palpis piceis, orbitis oculorum frontalibus seu verticalibus, interdum etiam facialibus, flavis aut albidis. *Antennae* graciles filiformes, apice curvatae, dimidio corpore longiores; articulis 8—11—12 albis, subtus fuscis aut ferrugineis; 2—5 interdum subtus ferrugineis. *Thorax* gibbus, interdum punctis duobus dorsalibus ante collum, unoque minuto infra alas, flavis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula piceis, aut testaceopiceis, radice straminea; areola quinqueangulari. *Pedes* graciles aut subgraciles, rufi, trochanteribus et coxis nigris; postici apicibus femorum tibiarum, interdum etiam tarsorum articulorum, nigricantibus aut nigris. *Abdomen* capitis et thoracis longi-

tudine et latitudine, interdum paulo longius, ovatum, rufum, segmentis 5—7 nigris; segmento 1 laevi, apicem versus sensim dilatato, parte antica latitudine longitudinis, breviore quam petiolus. *Aculeus* abdomine fere triente aut quadrante brevior, terebra castanea.

Feminae nonnullae, circa *Warmbrunn Norimbergam* et *Aboam* captae, mecum communicatae sunt; warmbrunnensis orbitis facialibus punctisque thoracis albis, antennarum articulis 1—5 subtus ferrugineis, aboenses pedibus gracilioribus, tarsis posticis totis rufis, se distinguunt.

Phygadeuon

104. C. AUSTRIACUS. n.

Segmentis 2—5 femoribus tibiisque rufis. f.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* filiformes, vix dimidio corpore longiores, apice curvatae. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et squamula nigris, radio piceo, radice flava, areola subquadrata. *Pedes* mediocres, rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis posticis fuscis. *Abdomen* subfusiforme, capite thoraceque vix paulo longius pauloque angustius, rufum; segmento 1 nigro, macula apicali castanea, apicem versus sensim dilatato, parte antica vix latitudine paulo longiore, parumque breviore quam petiolus crassiusculus. *Aculeus* vix dimidio abdomine paulo longior.

Feminam unicam *austriacam Dahl* mihi transmisit.

105. C. RUFICORNIS. n.

Segmentis 2—4 pedibus et antennarum basi rufis. f.

A *Cr. bitincto*, n. 108, hic differt antennis paulo crassioribus, abdomine et aculeo brevioribus, segmento primo latiore; ab *apicali* sequente antennis crassioribus, aculeo breviore.

Longitudo 2⅓ linearum. *Caput* palpis pallidis. *Antennae* articulis 1—5 rufis. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate radio et squamula fusconigris, radice pallide flava; cellula cubitali intermedia quinqueangulari subpyramidata. *Pedes* rufi; postici tarsis et latere supero coxarum fuscis. *Abdomen* ovatum, capite thoraceque paulo brevius et paulo angustius; segmento 1 nigro canaliculato, 2—4 rufis, sequentibus subfuscescentibus margine pallido. *Aculeus* fere abdominis quadrante brevior.

Feminam *pedemontanam Bonellio* debeo.

106. C. APICALIS. n.

Segmentis 2—6 femoribus tibiisque rufis. f.

Statura et proportio partium omnino speciei sequentis; areola angustiore.

Longitudo paulo ultra 2 lineas. *Alae* subhyalinae, radio et stigmate fuscis, radice flava, squamula nigra, areola quinqueangulari. *Pedes* rufi,

coxis et trochanteribus nigris; postici etiam femorum et tibiarum apice tarsisque fuscescentibus. *Abdomen* rufum, segmentis 1 et 7 nigris, 6 et 7 membranula pallida marginatis. *Aculeus* fuscus, abdominis dimidii longitudine.

Feminam unicam *Reusmann* cepit circa *Hannoveram*.

Phygadeuon

107. C. HORTULANUS. n.

Antennis subtus versus basin, pedibus et segmentis 2—7, rufis. f.

Longitudo fere 2 linearum. *Caput* palpis pallidis. *Antennae* filiformes subgraciles, dimidio corpore longiores, apice incurvae, nigrofuscae, subtus articulis 1—4 rufis sensim obscurioribus. *Thorax* cylindricogibbulus, metathorace tuberculis duobus minutis acutiusculis. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavicantibus, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres rufi; postici tarsis, nec non femorum et tibiarum apicibus, fuscescentibus. *Abdomen* ovatum depressiusculum, thorace paulo longius, ejusque latitudine, rufum; segmento 1 nigro, petiolo apicem versus sensim parum dilatato, parte antica longitudine latitudinis, latiore et fere dimidio breviore quam petiolus. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior, fuscus.

Unicum individuum cepi mense Iunio *Brunsuigae* in horto.

Varietas:

1. *Abdominis medio rufo.* f. — *Longitudo* $1\frac{3}{4}$ linearum. *Caput* palpis stramineis, mandibulis medio rufis. *Antennae* articulis 1 et 2 subtus rufis. *Pedes* dilute rufi; postici tarsis, tibiarum apice et coxarum basi fuscis. *Abdomen* segmentis 2—4 rufis, reliquis nigris, 5—7 margine albido. — Caetera ut in femina genuina.

Hanc varietatem *Hartlieb* cepit mense Septembri circa *Pless.*

Phygadeuon.

108. C. BITINCTUS.

Antennarum basi, segmentis 2—7, pedibusque rufis, coxis posticis nigris. f.

Longitudo fere 2—$2\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* palpis et mandibulis interdum ferrugineis aut piceostramineis. *Antennae* filiformes, corporis dimidii longitudine, curvatae, vel fuscae basin versus sensim pallidiores, vel ferrugineae apicem versus fuscescentes; subtus semper basin versus rufae, articulo 1 rufofulvo. *Thorax* gibbulus, metathorace tuberculis duobus subacutis. *Alae* hyalinae aut fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula rufa aut testacea; areola parva quinqueangulari, nervo exteriore interdum pertenui. *Pedes* mediocres rufi; coxis posticis nigris aut fuscis, plerumque apice rufescentibus, interdum tarsis posticis subfuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine,

oblongoovatum, rufum, rarius castaneum; segmento 1 nigro, parte antica latitudine paulo longiore, latiore et breviore quam petiolus; 6 et 7 plerumque margine subflavicante obsoleto. *Aculeus* dimidio abdomine paululum longior, vel fere abdominis longitudine, fuscus, terebra rufa.

Feminas nonnullas cepi *Vratislaviae*, mense Iulii, plantas, aphidibus et larvis Syrphorum occupatas, circumvolitantes, quasdam etiam circa *Gottingam*. Aliae quaedam, circa *Niesky*, *Warmbrunn*, *Sickershausen* et *Parmam* captae, transmissae mihi sunt.

Varietas:

1. *Coxis posticis totis rufis.* f. — *Longitudo* 2 linearum. *Antennae* vix corporis dimidii longitudine, fuscae aut fuscoferrugineae, articulo 1 subtus rufofulvo. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior. — Caetera feminae genuinae respondent.

Unam cepi die 17 Iulii in floribus ad fenestram *Vratislaviae*, duae aliae, circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* captae, mecum communicatae sunt.

Synonyma:

Ichn. bitinctus Gmel. ed. Linn. p. 2719, n. 377.

Phygadeuon

109. C. AEREUS. n.

Basi antennarum, dorso segmentorum intermediorum, pedibusque rufotestaceis. m. f.

Longitudo 2 linearum; mas interdum paulo minor. *Caput* interdum palpis stramineis, mandibulis ferrugineis, facie feminae subargenteovillosula. *Antennae* graciles, porrectae, filiformes, maris longitudine corporis, feminae breviores; basin versus, imprimis latere inferno, subtestaceae aut ferrugineae, articulo 1 semper reliquis pallidiore. *Thorax* gibbulus aut subgibbulus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio nigris aut fuscis, radice et squamula stramineis aut pallideflavis; areola quinqueangulari. *Pedes* graciles, straminei, rarius rufescentes; postici interdum geniculis, plerumque tarsis et tibiis, vel harum apice, fuscis aut nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, subfusiforme aut oblongoovatum, maris interdum paulo angustius, feminae paulo longius; segmento 1 sublineari, parte antica latitudine longiore, paulo latiore et breviore quam petiolus, nigro, feminae puncto apicali testaceo, tuberculis lateralibus mari interdum acute prosilientibus; segmentis sequentibus dorso stramineotestaceis et quasi subpellucidis: *a*) segmentis 2—4 macula magna triangulari straminea, 5 macula obsoletiore: *b*) segmentis 2 et 3 testaceis, macula laterali nigra; 4 et 5 badiis aut stramineis, lateribus nigris, 4 interdum nigro basi

testacea, 5 interdum toto nigro: *c*) segmentis 2—4 testaceis, basi et lateribus nigris; sequentibus fuscis, margine obsolete testaceo. *Aculeus* abdominis trientis longitudine.

Unum marem cepi die 22 Maji in horto prope *Gottingam*, alii quidam, circa *Warmbrunn* et in *Regione Pedemontana* capti, mihi transmissi sunt; feminam cepit *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen*. — Abdomen sub littera *a* descriptum est maris pedemontani; sub littera *b*, reliquorum marium; sub littera *c* feminae.

Varietates:

1. *Segmentis ultimis totis testaceis.* f. — *Longitudo* 2⅕ linearum. *Abdomen* segmento 1 nigro, puncto apicali testaceo; 2—4 testaceis, macula laterali nigra; reliquis totis testaceis. — Caetera feminae genuinae respondent.

Hanc feminam cepi die 1 Octobris in rubetis prope *Scheidnich.*

2. *Pedum posticorum coxis et femoribus magnam partem nigris.* m. — *Longitudo* 2 linearum. *Caput* palpis et mandibularum macula sordidealbis. *Antennae* nigrae; articulo 1 rufo subtus flavo, 2 et 3 subtus rufis. *Pedes* anteriores straminei, coxis et trochanteribus pallidioribus; postici coxis rufis basi nigra, trochanteribus testaceis, femoribus nigris basi rufa, tibiis nigricantibus medio testaceo, tarsis nigricantibus. *Abdomen* segmentis 2 et 3 stramineotestaceis, macula laterali nigra;

4 stramineo, lateribus, vel etiam margine, nigrofuscis; sequentibus nigrofuscis, dorso aut margine obsolete subtestaceis. — Caetera ut in mare genuino.

Mares duos cepi, cum femina varietatis 1 eodem loco et die, prope *Scheidnich*.

3. *Coxis posticis nigris totis.* m. — *Longitudo* 2⅔ linearum. *Caput* ore testaceo. *Antennae* nigrae, articulo 1 subtus testaceo. *Pedes* testaceorufi; postici coxis nigris, trochanteribus fuscis. *Abdomen* nigrum; segmento 2 margine stramineo; 3 stramineo, margine nigro. — Caetera ut in mare genuino.

Hunc marem *Besser* transmisit e *Volhynia*.

4. *Segmentis 2 et 3 totis rufis, femoribus posticis fere totis nigris.* m. — *Longitudo* 2⅓ linearum. *Femora postica* ab apice ad medium usque nigra. — Caetera respondent maribus genuinis varietatis abdominis *b*, segmentis 2 et 3 autem totis rufis.

Unicum cepi individuum, die 25 Maji, prope *Kochs Lust*, in prato uliginoso.

Nota:

Haec species, imprimis autem mas varietatis 2, speciei insequenti valde affinis est, soloque segmento primo paulo crassiore pauloque breviore se distinguit.

110. C. PELLUCIDATOR. n.

Pedibus anterioribus, nec non segmentorum intermediorum dorso, testaceostramineis; segmento primo lineari. m.

Longitudo $2\frac{1}{5}$—$2\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* palpis albis. *Antennae* graciles, filiformes, porrectae, fere longitudine corporis, nigrae totae. *Thorax* gibbus. *Alae* amplae aut mediocres, hyalinae, irideae, stigmate et radio nigris aut piceofuscis, radice et squamula sordide albidis, hac nonnunquam testacea; areola quinqueangulari. *Pedes* graciles; anteriores toti straminei; postici fusci aut nigri, coxarum apice trochanteribus et femorum basi stramineis, coxis tamen interdum fere totis nigris, femoribus nonnunquam fere totis testaceis, apicem versus fuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, elongatoclavatum, depressiusculum; segmento 1 gracili lineari, parte antica longitudine et latitudine petioli, latitudine plus duplo aut triplo longiore, nigro, tuberculis lateralibus prominentibus; 2 macula apicali aut margine, 3 dorso toto aut macula dorsali, interdum etiam 4 basi, pellucido-testaceis, rarius rufis aut ferrugineis.

Nonnulla individua legi mensibus Maji et Septembris, circa *Vratislaviam*, *Trajectum ad Viadrum* et *Gottingam*, in fruticetis et graminibus; unum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esen-*

beck transmisit sub nomine *Ichneum. pellucidatoris* novi.

Varietates:

1. *Pedibus posticis maximam partem pallidis.* m. — *Longitudo* 1½ — fere 3 linearum. *Caput* palpis plerumque albidis, mandibulis medio interdum rufo, facie sub antennis plerumque subargenteosericea. *Antennae* vel totae nigrae, vel articulo 1, aut 1—4, stramineis, interdum quoque sequentibus subtus stramineis, sensim obscurioribus. *Pedes* anteriores straminei aut stramineofulvi, trochanteribus et coxis plerumque pallidioribus; postici straminei aut piceostraminei, rarius coxis subtus fuscis, femoribus interdum geniculo fusco aut nigro, rarius basin versus rufescentibus, tibiis vel totis vel apice solo fuscis aut nigris, rarius basin versus rufis basi ipsa nigra, tarsis fuscis. *Abdomen* vel *a*) segmentis 1—5 dorso rufoferrugineo, vel *b*) segmento 1 puncto parvo apicali, 2 et 3 macula dorsali, testaceis; *c*) segmento 2 apice stramineo, 3 stramineo lateribus fuscis. *Alae* et caetera sicut in mare genuino.

Varietatis abdominis *a* marem die 12 Maji in vallo *Gottingensi* cepi; alterum, eumque articulis 1—4 antennarum totis stramineis, *Sturm* circa *Norimbergam* cepit. Varietatis *b* individuum prehendi prope *Trajectum ad Viadrum,* fine Septembris, in loco aprico herbaceo frutetoso. Varietatis *c* individua duo, eaque antennis totis nigris, pedibus posticis sordidioribus, circa *Sickershau-*

sen et *Vindobonam* capta, mihi transmissa sunt; vindobonense areola alae dextrae omnino caret, nervus interior cellulae radialis quoque ei oblitteratus est.

Femina?

Pedibus totis, abdominisque medio, rufis. — *Statura* et proportio partium feminae speciei antecedentis, sed aculeo paulo longiore. *Longitudo* 2⅓ linearum. *Caput* palpis stramineis. *Alae* subhyalinae, irideae, stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula albidostramineis, areola quinqueangulari. *Pedes* rufi, tarsis posticis fuscescentibus. *Abdomen* segmento 1 canaliculato nigro, apicem versus sensim paulo dilatato, parte antica latitudine duplo longiore, longitudine petioli, nigro; 2—4 rufis, sequentibus nigris margine albicante. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine.

Unicum individuum *de Heyden* circa *Trajectum ad Moenum* cepit.

Nota:

Haec species et proxime antecedens segmento primo tenuiore et angustiore a reliquis cospeciebus minoribus discerni possunt; imprimis autem *pellucidator*, segmento primo exactissime lineari, petiolo et parte antica aequilatis, ab *aëreo* ipso differt. Attamen mas norimbergensis varietatis *pellucidatoris*, segmento primo paulo breviore, an-

tennarum articulis 1—4 totis stramineis, medium inter ambas species tenet. Conferas notam ad *aëreum*.

111. C. MACILENTUS. n.

Ore et orbitis oculorum facialibus albis; pedibus rufis, coxis nigris; segmentis 2—4 macula dorsali piceostraminea. m.

Statura et proportio partium maris antecedentis; sed antennis paulo longioribus, areola minore, segmento primo breviore.

Longitudo $2\,^1/_5$ linearum. *Caput* ore clypeo et orbitis oculorum facialibus albis. *Antennae* porrectae, corporis longitudine. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavoalbidis, areola parva quinqueangulari. *Pedes* dilute-rufi, coxis fuscis, trochanteribus anterioribus albidis, tarsis posticis tibiisque posticis subfuscescentibus. *Abdomen* segmento 1 nigro, foveolato, lineari, parte antica longitudine petioli, latitudine duplo longiore; 2 et 3 piceotestaceis, basi nigris; 4 macula dorsali piceotestacea; reliquis nigris.

Semel captus die 3 Iulii prope *Oedelem*.

112. C. PULLATOR. n.

Pedibus, antennarum articulo primo, segmentis 2 et 3, rufis aut testaceis, his margine nigro. f.

Statura et proportio partium *Cr. hortulani*, n. 107; antennis gracilioribus.

Longitudo 1⅓—1½ linearum. *Caput* interdum ore sordide stramineo. *Antennae* vel fuscae articulo 1 subtus rufo, vel fuscoferrugineae articulo 1 rufo. *Alae* amplae, subhyalinae, stigmate et radio piceis aut fuscescentibus, radice et squamula exalbidis; areola quinqueangulari, nervo exteriore plerumque subtilissimo. *Pedes* straminei aut rufofulvi. *Abdomen* segmento 2 rufo aut testaceo, margine fuscescente; 3 vel rufo, margine nigro, vel nigro basi testacea. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine aut paulo longior.

Unum individuum vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg*, sub nomine *Ichn. pullatoris* novi; alterum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mihi transmisit, idque majus, antennis fuscis, colore pedum et picturis abdominis rufis.

Phygadeuon.

113. C. NANUS. n.

Segmento secundo, pedibus, antennarum basi, rufis. f.

Statura et proportio partium antecedentis, sed antennis brevioribus et crassioribus.

Longitudo 1¼ — fere 1½ linearum. *Caput* palpis testaceis. *Antennae* curvatae, dimidii corporis longitudine, articulis 1—4 diluterufis. *Thorax* subcylindricus, metathoracis spinulis duabus acutis. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate et radio subpiceis, radice et squamula albis; areola parva quinqueangulari. *Pedes* toti rufi. *Abdomen* segmento 1 apice summo subtestaceo; 2 testa-

ceorufo, interdum dorso fusco; 3 basi sordide-testacea. *Aculeus* longitudine dimidii abdominis.

Quaedam individua cepi mense Augusto in fruticetis circa *Salzbrunn.*

Varietas?

1. *Pedes straminei coxis nigromaculatis.* f. — *Longitudo* 1¼ linearum. *Antennae* solo articulo 1 subtus testaceo, dimidio corpore longiores. *Pedes* straminei, anteriores coxarum basi nigra, postici coxis et trochanteribus nigris apice testaceo. *Abdomen* segmento 2 piceostramineo, macula magna laterali nigra. *Aculeus* abdomine paulo brevior. — Caetera sicut in femina genuina; (alae anticae autem nostro individuo desunt).

Individuum unicum cepi cum *Cr. aërei* varietatibus 1 et 2 uno eodemque loco et die.

Phygadeuon

114. C. PERFUSOR. n.

Pedibus fulvis; antennis fuscoferrugineis; segmento 2 toto, 3 basi, castaneis. f.

Statura et proportio partium *Hemitelis monospili* familiae VI, quae autem petiolo breviore crassiore, cellula cubitali intermedia deficiente, differt.

Longitudo 2 linearum. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores, curvatae, ferrugineofuscae, subtus ferrugineae apicem versus fuscae. *Thorax* gibbus, tuberculis duobus metathoracis subacutiusculis. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et

radio fuscis, radice et squamula flavicantibus; areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles fulvi. *Abdomen* ovatum, depressiusculum, thoracis longitudine et latitudine; segmento 1 subcanaliculato, nigro, margine castaneo, parte antica convexa, subquadrata, petiolo breviore at plus duplo latiore; 2 toto castaneo; 3 basi castanea. *Aculeus* abdomine parum longior.

Feminam unicam, circa *Genuam* captam, *a Spinola* mecum communicavit.

Varietas:

1. *Pedibus et abdominis medio testaceis.* f. — *Caput* palpis mandibulisque testaceis. *Antennae* fuscae, articulo 1 subtus testaceo. *Pedes* testacei. *Abdomen* segmento 1 margine fulvostramineo, 2 fulvostramineo macula laterali fusca, 3 basi fulvostraminea. — Caetera feminae genuinae respondent.

Feminam unicam, circa *Sickershausen* captam, *Nees ab Esenbeck* sub nomine *Ichn. perfusoris* novi mihi transmisit.

115. C. LEUCOPROCTUS. n.

Segmentis 1—4 rufis, ultimis albis; tibiis et femoribus rufis, his basi nigra. m.

Statura et proportio partium omnino maris *Cr. fumipennis*, n. 120.

Longitudo $3\frac{1}{2}$ linearum. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice flava, squamula nigra; areola quadrangulari. *Pedes* rufofulvi, trochanteribus et coxis nigris; femoribus anterioribus basin versus nigricantibus, posticis fusconigris, apicem versus rufescentibus; tibiis posticis apicem versus nigris; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* segmento 1 fulvo, petiolo fusco; 2—4 fulvis; reliquis nigris, 6 margine 7 dorso albis.

Unicum marem *pedemontanum Bonelli* transmisit.

116. C. ALTERNATOR. n.

Abdominis medio rufo; tibiis femoribusque anterioribus rufis, his basi nigra; annulo antennarum tibiarum et tarsorum posticorum albo. m. f.

Statura et proportio partium maris et feminae omnino ut in *Cr. fumipenni*, n. 120, sed areola quinqueangulari.

Longitudo maris $2\frac{1}{3}$—$3\frac{1}{3}$, feminae $2\frac{1}{3}$ linearum. *Antennae maris* corporis longitudine, porrectae, graciles, filiformes, articulis 14 et 15 aut 13—15 supra albis; *feminae* dimidio corpore paulo longiores, curvatae; articulis 3—5 subtus interdum piceis, 8—10 supra albis. *Thorax* cylindricogibbulus aut gibbus. *Alae* fumatohyalinae aut hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice albida aut flavicante, squamula nigra; areola

quinqueangulari. *Pedes maris* graciles; coxis et trochanteribus nigris, horum posticis apice rufo; femoribus anterioribus rufis, externe a basi plerumque ultra medium nigris aut fuscis, posticis nigris basi rufa; tibiis anticis rufis, interdum basi alba, mediis fuscescentibus basi albida, interne rufescentibus aut fulvis, spinis apicalibus fuscis, posticis nigris basi alba, spinis apicalibus albis aut fuscis; tarsis anticis rufis, mediis fuscis, articulo 1 basi alba, articulis 3 et 4 interdum basi, rarius totis, albis, posticis nigris, articulis 1—3 basi albis, interdum 2 et 3 totis albis; *feminae* subgraciles; anteriores testaceostraminei, femoribus externe basin versus obscurioribus, coxis et trochanteribus nigris, tibiis mediis basi alba; postici nigri, femoribus basin versus rufis, tibiis et primo tarsorum articulo basi alba. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine et latitudine seu paulo longius et angustius; segmentis 2—5 aequilatis; 1 apicem versus sensim dilatato, parte antica latitudine longitudinis, paulo breviore quam petiolus crassiusculus, nigro; 2 et 3 rufis, interdum dorso obscuriore; reliquis nigris; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1, eadem ac in mare proportione, subcanaliculato, rufo, petiolo fusco; 2 et 3 rufis; reliquis nigris, ultimis membrana albida marginatis. *Aculeus* vix abdominis longitudine.

Mares nonnulli, circa *Niesky*, *Warmbrunn* et *Hannoveram* capti, duaeque feminae, in *Re-*

gione Pedemontana et *Genuensi* captae, mihi transmissi sunt.

117. C. INCUBITOR.

Abdomine rufo, apice nigro, ano albo; pedibus rufis, posticis femorum apice tibiisque nigris, his basi albis; antennis tricoloribus. f.

Longitudo $2\frac{1}{5}$—3 linearum. *Antennae* subgraciles filiformes, apice curvatae, dimidio corpore longiores; articulo 1 nigro aut fulvo, 2—4 vel totis fulvis vel subtus subpiceis, 5 fusco aut fulvo, 6 fusco, 7—10 albis subtus fuscis, reliquis fuscis. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae, anticae nube discoidali fumatohyalinae, stigmate fusco, radio fusco aut piceo, radice albida, squamula nigra, areola subquadrata. *Pedes* graciles rufi; anteriores interdum trochanteribus fuscis; postici femorum apice tibiisque nigris, his basi alba, tarsis sordidetestaceis aut fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo latius, ovatum; segmento 1 rufo; petiolo vel toto vel sola basi nigro, parte antica fere longitudine paulo latiore, subcanaliculata, plus duplo latiore et paulo breviore quam petiolus; 2 et 3 rufis; reliquis nigris, 4 basi aut lateribus rufescente, 6 et 7, aut 7 solo, membrana apicali alba. *Aculeus* dimidio abdomine paululum brevior, niger, terebra rufa.

Feminae duae, circa *Parisios* et in *Regione Pedemontana* captae, mecum communicatae sunt; pedemontana major est, articulis 1—5 antennarum et trochanteribus anterioribus fulvis, petiolo basi tantum nigro, segmento 6 toto nigro.

Synonyma:

Ichn. incubitor Stroem Norske Selsk. Skr. IV. p. 348, n. 65 (haud *Ichn. incubitor* auct. de quo conferas nostrum *I. incubitorem*, n. 265).

118. C. ALBOVINCTUS. n.

Abdominis medio rufo; tibiis anticis totis, mediis subtus, testaceis, posticis basi albis; antennarum annulo albo. f.

Statura et proportio partium omnino *Cr. fumipennis*, n. 120, sed aculeo multo longiore.

Longitudo 3⅓ linearum. *Antennae* graciles, filiformes, apice curvatae, dimidio corpore longiores, articulis 8—11 tribus lateribus albis. *Alae* fumatohyalinae, radio stigmate et squamula nigris, radice albida; areola subquadrata. *Pedes* antici piceostraminei, coxis, trochanteribus, nec non femorum basi et latere convexo, nigris; medii nigri, tibiis stramineopiceis, externe fuscis, tarsis fuscis; postici nigri, subtus femoribus tibiisque basin versus castaneis, basi tibiarum ipsa alba. *Abdomen* segmento 1 castaneo, petiolo nigro; 2—3 rufis; reliquis nigris, 4 lateribus rufis, 7

superne membrana alba. *Aculeus* fere corporis totius longitudine.

Unicam feminam *genuensem a Spinola* transmisit.

Cryptus

× 119. C. MIGRATOR.

Abdomine rufo, apice nigro, ano albo; apice femorum anteriorum et latere altero tibiarum anteriorum rufis; tibiis posticis basi albis. m. f. (*Femina* antennarum annulo albo, femoribus posticis rufis apice nigro).

Statura et proportio partium omnino *Cr. nubeculati*, n. 125; mas autem statura multo graciliore a femina differt.

Longitudo fere 3—4 ¼ linearum. *Caput* nonnunquam orbitis oculorum internis tenuissime albidis, feminae plerumque obsoletissimis. *Antennae* corpore dimidio paulo longiores, maris porrectae; feminae apice curvatae, articulis 7—10—11, aut 8—11, tribus lateribus albis, interdum articulis 2—4 subtus ferrugineis. *Thorax* gibbus, metathorace crasse- et confertim-puncto. *Alae maris* hyalinae aut subfumatohyalinae, *feminae* fumatohyalinae plerumque nubecula obscuriore disci; stigmate radio et squamula nigris aut fuscis, radice alba; areola quadrata. *Pedes* subgraciles, maris paululum graciliores; anteriores coxis et trochanteribus nigris, femoribus ferrugineis aut rufis, basin versus plus minus nigris aut fuscis, interdum latere convexo fere toto nigro,

tibiis rufis aut ferrugineis, externe plus minus fuscescentibus basi alba aut ochracea, tarsis rufescentibus aut fuscis; postici nigri, coxis feminae interdum castaneorufis macula majore minoreve nigra, femoribus feminae rufis, apice, interdum ad medium usque, nigro; tibiis nigris aut fuscoferrugineis annulo baseos albo, tarsis vel totis fuscis vel fuscoferrugineis articulo 1 fusco. *Abdomen maris* capite thoraceque paulo longius et latius, sublineare; segmentis 2—6 aequilatis, 1 parte antica latitudine paulo longiore aut subquadrata, breviore et latiore quam petiolus; *feminae* vix capitis thoracisque longitudine, sed thoracis latitudine, ovatum; segmento 1 parte antica quadrata aut fere longitudine paululum latiore, breviore et duplo latiore quam petiolus; utrique sexui segmento 1 rufo, petiolo fusco aut nigro; 2—4 rufis aut castaneis, rarissime badiis, interdum 4 nigro basi rufa; reliquis nigris, 5 interdum basi summa castanea; 7, rarius etiam 6, macula dorsali alba, maris orbiculari feminae transversali, rarissime obsoleta. *Aculeus* dimidio abdomine paulo brevior paulove longior.

Mares et feminae e *Sudetis Silesiae* et e *Volhynia* mihi transmissi sunt. Ipse septem feminas ex una eademque *Bombycis Ermineae* pupa prorepere vidi, mense Aprili. *Richtero* prodibant quatuor feminae e pupa *Noctuae monetae*. *Neeseo ab Esenbeck* nascebatur femina e pupa folliculata fusca, folio pini adhaerente; praeterea plures feminae circa *Heidersdorf*, *Pless* (mense Iunio

et Septembri), *Halam Saxonum, Norimbergam, Vindobonam, Parmam* et in *Regione Pedemontana* captae, mihi transmissae sunt. Mares singulos cepi mensibus Iulii et Augusti, in flore Petroselini, prope *Helmstadium*; unumque *Sahlberg* e *Fennia* mihi transmisit.

Varietates;

1. *Segmento 1 toto nigro.* m. Caetera sicut in maribus plurimis genuinis.

2. *Tibiis anterioribus totis rufis.* m. f. (Mas *annulo albo tarsorum posticorum*). — *Mas: Longitudo* 4—fere 5 linearum. *Caput* ore, orbitis oculorum internis, nonnunquam etiam macula faciali, albis; mandibulis basi et apice nigris. *Antennae* interdum articulo 1 subtus albo. *Alae* interdum squamula alba. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus, nec non summa basi aut latere convexo toto femorum, nigris, tibiis basi annulo pallido, mediis externe nonnunquam fuscis; postici nigri, tarsorum articulis 3 et 4, seu 2—4 et apice primi, nec non annulo baseos tibiarum, albis. *Abdomen* segmento 1 apice, 2—4 totis, rufis, 5 vel nigro basi rufa, vel rufo margine nigricante, 7 macula dorsali alba. — Caetera sicut in specie genuina.

Feminam unicam *Richter* cepit in *Sudetis Silesiae.* Mares duo, circa *Hirschberg* capti, mecum communicati sunt; tertium cepi die 5 Iuni

domi ad fenestram; quartus *Richtero* provenit, una cum pluribus feminis genuinis, e pupis *Noctuae monetae*, isque antennarum articulo primo, squamula, femorum anteriorum latere convexo totis nigris, tibiis mediis externe fuscis, a reliquis distinctus; mas, domi a me ipso captus, macula faciali et tarsorum posticorum articulis 2—4 albis, insignis est.

3. *Femoribus tibiisque anterioribus totis rufis, vel femorum apice nigro.* f. — *Caput* plerumque totum nigrum. *Pedes* coxis et trochanteribus interdum colore nigrocastaneo imbutis; femoribus rufis, anterioribus plerumque basi summa, interdum etiam geniculis, posticis apice, nigris; tibiis anticis, vel etiam mediis, nonnunquam totis rufis aut testaceofulvis. *Caetera* feminae genuinae respondent.

Nonnullas feminas, circa *Vratislaviam* et *Aboam* captas, accepi.

4. *Femoribus posticis nigris, basi summa rufa.* f. *Longitudo* 3 linearum. — Caetera ut in plurimis feminis genuinis. *Abdomen* segmento 1 apice rufo, 2 et 3 rufis, 7 dorso albo.

Hanc feminam *pedemontanam Bonelli* mecum communicavit.

5. *Coxis posticis et femoribus anterioribus fere totis rufis.* f. — *Longitudo* 3½ linearum. *Caput* totum nigrum. *Antennae* articulis 2—5

subtus ochraceis, 7—11 tribus lateribus albis. *Coxae* posticae rufae, macula parva nigra subtus ad basin. *Femora* media tota rufa, antica subtus basin versus nigra. *Abdomen* segmentis 1—3 rufis, petiolo nigro, 4 basi summa dorsali et angulis baseos rufis, 7 dorso albo. — Caetera sicut in feminis genuinis. — Apici abdominis, supra aculeum, massa adhaeret albida terrea concreta, in uno individuo globulum unicum, in altero duos globulos exhibens magnitudine seminis papaveris minoris; ubi in altero individuo globuli duo cohaerent, massa nigra eos intercedit. Sine dubio hi globuli sunt excrementa, antea mollia, nunc autem exsiccata et indurata, in nullo alio Ichneumone autem observata.

Duas feminas *Hartlieb* et *Wimmer*, mensibus Aprilis et Iunii, circa *Vratislaviam* ceperunt.

6. *Puncto albido scutellari; segmento* 1 *toto nigro.* m. — *Statura* omnino maris genuini; sed capite paulo crassiore et areola quinqueangulari differt. — *Longitudo* paulo ultra 5 lineas. *Scutellum* puncto minutissimo pallido apicali. *Pedes* nigri; femoribus anticis geniculis testaceis; tibiis anticis subtus testaceoalbidis, mediis basi et apice externe albis, posticis externe summa basi exalbida; tarsis posticis articulis 3 et 4 superne puncto exalbido. *Abdomen* segmentis 2—4 rufis, 7 macula apicali albida.

Marem unicum *pedemontanum Bonelli* transmisit.

7. *Puncto scutellari, picturis faciei, tarsorum posticorum annulo, albis.* m. — *Longitudo* 3 linearum, vel paulo major. *Caput* palpis, macula mandibularum et clypei, seu clypeo toto, orbitisque oculorum internis, albis. *Thorax* interdum lineola alba sub scutello. *Scutellum* puncto minuto apicali albo, distinctiore aut obsoletiore. *Alae* interdum squamula alba. *Tarsi* postici articulis 3 et 4, nec non apice secundi, albis. — Caetera maribus genuinis respondent.

Mares duos, in *Etruria* et *Bavaria* captos, accepi; huic squamula alarum alba est.

8. *Punctis duobus scutelli, picturisque faciei, albis; tibiis femoribusque anterioribus rufis.* m. — *Statura* maris genuini; sed areola quinqueangulari, angustiore quam in varietate 6. — *Longitudo* 4 linearum. *Caput* palpis, macula mandibularum, clypeo, orbitisque oculorum internis, albis. *Antennae* articulo 1 subtus albo. *Thorax* puncto albo infra alas. *Scutellum* punctis duobus albis minutis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, tibiis mediis basi albida, tarsis mediis fuscescentibus; postici nigri, tibiis basi alba, tarsis fuscis articulorum apice summo exalbido. *Abdomen* segmento 1 apice rufo, 2—5 rufis, 5 maculis duabus contiguis magnis dorsalibus nigris, 7 albo.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

9. *Puncto scutellari, annulo tarsorum posticorum, picturisque faciei, albis; tibiis anterioribus totis, femoribus posticis medio, rufis.* m. — *Longitudo* 3—4 linearum. *Caput* palpis, macula mandibularum, linea transversali clypei, orbitisque oculorum internis, albis. *Antennae* interdum articulo 1 subtus exalbido. *Thorax* ut plurimum lineola alba infra scutellum. *Scutellum* macula aut puncto albo. *Alae* squamula alba. *Tibiae* anteriores rufae, mediae basi exalbida. *Femora* postica rufa, uno latere basin versus altero apicem versus nigris. *Tarsi* postici articulis 3 et 4, nec non apice secundi, albis. *Abdomen* segmento 1 vel apice rufo vel margine testaceo; 2—5 rufis, 5 plerumque punctis duobus dorsalibus nigris, 7 dorso albo. — Caetera ut in mare genuino.

Tria individua *norimbergensia*, quorum minimum, defectu lineolae albae sub scutello, a reliquis differt, unum, prope *Warmbrunn* captum, idque maximum, macula scutellari alba majore, articulo primo antennarum subtus puncto albo, unumque e *Gallia meridionali*, accepi.

10. *Puncto scutellari, facie, annuloque tarsorum posticorum, albis; femoribus tibiisque anterioribus fulvis.* m. — *Longitudo* 3—3¾ linearum. *Caput* ore et facie albis. *Antennae* articulo 1 subtus albo. *Thorax* lineola infra scutellum, punctoque distinctiore aut obsoletiore infra alas, albis. *Scutellum* apice albo. *Alae* sub-

fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis aut testaceis. *Pedes* anteriores fulvi, coxis nigris, trochanteribus albis superne nigris, tibiis mediis basi albis, tarsis fuscescentibus; postici nigri, tibiarum basi et tarsorum articulis 2—4 albis. *Abdomen* segmento 1 apice stramineo aut exalbido; 2—4 vel totis fulvis, vel rufocastaneis macula dorsali fuscescente obsoleta; 5 vel toto nigro vel basi et lateribus castaneis; 7 supra albo. — Caetera sicut in maribus genuinis.

Unum cepi die 21 Iunii in flore Alyssi prope *Sibyllenort*, alterum die 12 Iulii prope *Scheidnich* in fruticeto, eumque minorem, segmentis 2 — 4 fulvis, segmento 5 toto nigro.

Synonyma feminae:

Ichn. migrator Fabr. Syst. p. 334, n. 38; affinis Ichn. peregrinatori Linn. at apex abdominis concolor et pedes haud clavati. — Ent. p. 152, n. 80.

„ Schrank Berchtesgad. p. 327, n. 90.

„ Gmel. ed. Linn. p. 2686, n. 116.

„ Villers p. 162, n. 82.

„ Olivier p. 178, n. 69.

Ichn. Geoffroi p. 343, n. 50; longitudine 2½ linearum.

Ichn. dictator Fourcroy p. 410, n. 51.

Ichn. emigrator Walckenaer p. 56, n. 37.

„ Latreille Crust. XIII p. 182, n. 12.

Nota:

Nulli dubio obnoxium est, varietates descriptas et individua genuina ad unam speciem censenda esse, cum maris varietas 2 et feminae genuinae ex iisdem pupis Noctuae monetae provenerint, et, teste *a Stillfried*, eadem maris varietas cum feminis genuinis in copula deprehensa sit.

Dubius autem haereo, an auctores laudati justo titulo ad hanc speciem adhiberi possint; nullus enim coloris albi segmenti ultimi mentionem facit, individua autem, colore isto albo obsoleto, rarissima sunt.

Ichneumon Geoffroyi allegatus ab omnibus auctoribus ad *migratorem* adhibetur; solus Schrank eum rejicit, cum nimis parvus sit, sed vix juste, cum fere omnes species horum insectorum magnitudine variabiles sint.

Ichn. migrator Thunb. Ichn., n. 97 a nostra specie differt pedibus rufis, genubus posticorum atris; nec *Ichn. dictator* Thunb. Ichn., n. 359, segmentis 1 et 2, petioli basi, pedibusque totis, rufis, huc potest referri.

120. C. FUMIPENNIS. n.

Abdominis medio rufo, ano albo; femoribus rufis, posticis apice nigro; tibiis anterioribus rufis, posticis basi albis. m. f. (*Mas* picturis faciei et annulo tarsorum posticorum albis; *femina* antennis tricoloribus).

Statura et proportio partium omnino speciei antecedentis.

Longitudo maris 4, feminae 3—4 linearum. *Caput* maris ore, clypeo, orbitis oculorum internis, macula faciali superne bifida, albis, mandibulis basi et apice nigris. *Antennae maris* articulo 1 subtus albo; *feminae* articulis 1 et 2 rarius subtus, 3 et 4 vel subtus vel totis, 5 basi aut toto, ferrugineis, 6 et 7 nigris, 8—10 tribus lateribus albis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio nigris aut fuscis, radice alba, squamula maris alba, feminae nigra; areola quadrata. *Pedes* anteriores rufi, mari paulo dilutiores, coxis et trochanteribus nigris, mari subtus albis, tibiis maris basi albis; postici nigri, femoribus rufis geniculo nigro, tibiarum basi, mari quoque trochanteribus inferne puncto parvo, albis, tarsis maris articulis 2—4 et apice primi albis, feminae apicibus summis articulorum plerumque fuscorufescentibus. *Abdomen* segmento 1 rarius nigro margine rufo, plerumque rufo petiolo nigro; *mari* segmentis 2—5 rufis, hoc apice nigro, sequentibus nigris, 7 macula dorsali alba; *feminae*

segmentis 2 et 3 rufis seu obscurocastaneis, 4 rufo aut nigro, sequentibus nigris, 7 macula dorsali alba, obsoletiore quam mari. *Aculeus* abdomine brevior.

Marem unicum cepi die 29 Maji in fruticeto prope *Scheidnich;* feminam, mense Iulio, in Petroselini flore prope *Helmstadium;* quaedam aliae feminae ex Austria et Volhynia mihi transmissae sunt.

Varietates maris:

1. *Femoribus anterioribus basi nigris.* — *Longitudo* 3¼ — fere 4 linearum. *Caput* palpis, macula mandibularum, labro, orbitis oculorum internis, nonnunquam fascia clypei, albis. *Antennae* totae nigrae. *Thorax* interdum puncto albo infra alas. *Alae* subfumatohyalinae, radio et stigmate fuscis, radice alba, squamula nigra puncto albo. *Pedes* trochanteribus et coxis nigris; femoribus rufis, anterioribus basin versus externe nigris, mediis interdum latere externo fere toto nigro, posticis apice, interdum latere externo fere toto, nigris; tibiis anterioribus rufis, interne pallidioribus, posticis fuscis aut nigris basi alba, interne nonnunquam rufescentibus; tarsis anterioribus rufis, posticis nigris, articulis 2—4 albis, 2 interdum basi nigra. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice rufo, 2—4 rufis, sequentibus nigris, 5 interdum basi rufa, 7 macula dorsali alba.

Unum cepi prope *Gottingam;* alterum, minorem, thorace toto nigro, femoribus posticis externe

nigris, tibiis posticis interne rufescentibus, die 6 Iunii in fruticeto prope *Vratislaviam.*

2. *Femoribus nigris, anticis geniculo rufo; capite toto nigro. — Longitudo* $3\frac{2}{3}$—$4\frac{1}{4}$ linearum. *Antennae* totae nigrae. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice alba. *Pedes* nigri; femoribus anticis geniculo rufo; tibiis anticis rufis, interne albis, mediis nigrofuscis interne albis, posticis puncto baseos albido; tarsis anterioribus fuscis, posticis nigris articulis 3 et 4 albis. *Abdomen* nigrum; segmentis 2—4 rufocastaneis, 7 macula terminali alba.

Mares duos *genuenses a Spinola* mihi transmisit.

Nota:

Ultra inquirendum est, numne mares descripti hujus speciei forsan varietates sint Crypti antecedentis.

Phygadeuon:

121. C. VARICOLOR. n.

Abdominis medio rufo; femoribus rufis, posticis apice nigro; tibiis rufis, posticis basi alba apice rufo; orbitis oculorum internis albis. m.

Longitudo $3\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* palpis et mandibularum macula pallide picea, orbitis oculorum faciei albis. *Antennae* porrectae, setaceae, dimidio corpore longiores, articulo 1 subtus rufo.

Thorax gibbulus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice exalbida; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres, rufi; coxis et trochanteribus nigris; femoribus posticis apice nigro; tibiis basi albidis, posticis apice nigro; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius; segmento 1 nigro, canaliculato, apicem versus sensim paulo dilatato, parte antica latitudine vix paulo longiore, fere dimidio breviore quam petiolus crassiusculus, apice rufo; 2 et 3 rufis; 4 nigro, basi et lateribus rufis; reliquis nigris.

Marem unicum *ab Esenbeck* circa *Sickershausen* cepit.

122. C. HUMILIS. n.

Segmentis 2 et 3 rufis, nigronebulosis, ano albido; femoribus anterioribus apice, posticis basi, rufis; tibiis anterioribus rufis; tarsis posticis annulo obsoleto albo. m.

Longitudo paulo ultra 3 lineas. *Antennae* porrectae, dimidio corpore longiores. *Thorax* gibbulus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et radice piceis, squamula nigra; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres; anteriores tibiis et femorum apice rufis, tibiis mediis externe nigricantibus, tarsis mediis articulo 2 exalbido; postici femoribus basi, tibiisque ante basin, rufis, tarsorum articulo 3 et secundi apice exalbidis. *Abdo-*

men capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, subfusiforme, segmentis 2—5 fere aequilatis; segmento 1 nigrofusco, parte antica subcanaliculata, latitudine parum longiore, paulo latiore et breviore quam petiolus; 2 et 3 rufis, macula nubeculosa dorsali nigricante; 6 margine dorsali, 7 macula triangulari dorsali, albis.

Marem unicum cepi, initio mensis Septembris, in Vaccinio myrtillo collis, *Scholzenberg* appellati, prope *Warmbrunn.*

Cryptus

123. C. PEREGRINATOR.

Abdomine rufo, apice nigro, ano albo; tibiis et femoribus rufis, posticis apice nigris; antennarum annulo albo. f.

Longitudo 2—4 linearum. *Antennae* graciles aut subgraciles, dimidio corpore parum longiores, apice curvatae aut involutae; articulis 7—11, vel eorum plurimis, tribus lateribus albis. *Thorax* gibbus aut gibbulocylindricus, rarius cylindricus. *Alae* mediocres aut subangustae, fumatohyalinae, radio stigmate et squamula fuscis aut nigris, radice straminea aut albida; areola quadrata aut quinqueangulari. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici apice femorum et tibiarum nigro, tarsis nigricantibus aut fuscis; femoribus mediis interdum basi summa nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, fusiforme aut ovatofusiforme; segmento 1 laevissimo,

rufo, petiolo nigricante, parte antica subquadrata vel latitudine paulo longiore, latiore et breviore quam petiolus; 2 et 3 rufis aut fulvis; 4 ut plurimum nigro, basi et lateribus rufis aut fulvis, rarius toto nigro aut fere toto rufo; reliquis nigris, 5 rarius lateribus rufis, 6 et 7 supra membranula albida. *Aculeus* abdomine paulo brevior aut paulo longior, rarissime abdomine multo longior.

Hujus speciei communis multa individua legi, vere et aestate, praecipue in umbellatis, passim in *Silesia*, nec non in *Hercynia* et circa *Gottingam*; multa etiam, circa *Hannoveram*, *Sickershausen* et *Trajectum ad Moenum*, nec non in *Austria*, *Gallia*, *Volhynia* et *Tauria* capta, mihi transmissa sunt.

Varietates:

1. *Femoribus posticis totis nigris.* — *Femora* anteriora, vel saltem media, basin versus plus minus nigricantia; postica nigra, summa basi plerumque rufa. — Caetera feminis genuinis respondent.

Individua nonnulla, circa *Warmbrunn*, nec non in *Volhynia*, *Genua* et *Regione Pedemontana* capta, mihi transmissa sunt.

2. *Femoribus posticis et segmento primo totis nigris.* — *Femora* anteriora ut in varietate 1. *Aculeus* abdomine paulo longior. — Caetera sicut in specie genuina.

Tria individua ex *Etruria Genua* et *Regione Pedemontana* mihi transmissa sunt.

3. *Femoribus posticis fuscocastaneis apice nigro.* — *Femora* anteriora ut in varietate 1. — *Aculeus* abdomine paulo longior. — Caetera speciei genuinae respondent.

Nonnulla individua circa *Gottingam* cepi, alia quaedam passim in *Silesia* et circa *Niesky* lecta sunt.

4. *Femoribus posticis totis rufis.* — *Longitudo* 3 linearum. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tarsis et summo tibiarum apice fuscis. *Abdomen* segmentis 1—3 totis rufis. *Aculeus* abdomine paulo brevior.

Unicum individuum, circa *Genuam* captum, a *Spinola* mecum communicavit.

5? *Tibiis femoribusque anterioribus superne nigricantibus.* — Magnitudine, pedibus longioribus et gracilioribus, antennis quoque paululum longioribus, a feminis genuinis discedit. — *Longitudo* 4¼ linearum. *Antennae* articulis 9—11 supra albis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris, areola quadrata. *Pedes* nigri; anteriores latere interno tarsorum apiceque femorum rufoferrugineis, tibiis rufoferrugineis, anticis externe fuscescentibus, mediis externe nigricantibus; postici femoribus rufis geniculo nigro. *Abdomen* segmento 1 rufo, petiolo nigro; 2 et 3

rufis; sequentibus nigris, 4 summa basi rufa, 7 et accessorio 8 macula dorsali alba membranacea. *Aculeus* abdomine paulo brevior.

Feminam unicam cepi in umbellatis prope *Cudowam*, mense Augusto.

Synonyma:

Ichn. peregrinator Linn. Fauna n. 1601. — Syst. XII. n. 25.
„ Fuessl. Helv. p. 49, n. 950; in floribus, haud rarus.
„ Fourcroy p. 411, n. 52.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2686, n. 25.
„ Villers p. 160, n. 75.
„ Christ p. 356 (Auctor refert, Fabricium descripsisse *Ichn. peregrinatorem abdominis apice concolore et pedibus haud clavatis;* Fabricius autem hanc speciem nullibi recepit, sed ejus tantum comparative fecit mentionem sub *Ichneum. migratore*).
„ Olivier p. 178, n. 70.
„ Latreille Hist. nat. p. 323.
„ Walckenaer p. 56, n. 38.
„ Thunb. Ichn. n. 110.

Ichn. incubitor Christ tab. 36, fig. 5 (nec vero *Ichneum. incubitor* reliquorum auctorum).

Ichn. Geoffroy p. 343, n. 51.

Mares?

1. Abdomine rufo, apice nigro, ano albo; tibiis et femoribus rufis, posticis apice nigro; tarsorum posticorum annulo albo.

Longitudo 3 ½—3 ⅔ linearum. *Antennae* porrectae setaceae, longitudine dimidii corporis, crassiores quam in reliquis maribus hujus familiae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, stigmate radio et radice piceis, squamula nigra; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres, elongatuli, coxis et trochanteribus nigris; femoribus rufis, posticis geniculo nigro; tibiis rufis, posticis apice, vel etiam basi, nigris; tarsis fuscis, mediis articulo 2 albo, posticis nigris, articulis 2 et 3 albis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, segmentis 2—6 subaequilatis; segmento 1 laevi, rufo, petiolo nigro, parte antica latitudine parum longiore, latiore et breviore quam petiolus; 2 et 3 rufis; reliquis nigris, 6 et 7 macula alba marginali.

Unum marem cepi die 8 Augusti prope *Helmstadium,* in fruticeto aphidibus occupato; alterum *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

2. Diagnosis maris antecedentis, a quo hic autem antennis pedibusque longioribus atque gracilioribus, metathorace crassius puncto, areola magis quadrata, abdomine paulo latiore, differt.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* subgraciles porrectae filiformes, corpore paulo breviores. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula

fuscis, radice picea; areola quadrata. *Pedes* graciles rufi, coxis et trochanteribus nigris, postici geniculis, tibiarum apice, tarsisque nigris, his articulis 3 et 4 albis. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius, thoracis latitudine, segmentis 2—5 aequilatis; segmento 1 nigro, parte antica quadrata, breviore at fere duplo latiore quam petiolus, macula apicali rufa; 2 et 3 rufis; 4 nigro basi rufa; reliquis nigris, 6 et 7 macula dorsali alba.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Nota:

De his maribus, si unus alterve eorum verus mas *peregrinatoris* sit, adhuc incertus sum, num primum numve secundum cum femina descripta conjungere debeam. Ambo rarissime inveniuntur, cum feminae frequentissimae sunt. Potius attamen secundum cum feminis istis copulare amarem, quam primum.

Phygadeuon.

124. C. SUBGUTTATUS. n.

Segmentis 1 — 4 rufis; tibiis femoribusque rufis, posticis apice nigris; orbitis internis oculorum, antennarum articulo primo subtus, puncto infra alas, annuloque tarsorum, albis. m.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* palpis, macula mandibularum, orbitisque oculorum inter-

nis, albis. *Antennae* setaceae porrectae, corpore breviores, articulo 1 subtus albo. *Thorax* gibbulus, puncto albo infra alas. *Alae* subfumatohyalinae mediocres, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis; areola quinqueangulari pyramidata. *Pedes* subgraciles, rufi, coxis et trochanteribus nigris; anteriores tarsorum articulis 3 et 4 albidis; postici apice femorum et tibiarum nigro, tarsis albis, articulis 1 et 5 nigris. *Abdomen* capite et thorace vix paulo longius, thorace angustius, subfusiforme, rufum; segmento primo profunde et late canaliculato, apicem versus sensim dilatato, parte antica latitudine parum longiore, paulo breviore quam petiolus crassiusculus; 5—7 nigris.

Unicum individuum cepi circa *Vratislaviam* mense Iunio in gramine.

125. C. NUBECULATUS. n.

Abdomine rufo, apice nigro, ano albo; femoribus et tibiis anticis subtus subtestaceis. m. f. (*Femina* antennarum articulis 8—10 albis).

Longitudo maris fere 4 — fere 5, *feminae* 3½—4 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis pallidis tenuissimis. *Antennae* dimidio corpore paululum longiores, *maris* porrectae setaceae crassiusculae; *feminae* graciles filiformes curvatae, articulis 8—10 tribus lateribus albis, 7 et 11 interdum superne subalbentibus, 1 nonnunquam subtus subferrugineo. *Thorax* gibbus, metathorace

crassepuncto, spinis duabus acutiusculis. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, feminae nubecula obscuriore sub stigmate; squamula radice radio et stigmate nigris; areola quadrata. *Pedes* mediocres aut subgraciles, subelongati, nigri; femoribus anticis subtus obscurius aut dilutius testaceis, posticis feminae vel interne vel medio castaneis, dilutioribus aut obscurioribus; tibiis anticis testaceis, externe obscurioribus aut fuscis, feminae interdum totis testaceis, mediis nigris, interne testaceis aut ferrugineis, maris interdum totis nigris, posticis feminae plerumque interne basin versus ferrugineis. *Abdomen maris* vix capite et thorace paulo longius et angustius, ovatofusiforme, segmento 1 parte antica quadrata, latiore et fere dimidio breviore quam petiolus linearis, rufo, petiolo nigro; *feminae* vix capitis et thoracis longitudine, thoracis latitudine, ovatum, apicem versus incrassatum; segmento 1 laevi rufo aut castaneo, parte antica longitudine paulo latiore, breviore et latiore quam petiolus niger, apicem versus sensim incrassatus; segmentis 2 et 3 rufis, feminae interdum castaneis; 4 nigro, basi aut limbo toto rufo, maris interdum toto rufo, feminae interdum toto nigro; reliquis nigris, vel omnibus vel solis 6 et 7 margine albo, in femina interdum obsoleto. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine, aut paulo brevior.

Marem cepi circa *Gottingam;* alterum, *genuensem,* eumque segmento 5 toto nigro, 4 nigro basi rufa, *a Spinola* transmisit. Feminae nonnullae, circa *Vratislaviam, Niesky, Hannoveram,*

Sickershausen, Norimbergam captae, mecum communicatae sunt.

Varietates:

1. *Mas: Femoribus anterioribus nigris, apice rufo.* — *Statura* maris genuini; segmento 1 autem paulo angustiore, areola quinqueangulari. — Affinis etiam *Cr. tenuipedi* familiae III, qui autem segmento 1 breviore, pedibus gracilioribus, differt. — *Longitudo* fere 3 linearum. *Antennae* subtus fuscoferrugineae, basi nigra. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris; areola subquinqueangulari. *Pedes* nigri; antici tibiis et femorum apice rufis; medii femorum summo apice et tibiarum summa basi rufis. *Abdomen* segmento 1 nigro, macula apicali rufa; 2—4 rufis; reliquis nigris, 6 summo margine, 7 dorso, albis.

Unicum individuum *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

2.? *Femina: Femoribus rufis, anterioribus basi, posticis basi apiceque, nigris.* — *Longitudo* 4¼ linearum. *Caput* totum nigrum. *Antennae* articulis 9—12 tribus lateribus albis. *Alae* sicut in femina genuina. *Pedes* anteriores rufi, coxis trochanteribus et basi femorum nigris; postici nigri, femoribus medio rufis. *Abdomen* segmento 1 margine rufo, 2—4 rufis, 4 margine fusco (reliquis deficientibus).

Hanc feminam *Besser* e *Volhynia* transmisit.

126. C. GROSSUS. n.

Abdomine rufo, apice nigro, ano albo; femoribus et tibiis anticis subtus rufotestaceis; antennarum articulis 10—12 albis. f.

Statura et proportio partium speciei praecedentis; sed articulis antennarum brevioribus et pluribus.

Longitudo 4—5 linearum. *Antennae* articulis 10—12 tribus lateribus albis. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris, areola quadrata. *Pedes* vel *a*) nigri; antici tibiis et latere altero femorum ferrugineis; medii interdum tibiis et latere altero femorum fuscoferrugineis; vel *b*) coxis et trochanteribus nigris, macula castanea; antici femoribus fusconigris, interne testaceis, tibiis ferrugineis, interne testaceis, tarsis ferrugineis; medii mutilati; postici femoribus tibiisque fusconigris, interne castaneis, tarsis fuscis. *Abdomen* segmento 1 rufo, petiolo vel toto vel basi nigro; 2 et 3 rufis; 4 rufo aut nigro; 5—7 nigris, margine albo. *Aculeus* abdominis quadrantis longitudine.

Tres feminas, circa *Vindobonam* et *Genuam* captas, accepi.

127. C. ATRIPES. n.

Segmentis 2—4, basique quinti, castaneis; tibiis anticis, nec non latere altero femorum anticorum et tibiarum mediarum, rufis; antennis alboannulatis. f.

Statura et proportio partium omnino feminae *nubeculati*, n. 125; segmento 1 autem angustiore.

Longitudo fere 4 linearum. *Antennae* articulis 9—11 tribus lateribus albis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris, areola quadrata. *Pedes* antici tarsis tibiis et latere altero femorum rufis; medii tibiis tarsisque interne rufis. *Abdomen* ovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 nigro laevi nitido sublineari, apicem versus sensim paulo dilatato, parte antica obscurocastanea scrobiculata, latitudine vix parum longiore; 2—4 castaneis; 5 nigro basi castanea; reliquis totis nigris. *Aculeus* fere quadrantis abdominis longitudine.

Unicum individuum *pedemontanum* *Bonelli* transmisit.

128. C. OCCISOR. n.

Abdominis medio, nec non tibiis anticis et femorum anticorum apice, rufis; ano exalbido. f.

Statura et proportio partium omnino *Cr. peregrinatoris*, n. 123.

Longitudo 3—4 linearum. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice piceotestacea; areola quinqueangulari seu subquadrata. *Pedes* antici tibiis et femorum apice ferrugineis. *Abdomen* capitis et thoracis longitudine, thorace vix paulo angustius, elongatoovatum; segmentis 2 et 3 rufis, 4 interdum basi rufa, 7 membrana apicali sordide albida. *Aculeus* vix abdominis longitudine, niger, terebra rufa.

Duo individua *genuensia a Spinola* mecum communicavit.

129. C. MONTANUS. n.

Segmentis 1—3, femoribus tibiis tarsisque rufis; ano et antennarum annulo albis. f.

Statura et proportio partium *Cr. lacteatoris*, n. 131; sed areola quadrangulari, aculeo breviore.

Longitudo 3½ linearum. *Antennae* articulis 8—13 supra albis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice picea, squamula nigra; areola quadrata. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* segmento 1 rufo, petiolo fusco; 2 rufo; 3 rufo, margine summo nigro; reliquis nigris, 6 et 7 membrana dorsali alba. *Aculeus* dimidio abdomine vix longior.

Hoc individuum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Cryptus.

130. C. CONTRACTUS. n.

Segmentis 1—3 rufis, ultimis albidis; tibiis femoribusque anterioribus rufis, his nigromaculatis; pedibus posticis rufis, tarsis nec non tibiarum et femorum apice nigris; antennarum annulo albo. f.

Statura et proportio partium *Cr. incubitoris,* n. 117; aculeo autem breviore, antennis crassioribus.

Longitudo 4 linearum, vel paulo minor. *Caput* plerumque orbitis oculorum frontalibus ferrugineis aut rubricosis. *Antennae* articulis 7—12 aut 8—13 albis. *Thorax* metathorace subbispino. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice fusca; areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores rufi aut castanei, coxis et trochanteribus nigris, femoribus interdum latere convexo, mediis etiam basi tota, obscuris aut nigris; postici rufi aut castanei, tarsis nec non apice femorum et tibiarum nigris. *Abdomen* segmentis 1—3 castaneis aut rufis, petiolo obscuriore; 4 vel toto nigro, vel basi rufa; reliquis nigris, 6 et 7 membrana apicali alba. *Aculeus* abdominis quadrantis longitudine.

Unam feminam, eamque minorem, pedibus et segmentis 1—3 castaneis, capite et segmento 4 totis nigris, cepi mense Octobri circa *Vratislaviam;* alteram, femoribus anticis totis rufis, *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* tertiam, *austriacam, Dahl* transmisit.

Phygadeuon

131. C. LACTEATOR. n.

Abdomine rufo, apice nigro, ano albo; pedibus rufis. m. f. (*Mas* facie albomaculata; *femina* antennarum annulo albo, coxis et trochanteribus anticis nigris).

Statura et proportio partium *maris* sicut *Cr. subguttato*, n. 124, *feminae* sicut *Cr. incubitori*, n. 117, sed aculeo longiore, antennis crassioribus.

Longitudo maris 2½—4, feminae 3—3½ linearum. *Caput maris* ore et facie albis, hac macula majore minoreve, triquetra aut subquadrata, nigra, rarius solis orbitis oculorum internis albis; mandibulis basi apiceque nigris. *Antennae maris* ut plurimum articulo 1 subtus albido aut rufo; *feminae* articulis 8—12 aut 9—12 tribus lateribus albis, plerumque articulo 3, vel etiam 4, subtus ferrugineo. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice alba, squamula maris alba feminae nigra; areola quinqueangulari. *Pedes maris* rufi aut fulvorufi, postici tarsis paulo obscurioribus, interdum summo tibiarum apice nigricante; *feminae* rufi, antici coxis et trochanteribus, nec non femorum latere convexo, nigris, medii trochanteribus nigris, postici plerumque femorum et tibiarum apice nigro, tarsis fuscis. *Abdomen* segmento 1 rufo aut rufofulvo, petiolo obscuriore aut nigro; 2 et 3, interdum quoque basi quarti vel ejus dorso, rufis aut rufofulvis;

6 et 7, interdum etiam 5, membrana marginali alba. *Aculeus* longitudine abdominis.

Mares quosdam, circa *Cudowam, Warmbrunn* et *Hannoveram* captos, accepi; minores differunt a majoribus, antennarum articulo 1 subtus rufo, abdomine magis lineari, segmentis 2—6 aequilatis, segmento 1 laeviori. — Feminam unam, eamque minorem et paulo graciliorem, pedibus posticis totis rufis, antennarum articulis 1—7 totis nigris, vere cepi circa *Scheidnich*, alteram mense Augusto in umbellatis circa *Cudowam*, tertiam *austriacam Dahl* mihi transmisit.

Varietas:

1. *Abdominis apice nigro unicolore.* m. — *Statura* omnino marium genuinorum majorum. *Longitudo* 3⅔ linearum. *Caput* ore et clypeo albis, facie tota nigra. *Antennae* articulo 1 subtus albo. *Alae* ut in mare genuino, squamula autem fusca puncto albo. *Pedes* rufi; anteriores trochanteribus et coxis albidis; postici tarsis et summo tibiarum apice nigricantibus. *Abdomen* segmentis 2—4 et primi apice rufis, 5 fuscorufo.

Unicum individuum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Synonyma varietatis:

Ichneum. erythrogaster Gmel. ed. Linn. p. 2704, n. 314.

132. C. ORNATUS. n.

Segmentis 1—3 rufis, 7 dorso albo; pedibus rufis, posticis femorum et tibiarum apice nigro; antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium omnino *Cr. incubitoris*, n. 117, a quo hic ornatus solis tibiis posticis basi haud albis differt.

Longitudo 2½—3½ linearum. *Antennae* articulis 3 et 4 aut 3—5 rufis, interdum supra fuscis, 8—10 supra albis. *Alae* fumatohyalinae; stigmate radio et radice piceo-testaceis aut fuscescentibus, squamula nigra rarius rufa; areola quadrata, rarius subquinqueangulari. *Pedes* rufi; postici apice femorum et tibiarum nigro, harum basi summa fusca, interdum tibiis externe totis fuscis annulo rufescente ante basin. *Abdomen* segmentis 1—3 rufis aut rufofulvis, plerumque petiolo basi nigro aut fuscescente, reliquis nigris, 7 dorso albo. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine aut paulo brevior.

Teste *Hartliebio* larva hujus Crypti degit in larva *Zygaenae Peucedani*. Nonnulla alia specimina, circa *Warmbrunn*, nec non in *Volhynia* et *Fennia* lecta, transmissa mihi sunt; fennicum a reliquis discedit areola minore subquinqueangulari, tibiis posticis obscurioribus, squamula et petiolo toto rufis.

Phygadeuon

133. C. ERYTHRINUS. n.

Abdomine rufo, apice nigro, ano albo, pedibus rufis, antennis tricoloribus. f.

Longitudo 2⅔ linearum. *Antennae* filiformes, curvatae, dimidio corpore vix paulo longiores, subcrassiusculae; articulis 1—5 rufis, 1, 4 et 5 interdum supra fuscis, 6 et 7, vel etiam 8, fuscis, 8—13 vel 9—12 albis, reliquis fuscis. *Thorax* subcylindricus. *Alae* subangustae, fumatohyalinae; stigmate et radio piceis aut fuscis, radice albida, squamula vel rufa vel albida vel fuscescente; areola quinqueangulari subpyramidata. *Pedes* rufi, postici interdum summo apice tibiarum nigricante. *Abdomen* capitis thoracisque latitudine et longitudine, vel paululum longius, oblongoovatum aut fusiforme; rufum; segmentis 5—7 nigris, 6 et 7 membrana marginali albida; 1 parte antica subquadrata, basin versus sensim paulo angustata, longitudine petioli fusci latiusculi, basin versus sensim angustati. *Aculeus* longitudine abdominis.

Manger quaedam individua cepit circa *Warmbrunn*.

Nota:

Haec species, statura tota, nec non ratione crassitudinis antennarum et pedum, medium tenet inter hanc familiam et sequentem; ob aculeum longiorem autem in familia secunda locum obtinet.

Phygadeuon.

134. C. RUFULUS.

Abdominis medio rufo; pedibus rufis, posticis apice femorum et tibiarum nigro; antennis rufis, basi apiceque fuscis. f.

Statura et proportio partium omnino *Cr. incubitoris*, n. 117.

Longitudo paulo infra aut ultra 2½ lineas. *Antennae* articulo 1 nigro, sequentibus rufoferrugineis, ultimis fuscis. *Thorax* tuberculis duobus acutis metathoracis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate nigro, puncto albo, radio fusco, radice albida, squamula nigra, areolae quinqueangularis nervo externo tenui. *Pedes* rufi; postici apice summo femorum et tibiarum nigricantibus, tarsis fuscis. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice rufo; 2 et 3 rufis; 4 vel nigro basi rufa, vel rufo margine nigro; sequentibus nigris, 7, vel etiam 6, membrana albida. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine vel paulo longior.

Feminas duas cepi mense Iunio in gramine prope *Vratislaviam*.

Synonyma:

Ichn. rufulus Gmel. ed. Linn. pag. 2717, n. 362 var. δ (de reliquis varietatibus, a Gmelino sub hac specie descriptis, haud sententiam ferre queo, cum mihi plane ignotae sint).

135. C. AMOENUS. n.

Segmentis 1—3 rufis, 6 et 7 albis; pedibus rufis, posticis femorum et tibiarum apice nigro, tarsis albis. f.

Statura et proportio partium *Cr. carnificis* et *sanguinolenti*, n. 141 et 142, feminarum.

Longitudo paulo ultra 4 lineas. *Caput* palpis albidis. *Antennae* articulis 1—4 nigris, (sequentibus deficientibus, mediis forsan albis, quemadmodum in speciebus cognatis). *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate piceo, radio et squamula fuscis, radice testacea, areola quadrata. *Pedes* subgraciles, dilute rufi; postici femorum et tibiarum apice nigro, tarsis albis, unguibus nigris. *Abdomen* ovatum, capite thoraceque paulo longius et latius, teres; segmento 1 nitido canaliculato, parte antica latitudine paulo longiore, breviore et latiore quam petiolus, rufo; 2 et 3 rufis; sequentibus nigris, 6 et 7 fascia alba. *Aculeus* dimidio abdomine brevior.

Feminam unicam *de Block* circa *Dresdam* cepit.

SECTIO VI.

Scutello et thoracis parte rufis; abdomine rufo nigroque.

Abdomen basi rufum, apice nigrum, ano interdum albonotato, est. — *Scutellum* et *thorax* varietatis *Cr. sanguinolenti*, picturis rufis obsoletis, fere nigri unicolores, in *Cr. praedatore* autem toti nigri sunt.

E *sectione* 4 varietas *Cr. congruentis*, metathoracis dorso rufo, huc spectat.

136. C. MINUTORIUS.

Rufosanguineus; capite, coxis, trochanteribus et abdominis apice, nigris; thorace femoribusque nigromaculatis; antennis tricoloribus. f.

Longitudo 2⅓ — 3 linearum. *Caput* orbitis oculorum tenuibus, interdum etiam palpis, puncto mandibularum, alteroque genarum, stramineis. *Antennae* corpore breviores, porrectae, filiformes, graciles, apice subcurvatae; articulis 1 — 3 nigris; 4 — 8 vel omnibus ferrugineis, vel solis 4 et 5 subtus totis aut tantum apice ferrugineis, interdum etiam 3 apice ferrugineo; 9 — 11 tribus lateribus albis; reliquis fuscis aut ferrugineis. *Thorax* gibbulus, rufosanguineus, collo pectore et regione circa scutellum nigris, metathorace interdum tuberculis duobus minutis subacutiusculis. *Scutellum* sanguineorufum. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate nigro, radio piceo, radice picea aut albida, squamula picea aut nigra; areola quinqueangulari. *Pedes* graciles, rufoferruginei; coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus vel fere totis, vel latere convexo, vel basi sola, posticis autem totis, nigris; tibiis posticis ut plurimum apice nigricante. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 parte antica latitudine paulo longiore, apicem versus sensim dilatata, longitudine petioli, aut paulo breviore, rufo aut rubrocastaneo, petiolo ut plurimum nigro; 2 et 3 rufis

aut badiis, 3 interdum dorso nigricante; reliquis nigris. *Aculeus* niger, trientis aut dimidii abdominis longitudine.

Feminae nonnullae ex *Austria Genua* et *Tauria* mihi transmissae sunt; *lusitanicam* vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg; hercynicam* in museo *Minckwitziano.*

Synonyma:

Cryptus minutorius Fabr. Piez. p. 72, n. 9; habitat in Germania australiori.
Cryptus constrictor Fabr. Piez. p. 84, n. 54.
Ichn. agitator Olivier p. 179, n. 77; habitat circa Parisios.
„ Walckenaer p. 57, n. 43.
Ichn. rubricator Panzer Fauna Fasc. 84, t. 14; habitat in floribus inter aphides, teste Iurineo. — Revis. p. 71.

Nota:

Quamquam Fabricius, nec in *minutorio* nec in *constrictore,* orbitarum pallidarum mentionem fecit, attamen haud dubito quin ambo ad nostram speciem adhibendi sint, cum Panzer, qui *minutorium* ipse Fabricio transmisit (v. Fabr. Piez. p. 72), hunc cum *rubricatore,* in Revis. p. 71, conjunxerit. — *Ichn. rubricator* Thunb. Ichn., n. 87, thorace scutelloque nigris etc. differt.

In museo *Minckwitziano* specimina novem hujus speciei, a *Dahlio* sub nominibus quinque di-

versis, nempe *trucidatoris*, *spurcatoris*, *vagatoris*, *purpuratoris*, *cuneatoris*, missa vidi.

Phygadeuon,

137. C. FLAGITATOR.

Abdominis basi rufa apice albo; thorace rufo, macula pectorali et regione circa scutellum nigris; tibiis ferrugineis, posticis apice nigro; annulo antennarum albo. f.

Longitudo 2¼ linearum. *Caput* clypeo et macula obsoleta inter antennam et oculum rufescentibus. *Antennae* filiformes, apice involutae, dimidio corpore paulo longiores; articulis 2—4 rufoferrugineis, 9—11 albis subtus nigrofuscis, reliquis nigris. *Thorax* gibbulocylindricus, rufus; collo, macula pectorali, regione circa scutellum, nigris; metathorace bispino. *Scutellum* rufum. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice piceostraminea, squamula rufoferruginea; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres nigri; anteriores tarsis tibiis et femorum anticorum apice ferrugineis; postici coxis et trochanteribus superne rufescentibus, tibiis basin versus ferrugineis. *Abdomen* thoracis longitudine, eo autem paulo angustius, ovatum, depressiusculum, apicem versus crassiusculum, nigrum; segmento 1 rufo, subcanaliculato, apicem versus sensim dilatato, parte antica longitudine paululum latiore, breviore quam petiolus; 2 basi rufo; 6 et 7 superne membrana alba. *Aculeus* niger, dimidii abdominis longitudine.

Feminam unicam *austriacam Dahl* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. flagitator Rossi Mant. II App., n. 83; habitat in plantis.
Ichn. exhortator Panzer Fauna Fasc. 94, tab. 13 (segmento 2 et antennarum articulis 1 — 7 totis rufis),

Nota:

Huc haud referri potest *Ichn. exhortator* Fabr. Oliv. Vill. Gmel., qui hanc speciem magnitudine excedit et, ob abdomen compressum, in Fabricii Syst. Piez. Ophionibus consociatus est.

138. C. HAEMATODUS. n.

Abdominis basi, pedibus anterioribus, maculis thoracis et capitis, rufis; scutello et antennarum annulo albis. m.

Longitudo 2 linearum. *Caput* nigrum, palpis fuscescentibus, mandibulis medio subrubricosis, clypeo interdum macula rubra, fronte et facie vel totis rubricantibus vel fuscis, orbitis oculorum internis rubris vel fuscis, orbitis oculorum frontalibus rubris, tuberculo elato faciei rufo. *Antennae* filiformes curvatae, corporis dimidii longitudine, nigri; articulo 1 rufo, rarius etiam 2 — 4 rufis, 8 — 12 albis. *Thorax* cylindricus, collo rubro aut nigro, prothoracis dorso et lateribus ru-

bris; metathorace bispino, macula laterali rubra; lineola infra alas alba. *Scutellum* album. *Alae* subangustae, fumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice flavescente aut straminea, squamula rufa; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres rufi; medii interdum femoribus externe subfuscescentibus; postici femoribus nigris, vel basi sola vel latere interno toto rufis, tibiis apice nigro, tarsis rufescentibus aut nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, depressiusculum, oblongum; segmentis 2—5 aequilatis; 1 laevi rufo, parte antica subtransversa, duplo latiore at dimidio breviore quam petiolus; 2 rufo, dorso ante marginem nigro; 3 nigro, angulis baseos et summo margine rufis; sequentibus nigris, 4 interdum summo margine rufo.

Tres mares *genuenses a Spinola* mecum communicavit.

139. C. MELANOCEPHALUS. n.

Rufus; capite et segmentis ultimis nigris; scutello ano et antennarum annulo albis. f.

Statura pedibusque gracilioribus haec a reliquis cospeciebus hujus sectionis differt.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* graciles, nigrae; articulis 2—5 subtus ferrugineis, 8—11 tribus lateribus albis, sequentibus nigrofuscis (ultimis deficientibus). *Thorax* subcylindricus, rufus, regione circa scutellum et macula parva

pectorali nigris. *Scutellum* album. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice substraminea, squamula nigra, areola quadrata. *Pedes* graciles rufi; coxis fuscis, posticis basi rufa; trochanteribus fuscis; femoribus anterioribus superne, posticis apice, tibiis externe, tarsisque, fuscescentibus. *Abdomen* oblongum, capitis et thoracis longitudine et latitudine; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, laevissimo, rufo, parte antica latitudine longiore, paulo latiore et breviore quam petiolus; 2 et 3 rufis; 4—6 nigris; 7 albo. *Aculeus* niger, abdomine paulo brevior.

Unicam feminam *a Steven* e *Tauria* transmisit.

140. C. TYRANNUS. n.

Segmentis 1 et 2 rufis, 5—7 albomarginatis; tibiis rufis, posticis apice nigro; thorace bispino rufo; annulo antennarum albo. f.

Statura et proportio partium *Cr. minutorii,* n. 136; sed pedibus antennisque crassioribus, metathorace bispino.

Longitudo paulo ultra 2 lineas. *Caput* orbitis oculorum internis rufescentibus. *Antennae* filiformes, curvatae, dimidii corporis longitudine; articulis 3 et 4 rufoferrugineis, 8—10 tribus lateribus albis. *Thorax* gibbulocylindricus rufus, circa scutellum niger; metathorace spinis duabus acutis. *Scutellum* rufum. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice flavotestacea, squa-

mula rufa; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres nigri; anteriores apice femorum, tibiis tarsisque, rufis; postici tibiis basin versus rufis. *Abdomen* segmentis 1 et 2 rufis, 2 fascia fusca; reliquis nigris, 5—7 margine albido. *Aculeus* fere dimidii abdominis longitudine.

Unicam feminam cepit *a Stillfried* circa *Hirschberg*.

141. C. CARNIFEX. n.

Abdominis basi, pedibus et metathorace, rufis; ano albo; antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium *Cr. minutorii*, n. 136; sed areola quadrata.

Longitudo 4½—4⅔ linearum. *Antennae* articulis 3—5 rufis aut ferrugineis, 9—10—11 superne albis. *Thorax* vel niger, metathorace et prothoracis lateribus sub alis rufis, vel rufus, collo et prothoracis dorso nigris. *Scutellum* rufum. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate stramineo, radio piceo basin versus stramineo, radice picea, squamula ferruginea; areola quadrata. *Pedes* rufi, tibiis posticis apice summo nigricante. *Abdomen* segmentis 1—3 rufis, sequentibus nigris, 4 interdum margine rufo obsoleto, 7 dorso albo. *Aculeus* niger, dimidii abdominis longitudine.

Unam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*, alteram vidi in museo *Klugii Berolini*.

142. C. SANGUINOLENTUS. n.

Segmentis 1 et 2, scutello, prothoracis dorso, tibiis femoribusque, rufis. m.

Longitudo 5 ½ linearum. *Caput* labro, clypeo, parte orbitarum externarum, fascia lata faciei, rubris. *Antennae* porrectae setaceae, dimidio corpore longiores, subtus rufae, apicem versus sensim obscuriores. *Thorax* gibbus, collo superne badio, prothoracis dorso rufococcineo. *Scutellum* rufococcineum. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice flava, squamula testacea; areola quadrata. *Pedes* subgraciles subelongati rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici etiam tarsis et tibiarum apice nigricantibus. *Abdomen* oblongosubclavatum, capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine; segmento 1 nitido, canaliculato, rufo, petiolo crassiusculo nigro, apicem versus sensim paulo dilatato, parte antica subquadrata, latitudine parum longiore, paulo latiore et breviore quam petiolus; 2 rufo, subfusconubeculoso; reliquis nigris, 3 obsolete castaneomaculato.

Unicum individuum *pedemontanum Bonellio* debeo.

Varietas:

Thorace et scutello fere totis nigris. m. — *Caput* fascia faciali deficiente. *Thorax* totus niger, lineis duabus dorsalibus obsoletis rufococci-

neis. *Scutellum* nigrum, nitore rufescente obsoletissimo. *Alae* squamula rufa. *Abdomen* thorace paulo angustius; segmento 1 rufo petiolo nigro, 2 castaneo. — Caetera speciei genuinae respondent.

Hoc individuum *pedemontanum Bonelli* cum specie genuina transmisit.

Nota:

An mas speciei sequentis?

143. C. PRAEDATOR. n.

Niger; segmento 1 et basi secundi, pedibusque, rufis, coxis nigris; annulo antennarum ani et tarsorum posticorum albo. f.

Statura et proportio partium omnino feminae *Cr. nubeculati*, n. 125; abdomine et aculeo parum longioribus.

Longitudo fere 6 linearum. *Antennae* graciles filiformes, dimidio corpore paululum longiores; articulis 9 et 10 albis subtus ferrugineis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice ferruginea; areola quadrata. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus tibiisque posterioribus summo apice nigro; tarsis rufis, ungue fusconigro, posticis articulis 3 et 4 albis. *Abdomen* segmento 1 rufo, 2 nigro basi castanea, sequentibus nigris, 7 fascia dorsali alba. *Aculeus* niger, abdominis triente brevior, vaginis apice subclavatis.

Hanc feminam *de Block* mecum communicavit, cum notitia, *Rossium* eam, sub nomine *Ichn. praedatoris*, in *Italia* indigenae, misisse.

Nota:

An femina varietatis speciei antecedentis?

144. C. BIMACULATUS. n.

Thorace et scutello rufis; macula alarum fusca; antennarum annulo albo. f.

Statura et proportio partium omnino *Cr. minutorii*, n. 136; sed abdomine paulo breviore et crassiore, magis contracto.

Longitudo fere 5 linearum. *Antennae* articulis 9—11 tribus lateribus albis. *Thorax* rufococcineus; collo, suturis, pectore, linea longitudinali dorsali prothoracis, regione circa scutellum, nigris. *Scutellum* rufococcineum. *Alae* fumatohyalinae, macula fusca transversali sub stigmate; squamula radio et stigmate nigris, radice rubricosa, areola quinqueangulari. *Pedes* tibiis anticis interne ferrugineis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine.

Unicam feminam *monspeliensem Lippert* mihi dono dedit.

FAMILIA III,

seu subgenus:

PHYGADEUON

a φυγαδευὸς, profligator — qui erucas profligat.

Abdomine feminae oblongo aut ovato, maris angustiore; segmenti primi petiolo paulo longiore et angustiore quam pars antica; areola quinqueangulari; pedibus et antennis mediocribus (aculeo mediocri).

Caput breve transversum, thorace paulo angustius, plurimis collum versus angustatum; paucis pro proportione majus et collum versus haud angustatum, attamen nec globosum nec subcubicum, v. c. *Ph. digitato, cephaloti, parviventri.* — *Oculi* ovales prominuli. *Antennae* marium porrectae, longiores plerumque paulo graciliores quam in feminis, quibus illae curvatae aut involutae sunt. — Descriptio fusior antennarum et *oris* sub Ph. quadrispino edita est. — *Thorax* gibbulus, interdum subcylindricus. — *Scutellum* convexum aut convexiusculum, triangulare, apice plus minus obtuso. — *Alae* mediocres; areola quinqueangulari, rarius nervo exteriore obsoleto, rarissime quadrata (*Ph. larvato*). — *Pedes* mediocres; interdum crassiusculi, praesertim feminis, e. g. *Ph. profligatoris, brevis, speratoris*; maribus nonnullis, e. g. *Ph. arridentis*, et *facialis*, subgraciles. — *Abdomen* petiolatum, convexiusculum aut depressiusculum; hoc praecipue nonnullis feminis, quibus ut plurimum abdomen brevius et latius quam maribus esse solet, interdum tantum thoracis longitudine, e. g. *Ph. parviventri*; maribus plurimis thorace multo angustius, saepe pergracile et aequilatum. Segmentum primum plerisque laeve est, parte antica circiter longitudine petioli, at paulo latiore quam

petiolus, saepe vix latiore, praesertim maribus, ita ut segmentum totum fere lineare et leniter arcuatum sit; *Ph. faciali* tamen petiolus fere triplo longior est parte antica. Quo angustius segmentum primum est, eo distinctiora sunt tubercula lateralia. Quibusdam speciebus, quarum abdomen et segmentum primum breviora et latiora sunt, hoc lineas duas habet elevatas, e. g. *Ph. discedenti* et *quadrispino;* petiolus autem omnibus medio distinctius aut obsoletius canaliculatus est. *Aculeus* exsertus, vaginis plerumque abdomine dimidio brevioribus.

De affinitate et transitu Phygadeuontium ad *Ichneumones*, *Stilpnos*, *Mesoleptos* et *Cryptos* supra jam locutus sum. — *Ph. triannulatus*, ob antennas apicem versus compressas, ad *Barycerotes* propius accedit. — *Hemitelium* feminae, abdomine depressiusculo, antennis crassioribus, pedibus mediocribus, e. g. *H. ridibundus*, nec non plures mares, antennis rigidioribus, abdomine depressiusculo, v. c. *H. palpator*, *ruficinctus*, *tristator* (cui quoque areola completa quinqueangularis est), *imbecillus*, etc. adpropinquant ad Phygadeuontes. *Hemitelis aestivalis* femina vix a femina *Phygadeuontis fumatoris* discerni potest, nec nisi aculeo breviore et areola minus distincta differt. Itidem *Hemitelis tristatoris* individua quaedam, areola quinqueangulari completa, ob magnitudinem corporis eximiorem transeunt ad Phygadeuontes. Ad hos spectat etiam *H. imbecillus*, ob nervum exteriorem te-

nuem areolae, statura etc. respondens feminae Phygadeuontis jejunatoris. Inter Phygadeuontes vero etiam nonnulli sunt, nervo isto obsoleto, v. c. *Ph. troglodytes*, *excelsus*, varietas *variabilis*, indeque ad Hemiteles adpropinquantes.

Scutello et abdomine nigris, albonotato, abdomine rufo nigroque. p. 651.
Scut. nigro, abdomine vel rufo, vel rufo nigroque. p. 665.

SECTIO I.

Scutello et abdomine nigris.

Species plurimae segmentis ultimis albomarginatis, quaedam etiam segmento uno alterove castaneomarginato, gaudent.

Phygadeuontis nycthemeri, n. 151, var. segmentis 1—3 castaneonebulosis, ad *sectionem tertiam* spectat.

145. P. VULNERATOR. n.

Metathorace bispino; femoribus posticis tibiisque castaneis. f.

Longitudo 3½ linearum. *Antennae* (adglutinatae) filiformes, subcurvatae, dimidio corpore paululum longiores. *Thorax* gibbus; metathorace crasse puncto bispino. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae; stigmate radia et squamula nigris, radice fusca; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres subelongati; anteriores nigri, tibiis tarsisque castaneis; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus castaneis, tibiis fuscis interne castaneis, tarsis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine ovatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine longiore, lineis duabus longitudinalibus elevatis, tuberculis lateralibus, vix conspicuis, in medio sitis; 1 et 2 scabrosopunctis, opacis; reliquis laevibus nitidis; 6 et 7 membrana albida terminatis. *Aculeus* exsertus perbrevis.

Feminam unicam *gallicam Brongniart* mecum communicavit.

146. P. NIGRITA. n.

Metathorace bispino; tibiis femoribusque rufis, posticis apice nigris. m. f. (*Femina* antennis alboannulatis).

Longitudo maris $2\frac{1}{2}$, feminae $2\frac{2}{3}$ linearum. *Antennae maris* setaceae porrectae, corpore paulo breviores; *feminae* filiformes curvatae, dimidio corpore paulo longiores, articulo 3 basi rufo, 8—12 tribus lateribus albis. *Thorax* gibbocylindricus, metathorace spinis duabus distinctis obtusis armato. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice albida, squamula maris nigra feminae fusca; areola subtriangulari. *Pedes* maris subgraciles, feminae mediocres; femoribus rufis, posticis apice nigro, anterioribus feminae externe basin versus nigris; tibiis rufis, posticis apice summo fusco; tarsis rufis, posticis fuscis. *Abdomen* ovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, nitidum; segmento 1 lineis duabus elevatis, parte antica subquadrata, basin versus paulo angustata, longitudine petioli, eo autem duplo latiore, petiolo maris latiore quam feminae; 2 maris subopaco; 5—7 margine summo albido. *Aculeus* exsertus brevis, abdominis quintae partis longitudine.

Par hujus speciei *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

147. P. AFFLICTOR. n.

Metathorace bispino; antennis ante basin rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigricante, f.

Statura et proportio partium feminae praecedentis, sed aculeo longiore, areola majore.

Longitudo fere 3 linearum. *Caput* palpis rufis. *Antennae* articulis 2—6 rufis. *Alae* subangustae, fumatohyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, radice alba, squamula nigra, areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo, femoribus tibiisque rufis, apice summo nigricantibus, tarsis fuscis. *Abdomen* segmentis 6 et 7 albomarginatis. *Aculeus* fere dimidii abdominis longitudine, terebra rufa.

Feminam unicam *fennicam Sahlberg* mihi transmisit. Phygadeuon.

148. P. DIGITATUS.

Femoribus rufis, anterioribus basi nigris; tibiis rufis, posticis apice nigris; antennarum annulo albo. f.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* mandibulis medio rufis. *Antennae* filiformes, corporis dimidii longitudine, apice incurvae, articulis 8—13 albis subtus puncto fusco. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et

radio fuscopiceis, radice straminea, squamula nigra, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus, nec non femorum anteriorum basi, nigris; postici tarsis et tibiarum apicibus nigricantibus. *Abdomen* thoracis longitudine et latitudine, ovatum, nitidissimum, apicem versus crassius; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore, canaliculato, tuberculis lateralibus paulo ante medium sitis; 7 puncto membranaceo albo. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior.

Feminam unicam *Dahl* ex *Austria* transmisit.

Varietas?

1. *Femoribus posticis nigris, basi rufis.* f. — *Longitudo* 3 linearum (segmentis 5—7 deficientibus). *Antennae* articulis 3—8 rufotestaceis, 3 et 4 supra fuscis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice testacea. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris, horum posticis apice rufis; femoribus nigris, anterioribus apice et summa basi, posticis sola basi, rufis; tibiis anterioribus rufis, posticis sericeis fuscoferrugineis apice nigro; tarsis rufis, posticis nigris sericeis. *Abdomen* segmento 3 margine summo rufescente. (Segmentis 5—7 cum aculeo deficientibus).

Individuum unicum *Sahlberg* e *Fennia* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. digitatus Gmel. ed. Linn. p. 2688, n. 258.

Phygadeuon.

149. P. CEPHALOTES. n.

Capite lato; femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro. m. f. (*Fem.* annulo antennarum pallido).

Longitudo $3\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* thorace paulo latius. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, *maris* porrectae subsetaceae, *feminae* filiformes, apice curvatae, articulis 3—9 rufis, 6—9 supra albidis. *Thorax* gibbus, metathorace feminae magis declivi quam mari. *Alae* maris ampliores quam feminae; subfumatohyalinae, stigmate et squamula nigris, radio fusco, radice straminea; areola quinqueangulari pyramidata. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris, coxis anterioribus maris subtus interdum castaneis; postici tarsis nec non tibiarum apice et basi, mari interdum quoque summo femorum apice, nigricantibus. *Abdomen* depressiusculum nitidissimum, mari capite thoraceque paulo longius et paulo angustius, oblongoovatum, feminae capitis thoracisque longitudine et latitudine ovatum; segmento 1 parte antica apicem versus sensim dilatata, latitudine longitudinis vel paulo longiore, vix paulo breviore quam petiolus, eoque duplo latiore; 6 et 7 membrana terminali albida, mari obsoletiore. *Aculeus* exsertus brevissimus.

Marem unicum cepi mense Iunio circa *Vratislaviam* in gramine, eumque coxis anterioribus sub-

tus castaneis; duo alii, circa *Sickershausen* et *Genuam* capti, mihi transmissi sunt. Feminam *Dahl* ex *Austria* mecum communicavit.

Varietas:

1. *Femoribus anterioribus fere totis nigris.* m. *Longitudo* fere 4 linearum. *Pedes* nigri, antici tibiis et femorum apice rufis; medii femorum apice rufo, tibiis ferrugineis; postici femoribus rufis geniculo nigro. — Caetera sicut in mare genuino.

Unicum individuum *de Heyden* cepit circa *Trajectum ad Moenum.*

150. P. CALIGINOSUS. n.

Pedibus rufis; coxis anterioribus basi, posticis totis, nigris. m. f. (*Mas* apice femorum et tibiarum posticorum nigro).

Statura et proportio partium sicut in specie praecedente; capite autem paulo minore et angustiore; femina praeterea pedibus crassioribus et aculeo longiore.

Longitudo maris $2\frac{1}{5}$ — $2\frac{1}{2}$ linearum, feminae 3 linearum vel paulo minor, rarius $2\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* maris palpis testaceis, feminae ore ferrugineo, orbitis oculorum frontalibus albis. *Antennae* maris articulis 2—4, interdum etiam 1, subtus rufescentibus; feminae articulo 1 subtus rufo, ultimis subtus ferrugineis. *Alae* mediocres, *maris* fumatohyalinae, stigmate et squamula nigris, radio

fusco, radice flavescente, *feminae* subhyalinae, irideae, stigmate et radio piceotestaceis aut fusco-piceis, radice et squamula flavis; areola quinque-angulari. *Pedes* maris mediocres, feminae crassiusculi; rufi, coxis anterioribus basi, posticis totis, nigris; postici *maris* apice femorum et tibiarum nigro, tarsorum articulis 1—3 nigris apice rufescente, 4 toto rufescente, 5 nigricante basi rufescente, *feminae* tarsis, nec non tibiarum summo apice summaque basi, fuscescentibus. *Abdomen* feminae segmentis 1 et 2 plerumque margine summo subcastaneo, 6 et 7 summo margine albido. *Aculeus* abdominis quadrantis longitudine.

Mares duos cepi mense Majo in fruticeto prope *Scheidnich* et mense Iulio in gramine prope *Oedelem*. Feminas tres, circa *Warmbrunn* captas, *Manger* mecum communicavit; quartam, eamque minimam, stigmate fuscopiceo, segmentis 1 et 2 totis nigris, ipse cepi mense Iunio in fruticeto prope *Scheidnich*.

Varietas:

1. *Coxis anterioribus totis rufis, posticis rufis supra nigris.* f. — *Statura* et proportio partium feminae genuinae; segmento 1 autem paulo angustiore, aculeo paulo longiore. — *Longitudo* 2 linearum. — Caetera sicut in femina genuina.

Unicam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

151. P. NYCTHEMERUS. n.

Femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigris; coxis et trochanteribus anterioribus facieque albis. m.

Longitudo 3—3⅓ linearum. *Caput* subbuccatum; ore facie et macula genarum albis. *Antennae* porrectae subsetaceae, corpore breviores; articulo 1 subtus albo. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres subgraciles, rufi; anteriores coxis et trochanteribus albis; postici coxis trochanteribus tarsis et tibiarum apice nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine aut paulo longius, thorace paulo angustius, fusiforme, vel totum nigrum vel segmentis 1—3 castaneonebulosis, ultimis summo margine pallido; segmento 1 canaliculato, parte antica subquadrata, latitudine vix paulo longiore, paulo latiore quam petiolus crassiusculus, tuberculis lateralibus parum ante medium sitis.

Mares duos *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

152. P. FLAVIMANUS. n.

Pedum anteriorum tarsis tibiis et femorum apice testaceostramineis. m.

Longitudo 2⅕—2⅓ linearum. *Caput* palpis pallide fuscis, mandibulis medio castaneis; orbitis oculorum internis ut plurimum albidis. *Antennae*

tenues setaceae porrectae, longitudine corporis. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, radio stigmate et squamula nigris, radice straminea; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres; anteriores testaceostraminei, femoribus vel totis vel latere convexo nigris, coxis et trochanteribus nigris, his apice fuscoferrugineo; postici nigri, apice trochanterum et femorum, horumque basi summa, testaceis, tibiis vel basin versus obsolete fuscoferrugineis vel totis rufis, spinis apicalibus ferrugineis. *Abdomen* thoracis longitudine vel paulo longius, eoque paululum angustius vel ejus latitudine, depressiusculum, ovatum seu oblongoovatum; segmento 1 lineis duabus elevatis, parte antica aequilata, latitudine paulo longiore, vix duplo latiore quam petiolus, tuberculis lateralibus vix parum ante medium sitis.

Mares duos *Roentgen* cepit mense Maji circa *Gottingam*; tertium, *norimbergensem*, *Sturm* mecum communicavit.

Phygadeuon

153. P. OVIVENTRIS. ♀ n.

Pedibus rufis. m. f. (*Mas* facie et coxis anterioribus flavicantibus).

Longitudo maris $2\frac{2}{3}$, feminae 3 linearum. *Caput feminae* crassius quam mari, fere sicut in digitato et cephalote, n. 148 et 149, labro fulvo; *maris* facie flavocinerea, macula alboflava, clypeo et ore flavoalbis, apice mandibularum ferrugineo.

oviventris ♂ Grav. = oviventris ♀

Antennae maris subsetaceae, porrectae, fere corporis longitudine, articulo 1 subtus flavoalbo; *feminae* filiformes curvatae, dimidio corpore paulo breviores, articulo 1 subtus macula ferruginea. *Thorax* gibbulus. *Alae maris* mediocres, hyalinae, stigmate nigro, radio piceo, radice et squamula flavescentibus, areola quinqueangulari parva; *feminae* subamplae, subhyalinae, irideae, stigmate et radio fuscopiceis, radice exalbida, squamula fulva, areola majore quam mari. *Pedes* rufi; *maris* mediocres, anteriores paulo pallidiores coxis et trochanteribus pallide stramineis, postici tarsis et tibiarum apice summo nigris; *feminae* crassiusculi, tibiis sericeis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, *maris* ovatum depressiusculum, segmento 1 lineis duabus elevatis, parte antica latitudine longiore, aequilata, paulo latiore parumque breviore quam petiolus linearis; *feminae* oblongoovatum, segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latiore quam mari, parte antica longitudine paulo latiore, pauloque breviore quam petiolus crassiusculus, segmentis 5—7 margine summo albicante. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine.

Marem unicum *Spangenberg* cepit circa *Gottingam;* feminam unicam ipse cepi prope *Reinerz* in Angelica sylvestri, die 1 Septembris.

154. P. LAEVIGATOR. n.

Mandibulis et antennarum basi rufis; palpis pedibusque stramineis. m.

Longitudo paulo ultra 2 lineas. *Caput* mandibulis testaceis apice obscuriore, palpis stramineis. *Antennae* porrectae, dimidio corpore vix paulo longiores, articulis 1—3 rufis. *Thorax* gibbus. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavescentibus, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres straminei. *Abdomen* thoracis longitudine, eo autem paulo angustius, ovatum, depressiusculum; segmento 1 sublineari, parte antica latitudine longiore, paululum latiore quam petiolus, ejus autem longitudine.

Marem unicum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit.

SECTIO II.

Scutello albonotato; abdomine rufo-nigroque.

Abdomen rarius solo apice nigrum est, ut plurimum quoque basi; interdum apice membrana albida terminato.

Phygadeuon terminatus, n. 164, scutello nigro apice rufo, ad sectionem tertiam adpropinquat.

---

155. P. CRETATUS. n.

Segmentis 2 et 3, femoribus tibiisque, rufis, tibiis posticis apice nigro; facie et thorace albomaculatis; antennis basi rufis. m.

Statura breviore crassiore a reliquis maribus hujus sectionis differt, praeprimis a sequente, metathorace bispino etiam distincto. A speciebus minoribus quibusdam familiae antecedentis hic *cretatus* differt segmenti primi parte antica latiore planiore et laeviore.

Longitudo 2⅔ linearum. *Caput* ore clypeo genis, orbitis oculorum internis et puncto faciali, albis. *Antennae* setaceae, porrectae, dimidio corpore longiores, articulis 1—3 subtus rufis, sensim obscurioribus. *Thorax* gibbulocylindricus; colli margine supero, puncto infra alas, lineaque sub scutello, albis. *Scutellum* macula apicali alba. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis; areola pyramidata quinqueangulari. *Pedes* mediocres, rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tarsis et tibiarum apice nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, oblongoovatum, depressiusculum; segmento 1 parte antica rufa, quadrata, medio scrobiculata, breviore et plus duplo latiore quam petiolus; 2 et 3 rufis; reliquis nigris, margine summo rufescentibus.

Marem unicum cepi medio Septembris in fruticeto prope *Scheidnich*.

156. P. PUMILIO. n.

Metathorace bispino; abdominis medio, femoribus tibiisque, rufis, tibiis posticis apice nigro; picturis faciei et linea infra scutellum albis. m.

Longitudo $2\frac{1}{2}$—3 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis, vel etiam linea transversali clypei punctoque faciali, albis; palpis fuscis aut albidis; mandibulis fuscoferrugineis. *Antennae* porrectae, subsetaceae, dimidio corpore longiores, articulo 1 subtus albido. *Thorax* gibbus, metathorace tuberculis duobus acutis, lineola infra scutellum albida. *Scutellum* album. *Alae* mediocres aut subamplae, subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula albis, areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles fulvi; coxis et trochanteribus, nec non posticorum tarsis et tibiarum apicibus, interdum etiam femorum anteriorum basi, nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, oblongum; segmento 1 subcanaliculato, nigro, apice testaceo, sublineari, parte antica latitudine longiore, paulo latiore at vix parum breviore quam petiolus; 2 et 3 testaceorufis; 4 vel toto testaceorufo, vel fusco margine castaneo; reliquis nigris.

Duo individua accepi, unum circa *Sickershausen* captum, alterum circa *Genuam*, hoc majus, statura tota crassiore, linea clypei et puncto faciali albis, femoribus anterioribus basi nigris, segmento 4 toto testaceorufo.

157. P. ARRIDENS. n.

Segmentis 2 et 3 rufis; coxis anterioribus albidis, posticis nigris; femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro; facie et punctis ad alarum radicem albis. m.

Longitudo 2½—3 linearum. *Caput* facie oreque albis. *Antennae* porrectae, fere corporis longitudine, articulo 1 subtus sordide albo. *Thorax* gibbus; colli margine supero et laterali, punctisque duobus ad alarum radicem, albis. *Scutellum* vel totum, vel solo apice, album. *Alae* hyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice et squamula flavoalbis; areola quinqueangulari. *Pedes* graciles longiusculi; anteriores rufi aut fulvi, trochanteribus et coxis flavoalbidis; postici rufi, trochanteribus albidis basi interdum fusca, coxis nigris, tarsis et tibiarum apice nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, oblongofusiforme; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, parte antica latitudine longitudinis, petiolo duplo latiore, ejus autem longitudine; 2 et 3 rufis, disco interdum nigricante; 4 dorso aut margine sordide rufescente; sequentibus margine pallidiore obsoleto.

Duo individua accepi, circa *Warmbrunn* et *Niesky* capta.

Nota:

An varietas *Ichn. Iunci* Villers p. 155, n. 61 (Geoffroy p. 346, n. 57)? — exclusa varietate femoribus posticis nigris.

158. P. FLAVEOLATUS. n.

Segmentis rufomarginatis; femoribus tibiisque anterioribus, nec non tibiarum posticarum basi, rufis; facie thoraceque subflavomaculatis. m.

Statura et proportio partium marium majorum *jucundi*, n. 161, sed antennis crassioribus.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum internis tenuissimis flavis. *Antennae* subsetaceae, corpore paulo breviores; articulo 1 subtus puncto testaceo. *Thorax* puncto infra alas, lineaque infra scutellum, albis. *Scutellum* macula alba. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis; areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufis, tibiis tarsisque dilute rufis, subtus pallide stramineis; postici nigri, tibiis basi rufescente. *Abdomen* segmento 1 nigro margine testaceo; 2 basi nigro apice rufo, 3 et 4 rufis basi nigris; sequentibus nigris, margine rufescente.

Marem unicum *Richter* cepit circa *Vratislaviam*.

159. P. FACIALIS. n.

Abdominis medio castaneo; pedibus anterioribus pallide fulvis; facie et linea ante alas flavis. m.

Longitudo 3¼ linearum. *Caput* facie ore et genis eburneis. *Antennae* subsetaceae porrectae, longitudine corporis, subtus ferrugineae articulo 1 alboflavescente. *Thorax* gibbulus, lineola ante alas, alteraque infra alas, eburneis. *Scutellum* eburneum. *Alae* hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula testaceis; areola quinqueangulari subtriangulari. *Pedes* graciles longiusculi; anteriores toti flavescente-rufi; postici nigri, femorum apice summo ferrugineo. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, subfusiforme; segmento 1 nigro, petiolo longo, apicem versus sensim dilatato, paulo angustiore at fere triplo longiore quam pars antica quadrata; 2 nigro, margine badio; reliquis badiis.

Unicum individuum cepit *Roentgen* circa *Niesky*.

Nota:

Quaeritur, num haec species potius *Mesoleptis* adnumeranda sit, cum, antennis pedibus petioloque longioribus et gracilioribus, nec non areola subtriangulari, illis affinis esse videatur.

160. P. TRIANNULATUS.

Segmentis 1—3 rufis; pedibus posticis rufis, femorum et tibiarum apice rufo. m. f. (*Mas* antennarum annulo albo, pedibus anterioribus rufis nigromaculatis; *femina* antennis tricoloribus, pedibus anterioribus totis rufis).

Statura maris multo gracilior est quam feminae.

Longitudo maris $2\frac{2}{3}$, feminae 3 linearum. *Antennae maris* multo graciliores quam feminae, fere corporis longitudine, apice curvatae, articulis 9—11 tribus lateribus albis, *feminae* corporis dimidii longitudine, apice involutae, articulis 2—6 ferrugineis, 7 fusco, 8—12 albis subtus ferrugineis. *Thorax* cylindricogibbulus, metathorace spinulis duabus perbrevibus obtusis armato. *Alae* maris subhyalinae, feminae fumatohyalinae; stigmate et radio fuscopiceis, radice albida, squamula maris nigra feminae straminea. *Pedes maris* mediocres, antici rufi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus tibiisque externe nigricantibus; medii rufi, apice coxarum trochanteribusque nigris, femorum et tibiarum apice externe fusco; postici coxis rufis, trochanteribus nigris apice rufo, femoribus tibiisque nigris basi rufa, tarsis fuscis; *feminae* subcrassiusculi, rufi; coxarum anticarum basi, femorum posticorum macula apicali, nec non tibiarum posticarum apice, nigris. *Abdo-*

men maris capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, oblongum; segmento 1 rufo, petiolo sublineari, angustiore et parum longiore quam pars antica subquadrata, apicem versus paululum dilatata; 2 et 3 rufis, ante marginem dorsalem nigris; reliquis nigris, 7 membrana albida obsoleta; *feminae* thoracis longitudine et latitudine, apicem versus sensim crassius; segmento 1 rufo apicem versus sensim dilatato, petiolo latiusculo, parte antica longitudine latitudinis, paulo breviore quam petiolus; 2 et 3 rufis; reliquis nigris, ultimo superne albo. *Aculeus* longitudine fere 1 lineae, terebra rufa.

Marem *Dahl* misit ex *Austria;* feminam cepi medio Iulii prope *Barterodam* in umbellatis.

161. P. IUCUNDUS. n.

Abdominis medio rufo; femoribus tibiisque rufis, posticis pro parte nigris. m.

Longitudo 2½ — fere 4 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis plerumque tenuissime albentibus, mandibulis fuscis aut ferrugineis, palpis fuscis aut sordide stramineis. *Antennae* subsetaceae porrectae, corpore breviores; articulo 1 subtus rufo aut ferrugineo, rarius sordidealbido, sequentibus interdum rufescentibus, sensim obscurioribus. *Thorax* gibbulus, ut plurimum puncto albido infra scutellum. *Scutellum* ipsum apice

albidum. *Alae* mediocres, subhyalinae, stigmate fusco aut piceo, radio piceo, radice et squamula albentibus, hac rarius fuscescente; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici coxis trochanteribus et femoribus nigris, his basi rufa, tarsis tibiisque nigricantibus, his basi rufis aut fuscis aut fuscoferrugineis, spinis apicalibus exalbidis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, thorace angustius; segmento 1 sublineari, longiore et angustiore quam in reliquis hujus sectionis cospeciebus (excepto *faciali*), parte antica breviore et parum latiore quam petiolus, latitudine fere duplo longiore, rarissime fere subquadrata; segmentis 2—4 totis, 1 apice, rufis, 4 interdum margine nigro; 5 plerumque nigro, interdum margine castaneo, rarius toto rufo.

Multa cepi individua circa *Vratislaviam* et *Warmbrunn*, mensibus Iunii — Septembris, in gramine, nec non in fruticetis; quaedam etiam circa *Barterodam*, mense Iulio, in umbellatis; unum, idque antennis subtus fere totis rufis, prope *Trajectum ad Viadrum*, sub fine Septembris, in loco aprico herbaceo frutetoso. Unum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mihi transmisit.

Varietates:

1. *Trochanteribus vel omnibus vel anterioribus rufis aut flavicantibus.* m. — *Longitudo*

2 — fere 4 linearum. *Caput* palpis, interdum quoque labro, piceoalbidis aut rufescentibus; mandibulis medio rufis; orbitis oculorum internis distinctius aut obsoletius albicantibus. *Scutellum* vel totum vel apice album. *Pedes* anteriores rufi, trochanteribus interdum flavicantibus, coxis plerumque macula aut basi nigra, vel etiam totis nigris; postici coxis nigris, interdum macula rufa, rarius rufis basi nigra, trochanteribus vel totis rufis vel apice nigro, rarius totis nigris, femoribus vel nigris basi rufa vel rufis apice nigro, tibiis rufis apice nigro, tarsis nigris. *Abdomen* segmento 1 rufo, individuis majoribus petiolo ut plurimum obscuriore aut nigro; 2 — 4 rufis aut fulvis; reliquis nigris, rarissime marginibus subtestaceis, 5 interdum basi rufo aut fulvo. Caetera sicut in maribus genuinis.

Quaedam individua cepi, cum mare genuino, prope *Trajectum ad Viadrum*, eodem loco et die. *Manger*, inter copiam marium genuinorum, plures etiam hujus varietatis, circa *Warmbrunn* legit.

2. *Femoribus anterioribus nigromaculatis.* m. — *Longitudo* 2¾ — 3 linearum. *Antennae* nigrae, articulo 1 subtus obsoletissime castaneo. *Femora* anteriora externe plus minus nigromaculata. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice summo interdum puncto castaneo; 2 — 4 rufis, 4 interdum margine nigro. — Caetera maribus genuinis respondent.

Unum marem cepi, una cum mare genuino, prope *Barterodam;* alterum, eumque minorem, segmento 1 puncto apicali castaneo, segmento 4 toto rufo, *a Sanvitale* ex *Etruria* transmisit.

162. P. GILVIPES. n.

Segmentis 2—5 rufis, tibiis anterioribus nec non femorum anteriorum apice testaceis, thorace flavomaculato. m.

Statura antecedentis; sed metathorace gibbosiore, abdomine crassiore, petiolo breviore atque latiore.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* palpis subtestaceis, facie griseosericea, orbitis oculorum internis exalbidis obsoletis. *Thorax* colli margine supero, puncto infra alas, lineolaque infra scutellum, flavis; metathorace griseosericeo tuberculis duobus acutiusculis. *Scutellum* flavoalbum. *Alae* amplae, subfumatohyalinae, irideae, radio et stigmate fuscis, radice et squamula pallide stramineis; areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores coxis griseosericeis trochanteribusque nigris, femoribus nigris, apicem versus fulvostramineis, tibiis testaceis, tarsis anticis testaceis, mediis fuscescentibus; postici nigri sericei, tibiis basin versus ferrugineis. *Abdomen* oblongum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, casta-

neum; segmento 1 nigro, apice rufo, parte antica subquadrata, latitudine paulo longiore, latiore et breviore quam petiolus; 6 fusco, 7 nigro.

Marem unicum *etruscum a Sanvitale* mihi transmisit.

163. P. LARVATUS. n.

Picturis faciei et scutelli, nec non trochanteribus coxisque anterioribus, albis; abdominis medio femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigris. m.

Hic Phygadeuon, abdomine teretiore et crassiore, nec non segmenti primi petiolo latiore et breviore, a reliquis cospeciebus hujus sectionis (si forsan *triannulati* feminam excipias) differt.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* ore, clypeo, macula faciali, orbitis oculorum internis latis, albis. *Antennae* porrectae setaceae, corpore breviores, paulo crassiores quam in cospeciebus, articulo 1 subtus albo. *Thorax* gibbulus, subgriseosericans; puncto ante alas alteroque infra alas albis. *Scutellum* punctis duobus albis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula albis, areola quadrata. *Pedes* anteriores dilute rufi, coxis et trochanteribus albidis, coxis mediis basi nigra; postici coxis nigris, trochanteribus nigris basi rufa, femoribus

tibiisque rufis apice nigro, tarsis nigrofuscis. *Abdomen* capite thoraceque paulo brevius et angustius; segmento 1 nigro, apicem versus sensim dilatato, parte antica latitudine longitudinis, paulo breviore quam petiolus, canaliculata, rufomarginata; 2—4 subaequilatis, rufis, 4 margine nigro; 5—7 nigris.

Marem unicum cepi circa *Vratislaviam.*

164. P. TERMINATUS. n.

Scutelli apice, abdominis medio, tibiis femoribusque anterioribus rufis, his basin versus fuscis, annulo antennarum albo. f.

Statura et proportio partium feminae *triannulati*, n. 160; sed habitu paulo crassiore, petiolo paulo tenuiore et longiore, aculeo paulo breviore.

Longitudo 3½ linearum. *Caput* palpis mandibulis et orbitis oculorum frontalibus pallide rufis. *Antennae* fusconigrae, articulo 1 subtus rufo, 9—13 albis, sequentibus subtus fuscoferrugineis. *Thorax* lineola infra alas, puncto obsoleto ante alas, lineolaque transversa obsoleta infra scutellum, rufis. *Scutellum* apice rufo. *Alae* amplae subhyalinae irideae, stigmate radice et squamula testaceis, radio fusco, areola quinqueangulari subtriangulari. *Pedes* crassiusculi seri-

cei; anteriores trochanteribus et coxis nigrofuscis, his subtus macula rufescente, femoribus anticis testaceis externe fuscescentibus, mediis badiis apice subtestaceo, tibiis tarsisque testaceis; postici fusci, tibiis basin versus ferrugineis. *Abdomen* ovatum, thoracis longitudine et latitudine, segmento 1 laevi nigro, apicem versus sensim dilatato; 2—5 subtestaceis; 6 et 7 abscondi-tis sed, ut videtur, subtestaceis, Aculeus abdominis trientis longitudine.

Hanc feminam *pedemontanam Bonelli* mecum communicavit.

SECTIO III.

Scutello nigro; abdomine vel toto rufo, vel rufonigroque.

Abdomen rarius totum, aut sola basi vel solo apice, rufum est, plerumque basi et apice nigrum; rarissime segmentum unum tantum rufum est (*P. troglodytae*) aut segmenta intermedia rufa nigromaculata sunt. Saepius apex abdominis membrana albida, distinctiore aut obsoletiore, vestitus est.

E *sectione prima Phygadeuontis nycthemeri* varietas, segmentis 1—3 castaneonebulosis, e *sectione secunda P. terminatus*, scutello nigro apice rufo, in hanc sectionem quasi transeunt.

165. P. EXIGUUS. n.

Antennarum basi pedibus abdomineque testaceis; segmento primo nigro. f.

Statura et proportio partium speciei sequentis; sed pictura satis differt. A quibusdam aliis, (*ovato*, *dumetorum*, n. 167, 168) antennis paulo gracilioribus et colore distinguitur.

Longitudo 1 $^4/_5$ linearum. *Caput* palpis albidis, mandibulis macula rufa. *Antennae* basin versus ferrugineae, articulo 1 subtus testaceo. *Thorax* gibbulocylindricus, metathorace tuberculis duobus subacutis. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate radio et squamula piceis, radice albida; areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres straminei; postici tarsis et tibiarum summo apice fuscescentibus. *Abdomen* ovatum, depressum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, testaceostramineum; segmento 1 nigro sublineari, parte antica latitudine paulo longiore, breviore et parum latiore quam petiolus; 2—4 lateribus fuscis. *Aculeus* longitudine partis quintae abdominis.

Unicam cepi feminam, die primo Octobris, in rubetis prope *Scheidnich*.

166. P. LEUCOSTIGMUS. n.

Segmentis 2 et 3 pedibusque rufis, horum posticis apice femorum et tibiarum nigro; stigmate alarum fusco, basin versus albo; antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium omnino *P. dumetorum* feminae (n. 168), sed antennis paulo gracilioribus.

Longitudo inter 1½ et 2 lineas. *Antennae* articulis 1—4 rufis, 5 et 6 fuscis, 7—9 albis, sequentibus nigris. *Alae* fumatohyalinae, stigmate dimidiato fusco et albo, radio fusco, radice alba, squamula nigra, areola quinqueangulari. *Pedes* rufi; postici apicibus femorum et tibiarum nigris, tarsis fuscis. *Abdomen* nigrum; segmentis 2 et 3, nonnunquam etiam basi quarti, fulvorufis. *Aculeus* exsertus brevis.

Individua quaedam, circa *Warmbrunn* et *Trajectum ad Moenum* capta, accepi.

Varietas?

Segmento 4 rufo, apice nigro. f.? — *Statura*, proportio partium, *color* et pictura omnino quemadmodum in femina genuina. Differt autem *longitudine* 2½ linearum, *aculeo* omnino abscondito, *colore abdominis*, segmentis 2—4 rufis, 4 apice nigro.

Unam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*, alteram *de Heyden* circa *Trajectum ad Moenum*.

Phygadeuon.

167. P. OVATUS. n.

Metathorace subbispino; segmentis 2 et 3, antennarum basi, pedibusque rufis; horum posticis apice femorum et tibiarum nigro. f.

Statura et proportio partium feminae sequentis; sed abdomine breviore, segmento 1 latiore, spinis metathoracis acutioribus, aculeo longiore.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* ore rufo. *Antennae* articulis 1—7 rufis. *Thorax* metathorace spinis duabus acutiusculis. *Alae* subfumato-hyalinae, stigmate et radio piceis, radice piceo-testacea, squamula fusca; areola quinqueangulari. *Pedes* rufi; postici apice femorum et tibiarum nigro, tarsis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum; segmento 1 canaliculato nigro, 2 et 3 rufis, reliquis nigris, 6 et 7 margine tenui albo. *Aculeus* abdominis trientis longitudine.

Hanc feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

Varietas:

1. *Pedibus totis rufis.* f. — *Statura* et proportione partium hoc individuum medium tenet inter speciem genuinam et *Ph. dumetorum* sequentem. Abdominis forma et proportio conveniunt cum illa, aculeus brevior et thorax submuticus cum *Ph. dumetorum*. — *Antennae* articulis 2—4

badiis. *Pedes* rufi, tarsis posticis fuscis. *Segmentum* 1 apice rufo. *Aculeus* perbrevis. — Caetera sicut in femina genuina.

Unicum individuum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

168. P. DUMETORUM. n.

Segmentis 2 et 3 pedibusque rufis; horum posticis apice femorum et tibiarum nigro. m. f. (*Mas* antennis basi rufis; *femina* antennis subtricoloribus).

Longitudo maris $2\frac{1}{3}$, feminae 2—$2\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* palpis piceostramineis. *Antennae* filiformes; *maris* porrectae, graciles, corporis longitudine, articulo 1 vel toto vel inferne ferrugineo; *feminae* crassiores, recurvatae, dimidii corporis longitudine; articulis 1—4—6 longioribus, fulvis aut ferrugineis; 6 et 7 vel fuscis subtus ferrugineis, vel supra albicantibus, 8—11 albidis, vel 5—8 aut 6—10 superne albidis subtus rufis, reliquis nigris. *Thorax* gibbus aut cylindricogibbulus. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio piceis aut nigris, illo puncto albo, interdum obsoleto, radice flavicante, squamula nigra aut rufa, feminae ferruginea. *Pedes* feminae mediocres, maris graciliores; rufi aut fulvi; postici femoribus tibiisque apice nigris aut fuscis, rarius fuscis basin versus fulvis, coxis interdum fuscis apice sordiderufescente, tarsis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel

paulo angustius; segmento 1 nigro, parte antica latitudine paulo longiore, breviore et latiore quam petiolus linearis, tuberculis lateralibus interdum acute prominentibus; 2 et 3 rufis, 2 mari nonnunquam basi nigra; 4 ut plurimum basi, interdum quoque lateribus, rufo, mari interdum rufo margine fuscescente; reliquis nigris, 5 attamen mari nonnunquam lateribus rufis, vel etiam rufo, margine fuscescente; ultimis feminae membrana albida. *Aculeus* exsertus, perbrevis, niger, terebra rufa. — Femina crassior est mare et latior.

Par hujus speciei, in *Hercynia* captum, vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg*. Ipse cepi mares quosdam circa *Vratislaviam*, nec non, mensibus Iulii et Augusti, circa *Grohnde* et *Oedelem* in frutetis; feminam mense Iulii circa *Oedelem*. Individua duo minora feminae, circa *Sickershausen* et *Genuam* capta, mihi transmissa sunt; genuense femoribus tibiisque posticis fuscis, basin versus fulvis, a reliquis discedit.

169. P. IMPROBUS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, horum posticis apice femorum et tibiarum nigris; stigmate alarum piceo unicolore. m. f. (*Mas* ore, antennarum articulo primo, coxisque anterioribus, albis; *femina* antennis tricoloribus).

Statura maris sicut in mare *Ph. fumatoris*, segmento 1 autem paulo latiore; medium tenens

inter *fumatorem* et *quadrispinum* (n. 179 et 172). Sed feminae harum trium specierum satis differunt. Femina *improbi* statura crassiore a mare distinguitur.

Longitudo maris 3, feminae 2 — fere 3 linearum. *Caput* maris ore albo; feminae mandibulis rufis apice nigro. *Antennae* filiformes, *maris* porrectae, dimidio corpore longiores, articulo 1 subtus albo; *feminae* involutae, dimidii corporis longitudine, articulis 1 — 6 rufis, supra fuscis, 1 interdum toto rufo, 7 — 11 albis, subtus fuscis, reliquis fuscis. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* mediocres aut subangustae, *maris* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albidis; *feminae* hyalinae, stigmate et radio piceis, radice albida, squamula nigra; areola quinqueangulari. *Pedes maris* subgraciles, rufi; anteriores coxis et trochanteribus albidis; postici tarsis nec non apice summo femorum et tibiarum nigricantibus; *feminae* mediocres, rufi; postici femorum, ut plurimum quoque tibiarum, apice nigro. *Abdomen maris* lanceolatofusiforme, capitis thoracisque longitudine, thorace angustius; *feminae* ovatum, thoracis latitudine et longitudine; segmento 1 nigro, apice seu macula apicali rufo, parte antica maris latitudine paulo longiore, breviore et paulo latiore quam petiolus, feminae quadrata seu basin versus paululum angustata, breviore et fere duplo latiore quam petiolus, plerumque tota rufa; 2 et 3 rufis; 4 maris rufo, feminae nigro interdum basi rufa; reliquis nigris, maris 7 apice summo albido,

feminae 6 et 7 membrana albida. *Aculeus* dimidio abdomine brevior aut fere ejus longitudine.

Marem cepi die 25 Iunii in fruticeto prope *Scheidnich;* feminas duas, circa *Warmbrunn* captas, *Manger* mecum communicavit, tertiam ipse cepi die 22 Iulii prope *Helmstadium*, in flore Petroselini, eamque aculeo paulo longiore, segmento 4 toto nigro, 1 nigro apice rufo, ab individuis warmbrunnensibus discrepantem.

Varietates:

1. *Femoribus posticis totis rufis.* f. — *Pedes* rufi; postici interdum tibiis apicem versus fuscescentibus. *Segmentum* 4 rufum aut nigrum. *Aculeus* dimidio abdomine vel paululum longior vel paululum brevior. — Caetera feminae genuinae respondent.

Tria individua, in *Silesia* et circa *Trajectum ad Moenum* capta, accepi.

2. *Antennis subbicoloribus.* f. — *Longitudo* 2½ — 3 linearum. *Antennae* articulis 1 — 6 fuscis, 7 — 11 albis subtus ferrugineofuscis, reliquis totis ferrugineofuscis. *Pedes* rarius toti rufi, plerumque sicut in femina genuina. *Aculeus* abdomine dimidio vel paululum brevior vel paululum longior. — Caetera sicut in specie genuina.

Hujus varietatis feminam unam cepit *Spangenberg* circa *Gottingam;* alteram *Manger* circa *Warmbrunn*, eamque minorem, aculeo breviore, segmento 4 toto nigro, pedibus totis rufis.

170. P. GRAMINICOLA. n.

Segmentis 1—3 pedibusque rufis, femoribus pro parte nigris, tibiis posticis apice nigro; antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium omnino feminae antecedentis, aculeo autem longiore.

Longitudo fere 2½ linearum. *Antennae* articulo 1 vel toto nigro, vel subtus rufo vel toto rufo, 2—6 vel totis rufis vel superne fuscis, 7—10 albis inferne fuscis, reliquis nigris. *Alae* fumato-hyalinae, stigmate et radio piceostramineis, radice picea, squamula nigra, areola quinqueangulari. *Pedes* rufi; femoribus anterioribus vel nigris apice rufo, vel rufis, superne macula nigra, posticis nigris basi rufa; tarsis posticis, nec non tibiarum posticarum apice, fuscis. *Abdomen* rufofulvum, segmentis 4—7 nigris, 6 et 7 membranula alba. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior.

Unam feminam cepi mense Iulio in gramine prope *Vratislaviam*, alteram *Manger* circa *Warmbrunn*, tertiam *Besser* in *Volhynia* cepit.

171. P. DISCEDENS. n.

Segmentis 1 et 2 rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris; annulo antennarum et margine segmentorum ultimorum albis. m.

Longitudo 3½ linearum. *Antennae* subsetaceae porrectae, corporis longitudine, articulis

9—12 albis, subtus ferrugineofuscis. *Thorax* gibbus, metathorace tuberculis duobus acutis. *Alae* hyalinae subamplae, stigmate et squamula nigrofuscis, radio et radice piceis, areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles rufi; coxis et trochanteribus, nec non femorum posticorum apice, nigris; tarsis posticis et tibiarum posticarum apice nigricantibus. *Abdomen* ovatofusiforme, capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius; segmento 1, lineis duabus elevatis subobsoletis, rufo, apicem versus sensim dilatato, parte antica subtransversa, longitudine dimidii petioli latiusculi; 2 rufo; reliquis nigris, 5—7 margine albo.

Hunc marem *Reusmann* circa *Hannoveram* cepit, eumque *discedentem* appellavit.

Phygadeuon,

172. P. QUADRISPINUS. n.

Metathorace quadrispino; segmentis 2 et 3 rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis summo apice nigris. m. f. (*Mas* facie et coxis anterioribus albomaculatis; *femina* antennarum annulo albo).

Longitudo 3 — fere 4 linearum. *Caput* maris ore, clypeo, macula faciali et orbitis oculorum internis, albis aut pallideflavis, interdum sordidis. (Descriptionem partium oris et antennarum nota, huic speciei subjuncta, exhibet). *Antennae maris* setaceae, porrectae, dimidio corpore longiores,

nigrae, articulo 1 subtus albo aut pallide flavo; *feminae* filiformes, involutae, vix dimidii corporis longitudine, nigrae, articulis 7—11 aut 8—11 albis, interdum sordidis, subtus puncto fusco. *Thorax* gibbulus, metathorace valde ruguloso, tuberculis 4 acutis, duobus superioribus validioribus et acutioribus, inferioribus nonnunquam obsoletis, armato. *Alae* mediocres, hyalinae aut fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis aut nigris, hac mari interdum puncto albo, radice alba aut flavicante, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres rufi; coxis et trochanteribus nigris, anterioribus mari subtus albidis; postici tarsis, nec non femorum tibiarumque apicibus summis nigris. *Abdomen* ovatum, thoracis longitudine, feminis latitudine thoracis, maribus ut plurimum thorace paulo angustius; segmento 1 aciculato, lineis duabus elevatis, vel toto rufo vel, in maribus nonnullis, petiolo nigro, parte antica transversa, rarius subquadrata, breviore quam petiolus, hoc breviore et latiore quam in reliquis hujus familiae cospeciebus; 2 rufo, feminis laevi, maribus plurimis basi aciculato; 3 rufo, plerumque margine nigro; sequentibus nigris, 6 et 7 plerumque margine glaucoalbido. *Aculeus* longitudine quartae aut quintae partis abdominis.

Plures mares et feminas, circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* captos, accepi. Marem ipse cepi circa *Cudowam*, mense Septembri; *genuensem a Spinola* mecum communicavit. Feminae maribus frequentiores, circa *Vratislaviam*, *Vindobo-*

nam, Norimbergam, Trajectum ad Moenum, Aboam, lectae, mihi transmissae sunt.

Varietates:

1. *Mas: metathorace bispino, facie coxis et trochanteribus totis nigris.* — *Statura* minore et graciliore, segmento primo angustiore petioloque graciliore, haec varietas a maribus genuinis differt. — *Longitudo* fere 3 linearum. *Caput* griseosubvillosum, facie et clypeo totis nigris, palpis albidis. *Thorax* metathorace bispino. *Pedes anteriores* coxis et trochanteribus totis nigris, femoribus externe subfuscescentibus. *Abdomen* segmentis 2 et 3, nec non apice primi, rufis. — Caetera sicut in mare genuino.

Hunc marem cepi medio Septembris prope *Scheidnich* in fruticeto.

2. *Metathorace subbispino, femoribus posticis totis rufis, facie tota nigra.* m. — *Statura* et proportio partium omnino varietatis primae. — *Longitudo* fere 3 linearum. *Caput* facie cinereosericea, palpis et macula mandibularum pallide flavis. *Antennae* subtus articulo 1 flavo, 2 rufo. *Thorax* metathorace subbispino. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fusconigris, radice et squamula pallideflavis; areola subtriangulari aut subquinqueangulari pyramidata, nervo exteriore tenui. *Pedes* rufi; coxis anticis flavis, mediis testaceorufis basi nigra, posticis nigris apice rufo; trochanteribus testaceis, posticis rufis; tarsis posticis

et tibiarum posticarum apice nigricantibus. *Abdomen* segmento 1 nigro, margine castaneo; 2 et 3 rufocastaneis, 3 margine fusco; reliquis nigrofuscis.

Hanc maris varietatem cepi die 3 Augusti in fruticeto prope *Warmbrunn.*

Nota:

De *copula* opinata hujus speciei cum *Ichneumone celeratore* conferre velis notam, descriptioni hujus Ichneumonis, n. 239, subjunctam.

Descriptio antennarum et oris maris, auctore *Neeseo ab Esenbeck,* haec est:

Antennae setaceae, rectae, breviusculae, articulis 33; radicula brevi angusta obconica; scapo subcylindrico, vix longitudine diametri, apice extrorsum obliquo excavato; pedicello subimmerso disciformi; articulo accessorio minuto annuliformi distincto; reliquis articulis subcylindricis, apicem versus crassitie decrescentibus, omnibus basi parum angustioribus quam apice, singulisque singulis anterioribus interiora versus ita insertis ut antenna extrorsum quasi serrata evadat; quinto sequente plus dimidio longiori, tum aliquot regulariter decrescentibus, mediis pluribus crassitie longitudinem aequantibus, extremis denique (quod his, decrescente diametro, eadem longitudo) magis cylindricis, latitudine paulo longioribus, ultimo ovato obtuso.

Clypeus distinctissimus, discretus linea semicirculari impressa, parum convexus, laeviusculus,

glaber, margine infero rotundato. — *Labrum* totum exsertum, e basi rotundata transversa tumidiuscula et fere cornea, in cuspidem inflexam membranaceam angustam subulatam ciliatam attenuatam. — *Mandibulae* breves, parum arcuatae, nec basin versus multum dilatatae, trigonae, angulo interiori truncato, basi tuberosa, facie exteriori lata plana rimulosa glabra, apice bifido, dentibus brevibus obtusiusculis subaequalibus, supero tamen aliquanto majore. — *Maxillae* labium arcte amplectentes et ejusdem longitudinis: *Stipes* compressus, a latere obtrigonus, facie infera cornea, linearilanceolata, apice obliqua, dorso convexa, glabra laevi: *Mala* stipitis longitudine et parum latior, membranacea, bifida; lacinia infera connata, introrsum in angulum seu lobum obtusum ascendentem dilatata; supera paulo minore, fere semicirculari, margine supero introrsum magis obliquo ciliato. — *Palpi maxillares* mala triplo longiores, setacei reflexi pilosi quinquearticulati; articulo 1 clavato truncato corneo, reliquis magis spongiosis, 2 cultrato, 3 itidem compresso et 4 obconicis, 5 filiformi obtuso; ratio relativa longitudinis: $_{3 \cdot 5 \cdot 2 \cdot} \frac{1}{4} \cdot$ — *Labium*: *Mentum* corneum obconicum compressum convexum pubescens, apice tridentatum, dente intermedio lato, obtuse emarginato, lateralibus parvis acutissimis remotis: *Lingua* mento dimidio brevior, membranacea ascendens subquadrata, apice bifida, laciniis rotundatis, lateribusque deflexis subciliatis. — *Palpi labiales* lingua vix duplo longiores, pilosi filifor-

mes flexuosi cornei quadriarticulati; articulo 1 valido clavato truncato, 2 et 3 obconicis compressiusculis aequalibus, primo paulo latioribus, 4 oblongo obtuso reflexo tenuiori: Ratio longitudinis relativa $_{4}$. $_{1}$. $^{2}/_{3}$.

173. P. CURVUS.

Abdominis medio, tibiis anterioribus, femoribusque, rufis; stigmate piceo; annulo antennarum albo. f.

Longitudo 3—4 $^{1}/_{5}$ linearum. *Antennae* filiformes, dimidio corpore vix paulo longiores, involutae, articulis 8—11—12 tribus lateribus albis. *Thorax* cylindricus. *Alae* mediocres, fuscohyalinae seu fumatohyalinae, stigmate et radice piceis aut fuscescentibus aut rufescentibus, squamula et radio fuscis aut fuscoferrugineis, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres, fulvi aut dilute rufi, coxis et trochanteribus, nec non posticorum tarsis et tibiis, nigris, his tamen basi rufescente aut fulva. *Abdomen* ovatum, thoracis longitudine et latitudine; segmento 1 laevi, fusco aut rufo, apicem versus sensim dilatato, petiolo nigro canaliculato, parte antica longitudine latitudinis; 2 et 3 castaneis aut rufofulvis, 3 interdum apice nigro; reliquis nigris, 7 membrana albida terminato. *Aculeus* niger, abdominis triente fere brevior.

Quasdam feminas legi, mense Augusto, in umbellatis circa *Cudowam;* unam *Roentgen* circa

Niesky cepit; unamque, maximam scilicet, *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Synonyma:

Ichn. curvus Schrank Boica n. 2087, circa Eggenfelden.

Nota:

Ichneum. curvus Müll. prodr. n. 1850 forma et colore satis differt.

Schrank l. c. putat, hanc speciem forsan feminam esse *Ichneumonis delusoris*, quem ego autem ad *Mesoleptum delusorem*, longe discrepantem, adhibui. In Enumeratione Insectorum Austriae *Schrank* Ichneumonem 66 *Geoffroyi* cum *Ichn. delusore Linnei* conjunxit, et *Villers* nec non *Latreille* hanc conjunctionem comprobaverunt; recte autem *Olivier* de identitate Ichneumonis Geoffroyani et Linneani dubitat, nam *Ichn. delusori Linn.* solae patellae (geniculi) femorum posticorum nigrae sunt, *Ichn. Geoffroyano* autem pedes anteriores toti rufi sunt, postici femoribus rufis, tarsis tibiisque nigris.

Ponamus, marem *Phygadeuontis curvi* nostri antennas totas nigras habere, forsan Ichneumon laudatus Geoffroyi (*Ichneumon trochantericus* Fourcroyi, *delusor* Olivieri et Walckenaerii) marem *curvi* exhibere posset, licet longitudine 5½ linearum (v. descriptionem Geoffroyanam) a femina discreparet; sed *Ichneum. delusor Linn.* (cujus descriptionem Fabricius, Gmelin, Müller et Christ

verbotenus receperunt), nullo modo cum illo conjungi potest. — *Ichneum. delusor* Thunb. Ichn. n. 276, *abdomine compresso*, ad genus Ophionum redigendus est.

174. P. RUFINUS. n.

Segmentis 1—4, femoribus anterioribus, tibiis, antennarumque basi, rufis. f.

Longitudo 3 linearum. *Caput* palpis piceis, mandibulis badiis apice nigro. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores, curvatae, medio latiores, apicem et basin versus sensim angustatae, articulo 1 autem crasso; articulis 1—11 rufoferrugineis, reliquis nigrofuscis. *Thorax* cylindricogibbulus. *Alae* mediocres, subangustae, subhyalinae, stigmate et radice stramineis, radio piceo, squamula fulva areola subtriangulari. *Pedes* mediocres rufi; coxis et trochanteribus, nec non femoribus posticis, nigris. *Abdomen* thorace paulo longius, vixque paulo angustius, testaceorufum, segmentis 5—7 nigris, 6 et 7 apice subalbido-membranaceis; segmento 1 laevissimo nitidissimo subcanaliculato, petiolo lineari, parte antica basin versus sensim angustata, latitudine paulo longiore, breviore at duplo latiore quam petiolus. *Aculeus* vix dimidii abdominis longitudine, fuscus.

Unicum individuum *hannoveranum Reusmanno* debeo.

175. P. SEMIORBITATUS. n.

Segmentis 2 et 3 castaneis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris; palpis et orbitis oculorum internis stramineis. m.

Longitudo 4 linearum. *Caput* palpis et orbitis internis oculorum stramineis. *Antennae* dimidio corpore longiores, porrectae subsetaceae. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et squamula nigris, radio fusco, radice albida, areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles subelongati rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tarsis, tibiarum apice et basi, femorumque apice, nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, oblongum; segmento 1 nigro, canaliculato, tuberculis lateralibus perparum ante medium sitis, parte antica paulo latiore quam petiolus, latitudine longiore; 2—6 sensim paulo latioribus; 2 et 3 castaneis, reliquis nigris.

Marem unicum *austriacum Dahl* mecum communicavit.

176. P. GALACTINUS. n.

Segmentis 2 et 3 rufis; tibiis femoribusque rufis, posticis summo apice nigro; ore, orbitis internis oculorum, coxis et trochanteribus anterioribus, albidis. m.

Longitudo 2⅓ — 3 linearum. *Caput* ore clypeo et orbitis internis oculorum, interdum quo-

que puncto faciali, albis aut stramineis; mandibulis apice fuscis. *Antennae* porrectae subsetaceae, dimidio corpore longiores, interdum articulo 1 subtus albo. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres aut subamplae, subhyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albido-stramineis, areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles rufi; anteriores trochanteribus et coxis albis, his interdum supra rufis; postici coxis trochanteribus tarsis, nec non femorum et tibiarum apicibus, nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace paulo angustius, oblongo-fusiforme; segmento 1 subcanaliculato, nigro, interdum margine rufo, parte antica latitudine paulo longiore, longitudine petioli, eo autem duplo latiore; 2 et 3 rufis; 4 obsolete badio aut dorso rufescente; sequentibus nigris, membrana anali alba.

Duo individua, circa *Norimbergam* et *Warmbrunn* capta, mihi transmissa sunt; hoc majus, puncto faciali, articulo 1 antennarum, coxis anterioribus totis, albis, segmento 1 rufomarginato, ab illo differt.

Phygadeuon.

177. P. SPERATOR.

Abdominis medio rufo; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris; ore et orbitis oculorum internis albis. m.

Statura et proportio partium *P. labralis*, forsan cum hoc conjungendi.

Longitudo 2 ½ — 3 ⅕ linearum. *Caput* mandibulis palpis et orbitis oculorum internis, nonnunquam quoque puncto clypei, albis. *Antennae* subsetaceae, porrectae, fere corporis longitudine, articulo 1 subtus vel toto vel solo apice albo. *Thorax* gibbulus. *Alae* subhyalinae aut fumato-hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula albidis; areola quinqueangulari, interdum subpyramidata, rarius subtriangulari. *Pedes* subgraciles rufi; coxis nigris, anterioribus interdum subtus rufescentibus; trochanteribus nigris, anterioribus interdum apice flavicante; postici tarsis nec non apice femorum et tibiarum nigris, femoribus vel solo summo apice vel sensim ad medium usque nigris. *Abdomen* vel linearifusiforme, vel apicem versus sensim parum dilatatum, capitis thoracisque longitudine, thorace angustius; segmento 1 subcanaliculato, nigro, interdum margine rufo, parte antica latitudine longiore, interdum fere duplo longiore, paulo breviore et latiore quam petiolus, tuberculis lateralibus nonnunquam acute prominentibus; 2 et 3 rufis, interdum subfusconebulosis; 4 rufo aut nigro; reliquis nigris, membrana anali albida segmenti 7, rarius etiam segmenti 6; rarissime segmentorum 4 — 6 margine, 7 macula dorsali, albis.

Copiam individuorum legi mense Augusto in umbellatis circa *Warmbrunn* et *Cudovam;* pluria, circa Warmbrunn capta, *Manger* mecum communicavit, quorum maximum, abdomine paulo crassiore, alis amplioribus magisque hyalinis; areola

quinqueangulari regulari, trochanteribus anterioribus apice flavicantibus, segmento 4 rufo, a reliquis differt; minimum cepi die 8 Augusti, prope *Helmstadium* in fruticeto aphidibus occupato.

Varietates:

1. *Abdominis medio rufo nigromaculato.* m. — *Antennae* articulo 1 plerumque subtus albente. *Abdomen* segmento 1 vix paulo angustiore quam in mare genuino; 2 et 3 rufocastaneis aut fulvotestaceis, 2 macula dorsali nigra, 3 macula dorsali et utrinque macula laterali magnis confluentibus nigris; 7 membranula alba terminali. — Caetera sicut in maris genuini individuis plurimis.

Individuum minus, segmentis 2 et 3 fulvotestaceis, captum est prope *Helmstadium*, cum mare genuino; alterum *Roentgen* cepit mense Iunio in *Hercynia.*

2. *Capite, excepto ore, toto nigro.* m. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio stramineis. *Antennae* articulo 1 subtus albo. *Alae* areola subtriangulari. *Pedes* rufi; coxis, trochanterum basi, femorumque posticorum apice, nigris (tibiis tarsisque posticis deficientibus). *Abdomen* segmento 1 apice summo rufo; 2 rufo, basi nigra; 3 rufo; 7 membrana terminali albente. — Caetera sicut in mare genuino.

Marem unicum *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. sperator Müll. Prod. n. 1829.

„ Schrank Boica, n. 2108; habitat mense Maji in salicibus.

178. P. RUGULOSUS. n.

Segmentis 1 et 2 aciculatorugulosis; abdominis medio, tibiis anterioribus, femoribusque, rufis. m.

Statura maris sequentis; sed, praeter rugulas segmenti primi, pedibus quoque brevioribus et validioribus differt.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* palpis sordide stramineis. *Antennae* porrectae subfiliformes, corpore dimidio paulo longiores, articulo 1 subtus ferrugineo. *Thorax* gibbus, metathorace tuberculis duobus acutiusculis. *Alae* hyalinae, stigmate nigro, radio fusco, radice et squamula flavoalbidis, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres rufi; coxis et trochanteribus nigris, his subtus rufis; postici tarsis tibiisque nigricantibus, his tamen medio obscuroferrugineis. *Abdomen* fere capitis thoracisque longitudine, thorace angustius; segmentis 1 et 2 aciculatis, nigris, margine rufo; 3 et 4 rufis, 4 margine nigro; reliquis fusconigris.

Semel captus, mense Iulio, in umbellatis prope *Barterodam.*

179. P. FUMATOR. n.

Segmentis intermediis, femoribus, tibiisque rufis. m. f. antennis nigris.

Longitudo $1\frac{3}{4}$ — 3 linearum. *Caput* palpis plerumque piceostramineis, mandibulis medio rufis. *Antennae maris* porrectae subsetaceae, fere longitudine corporis, articulo 1 interdum subtus rufo; *feminae* corporis dimidii longitudine, curvatae, interdum articulo 1, aut articulis 1—3, subtus plus minus ferrugineis aut subtestaceis. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* hyalinae irideae; stigmate et radio fuscis, feminis minoribus interdum stramineopiceis; radice albida aut straminea; squamula albida aut piceostraminea, maribus interdum fusca; areola quinqueangulari, majore aut minore, interdum subpyramidata. *Pedes* maris graciliores quam feminae; rufi; coxis anterioribus rarius totis rufis aut totis nigris, ut plurimum basi nigra, posticis vel totis nigris vel subtus macula rufa; trochanteribus plerumque nigris apice rufo, rarius totis nigris aut totis rufis; postici tarsis fuscis, plerumque apice tibiarum, nonnunquam etiam geniculo femorum, fusco. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine aut vix paulo longius, thorace angustius, oblongum aut oblongofusiforme, *feminae* vix capitis thoracisque longitudine, thoracis latitudine, ovatum aut ovatooblongum; segmento 1 nigro, feminae interdum aciculato, maris rarissime margine rufo; parte an-

tica maris latitudine longiore, paulo latiore at vix paulo breviore quam petiolus, latitudine relativa tamen haud omnibus eadem, feminae latiore quam mari; 2 et 3 rufis, feminae interdum rufofulvis aut castaneis, maris rarissime fascia aut margine nigricante, 3 feminae plerumque margine nigro; 4 ut plurimum toto nigro, interdum basi rufa, rarius toto rufo; 5 maris rarissime basi rufo. *Aculeus* fere quartae abdominis partis longitudine, vel paulo longior.

Copiam marium et feminarum legi mense Augusti in umbellatis circa *Warmbrunn* et *Vratislaviam;* marem etiam mense Iunii in floribus Pastinacae prope *Helmstadium;* feminas plures mensibus Iunii et Iulii, circa *Oedelem* et *Barterodam* in umbellatis; quaedam feminae, circa *Norimbergam Sickershausen* et *Trajectum ad Moenum* captae, mihi transmissae sunt.

Par hujus speciei, cujus marem ipse circa *Gottingam* cepi, feminam autem *Manger* circa *Warmbrunn* cepit, abdomine breviore et magis contracto, feminae orbiculatoovato, ab individuis genuinis differt. *Longitudo* maris 2, feminae 1 3/4 linearum. *Antennae* articulo 1 subtus rufo. *Pedes* rufi; postici coxis basi nigris, mari etiam apice tibiarum nigro, tarsis subfuscescentibus. *Abdomen* segmentis 2 et 3 rufis; 3 feminae apice nigro, maris maculis duabus fuscis. — Caetera quemadmodum in specie genuina. *Alae* areola minore.

Varietates:

1. *Tibiis posticis basi et apice, vel fere totis, nigris.* m. f. *Longitudo* maris 2—3, feminae 2 linearum. *Caput* palpis plerumque piceostramineis. *Antennae maris* rarius articulo 1 subtus stramineo, *feminae* articulis 2—5 rufoferrugineis, sequentibus ferrugineofuscis. *Thorax* feminae metathoracis tuberculis duobus acutiusculis. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice pallidestraminea, squamula fusca aut ferruginea; areola quinqueangulari, rarissime minuta. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, anterioribus maris nonnunquam apice rufis, rarissime totis stramineis; postici tibiis basi apiceque nigris, maris interdum fere totis nigris, tarsis nigricantibus. *Abdomen* segmento 1 maris plerumque, 2 interdum, aciculato; segmentis 2 et 3 rufis; 4 feminae basi summa rufo, maris plerumque rufo margine nigro, rarius toto rufo aut toto nigro; 7 feminae retracto, albidoterminato. *Aculeus* etc. sicut in femina genuina.

Feminam unicam *Roentgen* circa *Niesky* cepit. Mares nonnullos cepi circa *Gottingam* et, mense Septembri, in locis apricis in fruticetis, circa *Vratislaviam* et *Trajectum ad Viadrum,* inter quos duo individua, coxis et trochanteribus anterioribus totis, nec non articulo primo antennarum subtus, stramineis. Quidam alii, circa *Warmbrunn, Sickershausen* et *Parisios* capti, mihi transmissi sunt, quorum ille, circa *Sickers-*

hausen captus, a reliquis, areola minore et segmento 4 toto rufo, differt.

2. *Femoribus posticis pro parte nigris.* m. f. — *Longitudo* 2—2½ linearum. *Caput* plerumque palpis et macula mandibularum piceostramineis aut rufis. *Antennae* vel totae nigrae vel maris articulo 1, rarius articulis 1—3, subtus rufescentibus aut testaceis, feminae articulo 2 rufescente. *Alae* subhyalinae irideae, radio et stigmate fuscis, radice straminea, squamula testacea aut fusca; areola quinqueangulari, maris interdum perexigua. *Pedes* rufi; coxis anterioribus rarius totis rufis, plerumque basi nigris aut nigris subtus macula rufa aut ferruginea, posticis nigris, maribus nonnullis apice rufis; trochanteribus nigris, apice rufis, rarius totis nigris, anterioribus interdum totis rufis; femoribus posticis externe plus minus nigricantibus, rarius nigris basi rufa aut rufis geniculo solo nigro; tibiis posticis apice, interdum etiam basi, rarius latere externo toto, fuscis aut nigricantibus; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 rufis aut castaneis, maris interdum sordidestramineis fusconebulosis, 3 feminae plerumque margine, interdum etiam disco toto, nigro; 4 vel toto nigro, vel basi rufa aut testacea, interdum rufo, margine nigro, rarius toto rufo.

Plures mares et feminas cepi, mensibus Augusti et Septembris, circa *Cudovam* et *Warmbrunn*, praesertim in umbellatis, vero etiam in

gramine et frutetis; circa *Sickershausen* quoque ambo sexus capti sunt. Praeterea autem mares nonnullos cepi, mense Iunii, circa *Vratislaviam* in gramine, et in *Hercynia*, unusque *norimbergensis* mihi transmissus est; feminam etiam cepi mense Septembri in Angelica sylvestri prope *Reinerz*, quaedam autem, circa *Trajectum ad Moenum* et *Genuam* captae, mecum communicatae sunt.

3. *Trochanteribus flavis.* m. — *Longitudo* $2\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* palpis pallidis, mandibulis medio rufis. *Antennae* articulo 1 subtus testaceo. *Alae* sicut in varietate praecedente; areola autem angustiore subtriangulari. *Pedes* rufi; anteriores trochanteribus et coxis flavis aut testaceis; postici coxis fusconigris apice rufescente, trochanteribus stramineis, femoribus interdum externe fuscescentibus, tarsis et tibiarum apice fuscis. *Abdomen* segmentis 2—4 rufis, 4 margine fusconigro.

Duo individua cepi, mense Augusti, in fruticetis circa *Warmbrunn*, tertium, mense Maji, in horto prope *Gottingam.*

4. *Femoribus posticis totis nigris, segmentorum solo tertio rufo.* m. — *Longitudo* 2—$2\frac{1}{4}$ linearum. *Caput* palpis pallidis, mandibulis medio rufescentibus. *Antennae* articulo 1 subtus rufo aut flavo. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice pallidestraminea,

squamula testacea aut fusca, areola quinqueangulari. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus anterioribus interdum totis testaceis, plerumque nigris, his apice rufo; coxis posticis nigris, trochanteribus vel testaceis vel nigris apice rufo; femoribus mediis interdum externe basin versus nigris, posticis nigris, apice, vel etiam basi, rufis; tibiis posticis apice, plerumque etiam basi, nigris, medio interdum testaceo; tarsis posticis nigricantibus. *Abdomen* segmento 2 apice, interdum quoque lateribus, rufo; 3 rufo, interdum macula laterali nigra; 4 nonnunquam dorso aut basi rufo; 5 et 6 rarissime macula dorsali rufa.

Plures cepi mensibus Maji et Septembris circa *Scheidnich* et *Trajectum ad Viadrum* in fruticetis, mense Augusto, circa *Cudovam* in umbellatis. Multos legit *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen*, mense Septembri, in floribus, *Manger* circa *Warmbrunn*.

5. *Femoribus omnibus nigromaculatis.* m. f. — *Longitudo* maris 2—2¼, feminae 1½—2¼ linearum. *Caput* palpis piceostramineis, maris obscurioribus; mandibulis medio rufescentibus. *Antennae* subtus interdum articulo 1 rufo. *Alae* subhyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis, radice pallidestraminea, squamula straminea aut fuscescente, areola quinqueangulari. *Pedes* rufi; coxis nigris, anterioribus interdum subtus rufis; trochanteribus nigris, apice ut plurimum plus minus rufescente; femoribus anterioribus rarius ni-

gris apice rufo, plerumque rufis, basin versus plus minus nigricantibus, rarius fere totis rufis, posticis rarius fere totis nigris (praesertim in maribus), plerumque vel lateribus duobus, vel interne, vel basi apiceque, rufis; tibiis posticis summa basi, ut plurimum etiam (praesertim maribus) apice summo, nigricantibus, mari rarius nigris, ante basin rufis; tarsis posticis nigricantibus. *Abdomen* segmento 2 rufo, mari interdum punctis duobus dorsalibus nigris; 3 rufo, feminae plerumque (rarius quoque mari) margine nigro; 4 maris interdum basi, vel fere toto, rufo.

Mares tres, cum una femina, circa *Genuam* captos, praeterea plures feminas, in *Regione pedemontana*, nec non circa *Sickershausen*, *Warmbrunn* et, mense Iulio, circa *Fürstenstein*, lectas, accepi; ipse unam cepi feminam mense Iulio circa *Barterodam* in umbellatis.

6. *Femoribus nigris, anterioribus apice rufo.* m. — *Longitudo* 2⅕ — fere 3 linearum. *Caput* ut plurimum latius quam in reliquis varietatibus. *Antennae* articulo 1 interdum subtus ferrugineo. *Alae* stigmate radio et squamula nigris, radice flava; areola quinqueangulari, rarius subpyramidata. *Pedes* coxis nigris, anticis rarius subtus ferrugineis; trochanteribus nigris, interdum subtus rufis; femoribus anticis rufis, basi vel tota vel tantum externe nigra, mediis nigris, apice vel latere interno toto rufis, posticis nigris, nonnunquam basi rufa, rarius latere interno toto casta-

neo; tibiis rufis, posticis apice nigro; tarsis rufis, posticis nigricantibus. *Abdomen* segmentis 2 et 3, nec non basi quarti, rufis.

Unum marem, die 30 Maji, cepi circa *Vratislaviam*, alterum *Roentgen* circa *Niesky* cepit; plures, in *Etruria* et in *Regione Pedemontana* capti, mecum communicati sunt.

7. *Femoribus et segmentis intermediis rufis nigromaculatis.* m. f. — *Longitudo* maris 2—2¼, feminae 1¼—2 linearum. *Caput* interdum ore rufo. *Antennae* feminae rarius articulo 1 subtus testaceo. *Alae* subfumatohyalinae aut hyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis, radice albostraminea, squamula maris pallide straminea, feminae nigra aut fusca. *Pedes* rarius testacei, posticorum coxis nigris, tarsis, apice tibiarum et latere externo femorum, fuscescentibus; plerumque coxis nigris, anterioribus interdum subtus rufis; trochanteribus nigris, interdum rufis basi fusca; femoribus anterioribus vel nigris apice rufo, vel rufis, basin versus distinctius aut obsoletius nigris, posticis nigris, feminae plerumque apice rufo, rarius fere totis rufis; tibiis rufis, posticis maris nigris medio rufo, feminae rufis plerumque apice nigro; tarsis rufis, posticis nigricantibus. *Abdomen* nigrum; segmento 2 castaneo aut rufo, fascia aut puncto dorsali nigro, feminae rarius fere toto rufo; 3 maris rufo, fascia aut puncto dorsali nigro, feminae basi rufo, apice nigro, rarius fere toto nigro.

8. *Femoribus nigris, anterioribus apice rufo; abdomine nigro, segmento 2 castaneo, fascia nigra.* f. — *Longitudo* fere 2 linearum. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice flava, squamula nigra; areola quinqueangulari subquadrata. *Pedes* nigri; femoribus anterioribus apice rufo; tibiis rufis, posticis apice nigro; tarsis rufis, posticis fuscis.

Hanc feminam *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

9. *Segmento* 1 *rufo basi nigra.* m. — *Longitudo* 2 1/5—3 linearum. *Caput* interdum punctis duobus albentibus clypei, rarius medio confluentibus, interdum clypeo et mandibulis ferrugineis. *Antennae* articulo 1 rarius subtus albente aut ferrugineo. *Thorax* interdum tuberculis duobus acutiusculis metathoracis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut nigris, radice pallide flava, squamula nigra; areola quinqueangulari. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, anterioribus haud raro subferrugineis; femoribus posticis apice nigro; tibiis posticis summo apice, plerumque tarsis posticis, fuscis. *Abdomen* segmento 1 rarius nigro, margine rufo, ut plurimum rufo, petiolo nigro aut fuscescente; 2 et 3 rufis aut fulvis; 4 rarius basi aut toto rufo; 5 rarissime dorso castaneo; 7 plerumque membranula albida terminato.

Individua nonnulla cepi, mensibus Iulii et Augusti, circa *Helmstadium*, in fruticetis; alia

quaedam, circa *Norimbergam* et *Niesky* capta, mecum communicata sunt.

Nota:

Haec species non solum *colore* permutabilis est, sed etiam statura et proportione partium variat. *Statura* tota quibusdam maribus, imprimis varietatis 2, crassior est quam reliquis. Iisdem individuis, nec non speciminibus nonnullis varietatis 6, *caput* est latius et crassius, *antennae* autem paulo breviores, quam speciei genuinae. Varietas 8 *thorace* paulo gibbosiore differt; maribus varietatis 9 et feminae varietatis 1 metathorax tuberculis duobus acutiusculis armatus est, quorum alias solum vestigium, plus minus distinctum, se ostendit. *Areola* ut plurimum quinqueangularis est, aliis autem major aliis minor; interdum subpyramidata transit in formam triangularem, v. c. in varietate 3; aut, in varietate 8, fere quadrangularis evadit. *Abdomen* in ipsis individuis genuinis longitudine et forma aliquanto variat. *Segmentum primum* in ipsis individuis genuinis proportione relativa petioli et partis anticae variat; maribus varietatis 9 pars antica latior est quam alias esse solet; individuo hercynico varietatis 2 hoc segmentum sublineare est, petiolo crassiusculo, vix paulo angustiore quam pars antica; nonnullis feminis genuinis, maribusque varietatis 1, plus minus aciculatum est, quo haec species ad antecedentem transit. *Aculeus* quarta

parte abdominis paulo longior paulove brevior esse solet, interdum autem vix abdominis trientis longitudine est.

Omnes hae differentiae coloris et proportionis relativae sensim sensimque mutantur et inter se transeunt, nulloque modo characteres distinctivos plurium specierum, e hac specie ejusque varietatibus detrahendarum, suppeditare possunt. Eaedem differentiae autem hanc speciem quibusdam aliis cognatis hujus sectionis adpropinquant, licet, examine accuratiore, semper notae distinctivae se offerant: *Phygadeuon exiguus*, n. 165, colore antennarum et coxarum differt; *ovatus*, n. 167, colore antennarum; *dumetorum* mas vix a mare *fumati* distinctus est, femina autem antennarum colore differt; *improbi* mas ore albo, femina antennis tricoloribus, discrepat; *graminicola*, n. 170, colore antennarum; *galactinus*, n. 176, colore oris faciei et coxarum; *sperator*, n. 177, orbitis oculorum albis; *rugulosus*, n. 178, segmentis 1 et 2 aciculatis; *bifrons*, n. 180, colore faciei; *teneriventris* et *mesozonius*, n. 181 et 182, statura tota graciliore, segmento 1 lineari; *subtilis*, n. 183, segmentis 3 et 4 stramineofulvis; *variabilis*, n. 187, pedibus crassioribus; *hercynicus*, n. 189, colore et abdomine angustiore; *jejunator*, n. 196, ore et orbitis oculorum internis albis; *senilis*, n. 197, colore abdominis et facie tomentosa; *tenuipes*, n. 198, colore abdominis, etc.

180. P. BIFRONS.

Abdominis medio, tibiis femoribusque, rufis; facie et coxis anterioribus albomaculatis, coxis posticis nigris. m.

Statura et proportio partium maris antecedentis.

Longitudo 2 ¼ — 2 ¾ linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum internis, vel facie tota, albidis. *Antennae* fuscae aut fuscoferrugineae, articulo primo subtus pallido. *Alae* fumatohyalinae aut subhyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula albidis, areola quinqueangulari. *Pedes* rufi; anteriores coxis et trochanteribus albis; postici coxis nigris apice rufo, tibiarum et articulorum tarsi apicibus fuscis. *Abdomen* segmento 1 canaliculato nigro, apice rufo; 2 et 3 rufis; 4 vel toto nigro, vel rufo basi fusca; reliquis nigris.

Individua quaedam *Manger* circa *Warmbrunn* cepit, quorum duo minora facie tota alba et antennis fuscis a majore differunt.

Synonyma:

Ichn. bifrons Gmel. ed. Linn. p. 2718, n. 369.

181. P. TENERIVENTRIS. n.

Segmento tertio pedibusque rufis, coxis posticis nigris. m.

Statura et proportio partium maris *fumatoris*, n. 179; abdomine ut plurimum paulo magis elon-

gato, apicem versus sensim dilatato, laevissimo, nitidissimo, depresso.

Longitudo 2¼—2¾ linearum. *Caput* palpis, plerumque macula mandibularum, testaceis aut rufis, rarius etiam clypeo obscurorufo. *Antennae* plerumque articulis 1 et 2 subtus rufis. *Alae* subfumatohyalinae irideae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula fusca aut straminea; areola subquinqueangulari, majore minoreve. *Pedes* rufi; postici coxis nigris apice rufescente, tarsis subfuscescentibus; rarius etiam coxis anterioribus fere totis nigris. *Abdomen* segmento 2 plerumque apice et lateribus testaceorufis; 3 rarius toto testaceo aut rufo, plerumque apice nigro; 4 rarius basi rufescente.

Quaedam cepi specimina mense Augusto circa *Warmbrunn* in frutetis, mense Septembri circa *Woelfelsgrund* in prato in Angelica sylvestri.

Varietates:

1. *Segmentis 2 et 3 diluterufis; coxis omnibus nigris, subtus castaneis. m.* — Medium tenet inter hanc speciem et *fumatorem*, n. 179. — *Longitudo* 2½ linearum. *Antennae* articulis 1—3 subtus ferrugineis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice testacea; areola triangulari alae dextrae subsessili, sinistrae sessili. *Pedes* rufi; coxis nigris, subtus castaneis; trochanteribus nigris apice rufo. *Abdomen* segmento 1 sublineari apice castaneo; 2 et 3 dilute rufis, 3 margine nigro.

Marem unicum cepi cum genuinis circa *Warmbrunn.*

2. *Pedibus nigris, tibiis et femorum anteriorum apicibus rufis.* m. — *Longitudo* 2⅔—3 linearum. *Antennae* totae nigrae. *Alae* hyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula testaceis; areola parva, triangulari aut subquinqueangulari pyramidata. *Pedes* femoribus anticis testaceorufis, basin versus nigricantibus aut fuscis, mediis nigris apice testaceorufo, posticis interdum geniculo rufo; tibiis posticis externe fuscescentibus. *Abdomen* segmento 2 margine et lateribus rufescentibus; 3 rufo, vel angulis apicalibus nigris.

Individuum unum *Dahl* cepit circa *Vindobonam;* alterum *pedemontanum,* idque majus, segmento 3 toto geniculisque posticis rufis, *Bonelli* mecum communicavit.

182. P. MESOZONIUS. n.

Segmento tertio femoribus tibiisque rufis. m.

Statura et habitus speciei antecedentis, sed abdomine et petiolo paulo brevioribus.

Longitudo fere 2 linearum. *Alae* subfumato-hyalinae irideae, stigmate et radio fuscopiceis, radice straminea, squamula nigra; areola quinqueangulari irregulari subpyramidata, nervo exteriore pertenui. *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, tarsis posterioribus fuscescentibus. *Abdo-*

men capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, nitidissimum, depressum; segmentis 2—6 fere aequilatis, 3 dilute rufo margine nigro.

Marem unicum cepi mense Augusto circa *Warmbrunn* in umbellatis.

183. P. SUBTILIS. n.

Segmentis 3 et 4 stramineo-fulvis; pedibus anterioribus rufis, coxis pallidioribus; antennis articulo 1 subtus flavo. m.

Hic differt a duobus antecedentibus abdomine breviore latiore.

Longitudo 2¼ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio stramineis. *Antennae* filiformes, corpore dimidio paulo longiores, articulo 1 subtus flavo. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, irideae, stigmate et radio fusconigris, radice et squamula albidis, areola quinqueangulari. *Pedes* anteriores diluterufi, coxis et trochanteribus pallidioribus, illis basi nigra, femoribus mediis externe fuscescentibus; postici nigri, trochanterum apice et tibiarum medio rufis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel paululum longius et angustius, oblongum, nitidum, depressum; segmento 1 subcanaliculato, apicem versus sensim dilatato, parte antica latitudine fere duplo longiore, tuberculis lateralibus paulo ante medium sitis; 2 interdum mar-

gine summo stramineo; 3 et 4 stramineis, 4 lateribus nigris.

Duo cepi individua mense Iulio in gramine circa *Vratislaviam.*

184. P. SERICANS. n.

Segmentis 2 et 3 rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris. m.

Statura et proportio partium omnino *diaphani,* pedibus paululum longioribus, petiolo crassiore.

Longitudo 3⅔ linearum. *Caput* subcrassiusculum. *Antennae* porrectae, dimidio corpore paulo longiores. *Thorax* gibbus. *Alae* subfumatohyalinae, radio stigmate et squamula fusconigris, radice piceoferruginea; areola quinqueangulari. *Pedes* longi subsericantes rufi; coxis et trochanteribus omnibus, pedumque posticorum tarsis nec non femorum et tibiarum apicibus, nigris. *Abdomen* subsericans, capitis et thoracis longitudine, thorace angustius; segmento 1 apicem versus sensim paulo dilatato, petiolo lineis duabus elevatis, parte antica rugulosa apice rufo; 2 et 3 rufis aut badiis; 4 nigro aut umbrino; reliquis nigris.

Hanc speciem semel cepi, mense Augusto, circa *Helmstadium* in fruteto aphidibus obsesso; alterum individuum *vindobonense Dahl* transmisit.

Synonyma:

Ichn. pictus Gmel. ed. Linn. p. 2702, n. 305.

Nota:

Species Gmeliniana huc adhibita etiam ad *fumatorem*, n. 179, quadrat. — Sed *Ichn. pictus* auctorum reliquorum *Banchus* est.

185. P. AMBIGUUS. n.

Segmentis 2—5 rufis; femoribus anterioribus rufis basi nigricante; tibiis rufis, posticis apice nigro. m.

Statura et proportio partium omnino *Ph. diaphani.*

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput* crassiusculum. *Antennae* articulo 1 interdum subtus ferrugineo. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice flava, squamula nigra; areola quinqueangulari, interdum subpyramidata. *Pedes* rufi, trochanteribus et coxis nigris; anteriores plerumque femoribus basin versus nigris; postici femoribus vel totis vel apice et subtus nigris, vel nigris basi rufa, tibiarum basi et apice tarsisque nigris. *Abdomen* segmento 1 sublineari, apicem versus paulo dilatato, aciculato, nigro, lineis 2 elevatis; 2—4 rufis; 5 et 6 vel totis rufis, vel castaneis margine lateribusque fuscis, 6 rarius toto nigro.

Individua duo cepi, nescio ubi; tertium, femoribus posticis nigris basi rufa, segmento 6 toto nigro, circa *Warmbrunn* captum, *Manger* mecum communicavit; quartum, *vindobonense*, idque maximum, femoribus posticis totis nigris, cellula cubitali intermedia pyramidata, *Dahlio* debeo.

Varietas:

1. *Segmentis 2—4 castaneis; femoribus rufis, posticis apicem versus nigris. — Longitudo* 3 1/5 linearum. *Antennae* articulis 1 et 2 subtus ferrugineis. *Alae* subfumatohyalinae; stigmate nigro, radium versus albo; radio et squamula nigris, radice straminea; areola quinqueangulari subregulari. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus rufis, posticis apicem versus nigris; tibiis subsericantibus rufis, posticis apice et summa basi nigricantibus; tarsis fuscescentibus, posticis fuscis. *Abdomen* segmento 1 paulo angustiore quam in specie genuina; 2—4 badiis.

Unicum individuum, circa *Trajectum ad Moenum* captum, *de Heyden* mecum communicavit.

Nota:

Forsan *Ichn. Ceparum* Schrankii ad hanc speciem adhiberi posset.

186. P. SPECULATOR. n.

Abdomine subpetiolato; segmento 2, nec non basi tertii, pedibusque, rufis. f. (aculeo abdomine breviore).

Ab omnibus hujus familiae cospeciebus haec differt petiolo breviore crassiore, aculeo longiore.

Longitudo 2 1/4 linearum. *Caput* subpilosellum. *Antennae* filiformes, corpore dimidio vix

paulo longiores, apice involutae, articulis 2—4 subtus ferrugineis. *Thorax* subcylindricus, metathorace subbispino. *Alae* parvae angustae, fusco-hyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, radice rufa, squamula ferruginea, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres toti rufi. *Abdomen* subpetiolatum, ovatum, depressiusculum, capitis thoracisque longitudine, thorace vix paulo latius; segmento 1 basin versus sensim angustato, latitudine vix duplo longiore, parte antica subtransversa paulo breviore quam petiolus, obsolete aciculata; sequentibus nitidissimis glaberrimis, 2 et 3 rufis, 3 attamen apice et marginibus nigris. *Aculeus* abdomine brevior, niger, terebra rufa.

Feminam unicam *Sahlberg* e *Fennia* transmisit.

Phygadeuon.

187. P. VARIABILIS. n.

> Segmentis 2 et 3 nec non femorum anteriorum apice rufis; tibiis rufis, posticis basi apiceque nigris. m. f. (Fem. antennis basin versus rufis, aculeo brevi).

Statura et proportio partium sicut *Ph. dumetorum*, n. 168. Femina antennis pedibusque paulo brevioribus et crassioribus quam in mare.

Longitudo maris 3, feminae 2½ linearum. *Caput* maris crassiusculum, sicut in mare *fumatoris* (cui hic mas etiam caeteris affinis est); feminae subcrassiusculum, palpis et mandibulis ferrugineis, his basi et apice nigris. *Antennae* feminae

corpore dimidio vix paulo longiores, filiformes, incurvae, articulo 1 fusco aut rufo, 2—6 rufis aut ferrugineis, sequentibus fuscis. *Thorax* gibbulus, metathorace feminae subbispino. *Alae* fumatohyalinae, stigmate nigro puncto albo, radio nigro, radice stramineoflava, squamula fusca aut ferruginea, areola quinqueangulari. *Pedes maris* trochanteribus et coxis nigris; femoribus anterioribus nigris apice rufo, posticis nigris basi aut latere interno rufis; tibiis rufis, posticis vel totis vel tantum basi apiceque nigris; tarsis anterioribus rufis aut fuscescentibus, posticis fuscis; *feminae* anteriores rufi, femoribus basin versus nigris aut fuscis, coxis trochanteribusque interdum superne nigris; postici nigri, trochanterum apice, rarius trochanteribus totis, rufis, tibiis interdum medio ferrugineis. *Abdomen* oblongoovatum, capitis et thoracis longitudine, thorace paulo angustius; segmento 1 nigro, aciculato, sublineari, parte antica paululum latiore quam petiolus; 2 et 3 rufis; 4 vel toto nigro vel basi rufo, mari interdum toto rufo; sequentibus nigris; ultimo margine albicante distinctiore aut obsoletiore. *Aculeus* longitudine partis quintae aut quartae abdominis.

Duos mares unamque feminam *genuenses a Spinola* mecum communicavit; feminam alteram cepi nescio ubi in *Germania*.

Varietates:

1. *Pedibus rufis, coxis obscuris.* f. — *Longitudo* 2—2⅔ linearum. *Antennae* articulis 1—6

vel omnibus vel eorum plurimis rufis aut ferrugineis. *Alae* nervo exteriore areolae interdum obsoleto. *Pedes* rufi aut castanei; coxis rarius omnibus rufis, posticis ut plurimum nigris macula rufa, interdum quoque anterioribus rufis basi nigra; tibiis posticis plerumque apice nigricante; tarsis posticis ut plurimum nigricantibus. *Abdomen* segmentis 2 et 3 rufocastaneis, 3 interdum margine nigricante; 4 plerumque basi rufa; 6 et 7 margine albicante, interdum obsoleto. — Caetera sicut in femina genuina.

Individua quaedam cepi, mensibus Iunii Iulii et Septembris, passim in *Silesia*, in hortis et pratis, in frutetis, umbelliferis et in gramine, quorum unum, idque mense Septembri prope *Reinerz*, in prato, in Angelica sylvestri, captum, omnium minimum, nervo exteriore areolae obsoleto (quo etiam ad familiam sextam transit), pedibus totis rufis, antennarum articulis solis 1—3 obscuroferrugineis, a reliquis differt. Femina circa *Sickershausen* capta, quam *Nees ab Esenbeck* mihi misit, a reliquis secedit tuberculis metathoracis acutioribus.

2. *Pedibus nigris, femoribus omnibus tibiisque anterioribus totis rufis.* m. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* minus crassum quam in mare genuino. *Tibiae* posticae ante basin fuscoferrugineae. *Abdomen* segmentis 2 et 3 totis, 4 basi, badiis. — Caetera ut in mare genuino.

Unicum marem cepi die 27 Maji in horto prope *Gottingam.*

Nota:

Femina descripta hujus speciei forsan etiam cum mare *Ph. assimilis*, n. 191, conjungi posset; caput ejus paulo angustius est quam in mare *Ph. variabilis*, paulo latius autem quam in *Ph. assimili.*

Varietas descripta feminae statura et proportione partium convenit tam cum femina genuina *Ph. variabilis* quam cum femina *Ph. dumetorum*, n. 168; colore autem medium tenet inter ambas, antennis enim accedit propius ad *variabilem*, pedibus autem ad *Ph. dumetorum.*

Forsan *Ichn. palpator* Müll. prodr. n. 1832 ad varietatem feminae spectat.

188. P. NITIDUS. n.

Abdomine lanceolato, segmentis 2—4 pedibusque rufis, trochanteribus et coxis nigris. f.

Haec a femina *fumatoris*, n. 179, differt magnitudine, abdomine angustiore, antennis brevioribus et fortioribus; a femina *variabilis* antecedentis, cui ratione antennarum magis respondet, abdomine angustiore, aculeo longiore.

Longitudo $2\frac{1}{3}$—3 linearum. *Antennae* corpore dimidio paulo breviores, articulis 2—4 subtus distinctius aut obsoletius rufis. *Alae* fumato-

hyalinae aut subhyalinae; stigmate radio et squamula fuscis aut nigris, radice alba; areola quinqueangulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris. *Abdomen* capite thoraceque vix paululum longius, thorace paulo angustius, lanceolatum, segmentis 2—4 rufo-castaneis. *Aculeus* longitudine quartae partis abdominis.

Unam feminam cepi, mense Augusto, in umbellatis circa *Cudovam;* duas *Besser* e *Volhynia* transmisit.

189. P. HERCYNICUS. n.

Antennis ante basin, femoribus, tibiis, abdominisque medio, rufis; ano albido. f.

Statura et proportio partium feminae antecedentis, abdomine et segmento primo attamen paulo angustioribus.

Longitudo fere 2½ linearum. *Caput* mandibulis medio rufis. *Antennae* filiformes curvatae, corpore dimidio breviores, articulis 3—5 rufis. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice albida, squamula nigra, areola quinqueangulari. *Pedes* rufi, trochanteribus et coxis nigris. *Abdomen* lanceolato-subfusiforme, thorace longius et angustius; segmento 1 nigro, apicem versus sensim paulo dilatato, parte antica subcanaliculata, latitudine paulo longiore, at paulo breviore quam petiolus; 2—4 rufis, 4 fascia fusca;

5 fusco; 6 et 7 nigris, 7 ano albo. *Aculeus* longitudine quartae partis abdominis, niger, terebra rufa.

Unicam feminam *Roentgen* cepit, mense Iunio, in *Hercynia.*

190. P. LABRALIS. n.

Clypeo et labro stramineis; segmentis 2—4, tibiis anterioribus totis posticis basi summa, rufis; femoribus anterioribus rufis basi nigricante. m.

Statura et proportio partium *Ph. speratoris*, n. 177; forsan ambae species conjungendae sunt. Etiam cum *jejunatore*, n. 196, hic *labralis* convenit ratione staturae et proportionis.

Longitudo 3—4 linearum. *Caput* palpis piceis aut stramineis, labro et clypeo stramineis. *Antennae* porrectae, corpore dimidio longiores, articulo 1 interdum subtus flavicante. *Thorax* gibbulus. *Alae* subamplae, hyalinae, radio stigmate et squamula fuscis, radice flavescente, areola quinqueangulari. *Pedes* graciles rufi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus mediis interdum basi nigra; postici femoribus superne, tibiis apice, tarsisque, nigris, femoribus interdum totis nigris. *Abdomen* capite thoraceque longius et angustius, oblongo-clavatum; segmento 1 foveolato, nigro, macula apicali rufa, parte antica paulo breviore et paulo latiore quam petiolus; 2—4 rufis.

Unum individuum *Roentgen* cepit mense Iunio in *Hercynia;* alterum *genuense,* pedibus magis nigris et antennarum articulo 1 subtus flavicante, a *Spinola* mecum communicavit.

191. P. ASSIMILIS. n.

Abdominis medio, femorum anteriorum apice, tibiisque, rufis, harum posticis apice nigro. m.

Statura et proportio partium maris *Ph. fumatoris,* n. 179, sed magnitudine, antennis longioribus, pedumque colore, differt.

Longitudo 3—3½ linearum. *Caput* palpis fuscis aut piceostramineis. *Antennae* porrectae, corpore dimidio longiores. *Alae* subfumatohyalinae aut hyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice flava, squamula nigra, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres nigri; trochanteribus posterioribus ut plurimum apice ferrugineo; femoribus anterioribus apice rufoferrugineo; tibiis rufis, posticis apice nigro; tarsis anterioribus rufis, mediis interdum supra fuscescentibus, posticis fuscis, unguibus omnibus nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, suboblongoovatum seu segmentis 2—5 subaequilatis; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, foveolato, nigro; 2 et 3 rufis; 4 vel toto rufo, vel nigro, basi, interdum quoque margine, rufescente; sequentibus nigris subsericeis.

Tria individua cepi, mensibus Iunii et Augusti, circa *Helmstadium* in flore Pastinacae sativae, et in *Hercynia*.

192. P. SPINOLAE. n.

Segmentis 2—4 pedibusque rufis; femorum latere altero nec non tarsis posticis et tibiarum posticarum apice nigris; antennis tricoloribus. f.

Longitudo 3 linearum, *Caput* palpis et mandibularum medio ferrugineis. *Antennae* corpore dimidio vix paulo longiores, incurvae, medio subcompressodilatatae, apicem et basin versus sensim angustiores; articulis 1—5 fuscis, subtus ferrugineis, 6 et 7 fuscis, 8—10 albis subtus fuscis, sequentibus fuscis. *Thorax* subcylindricus. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio piceis, radice albida, squamula nigra; areola angusta subtriangulari. *Pedes* mediocres, rufi; anteriores latere externo trochanterum et femorum nigricante; postici tarsis, tibiarum apice, femoribusque, nigris, his basi rufa interne subcastaneis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 laevi, apicem versus sensim latiore, tuberculis lateralibus in medio sitis, petiolo nigro, parte antica rufa, latitudine longitudinis et plus duplo latiore quam petiolus; 2—4 rufis; sequentibus nigris, ultimo

membrana albida terminato. *Aculeus* abdomine dimidio brevior.

Unicam feminam, circa *Genuam* captam, *a Spinola* transmisit.

193. P. TROGLODYTES. n.

Segmento tertio, femorum anteriorum apice, tibiisque anterioribus, piceis, harum mediis apice nigro. m.

Statura et proportio partium sicut in mare *fumatoris*, n. 179.

Longitudo 2 linearum. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula flavescentibus; areola quinqueangulari, nervo exteriore subobsoleto. *Pedes* nigri; antici tibiis et femoribus ferrugineopiceis, his attamen basi nigra; medii geniculis tibiisque ferrugineopiceis, his apice nigricante. *Abdomen* oblongoovatum, capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius; segmento 1 sublineari, canaliculato, parte antica latitudine paulo longiore, pauloque latiore quam petiolus, tuberculis lateralibus acutis; 3 rufopiceo.

Marem unicum cepi die 17 Iunii *Brunsvigae*, in Rosa centifolia.

194. P. ERYTHROSTICTUS. n.

Abdominis medio, stigmate, femoribus anterioribus, tibiisque, rufis. m.

Longitudo 4—4⅔ linearum. *Caput* palpis stramineis, mandibulis medio flavis. *Antennae* subsetaceae, porrectae, apice summo incurvae, corpore paulo breviores. *Thorax* gibbulus. *Alae* subamplae, fumatohyalinae, stigmate et squamula rufis, radio fusco, radice straminea; areola quinqueangulari subpyramidata. *Pedes* mediocres rufi; coxis et trochanteribus omnibus femoribusque posticis nigris, tarsis posticis fuscescentibus. *Abdomen* sericeum, capite thoraceque longius et angustius; segmento 1 laevi, subcanaliculato, apicem versus sensim dilatato, castaneo, petiolo nigro, tuberculis lateralibus in medio sitis, parte antica latitudine longiore; 2 et 3 rufis; 4 rufo, margine nigro; reliquis nigris.

Marem, prope *Vindobonam* captum, *Dahl* mecum communicavit; alterum e *Volhynia* a *Bessero* accepi.

195. P. CERINOSTOMUS. n.

Ore flavo; segmentis 2—4, femoribus anterioribus, tibiisque, fulvis, harum posticis apice nigro. m.

A speciebus confinibus haec discernitur tuberculis lateralibus segmenti primi acutioribus.

Longitudo 3¼ linearum. *Corpus* totum subsericeum. *Caput* palpis et maculis duabus clypei stramineis, mandibulis flavis apice fusco; orbitis oculorum facialibus substramineis. *Antennae* corpore dimidio longiores, filiformes, porrectae. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice flavicante; areola quinqueangulari subpyramidata. *Pedes* mediocres, fulvotestacei; coxis et trochanteribus nigris; femoribus posticis totis, mediis externe, nigris; tibiarum posticarum apice, tarsisque posticis, nigris. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, thorace angustius, segmentis 2—5 aequilatis; segmento 1 sublineari, canaliculato, nigro, parte antica paululum latiore quam petiolus, tuberculis lateralibus acutissimis, in medio sitis; 2 rufostramineo, basi et puncto dorsali nigricantibus; 3 et 4 rufostramineis, 4 puncto nigro laterali; reliquis nigris.

Semel captus die tertio Iunii in umbellatis prati *Barterodae.*

196. P. IEIUNATOR.

Abdominis medio rufo; tibiis rufis, posticis apice nigro; femoribus anterioribus pro parte rufis; orbitis internis oculorum albis. m.

Statura et proportio partium sicut in *galactino* et *speratore,* n. 176 et 177, qui solo pedum colore differre videntur. Sed propius jam accedunt ad

varietatem primam *jejunatoris*, quae medium tenet inter hanc et illas species. — *Ph. bifrons*, n. 180, differt abdomine et segmento primo latioribus et brevioribus.

Corpus totum plerumque subsericeum. *Longitudo* 2½—3¼ linearum. *Caput* palpis, mandibularum medio, orbitis oculorum internis, plerumque clypeo, albidis. *Antennae* fere longitudine corporis, porrectae; articulo 1 plerumque subtus albo. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres aut subamplae, subhyalinae, stigmate et radio fuscis aut nigris, radice et squamula albidis, hac rarius piceoferruginea; areola quinqueangulari, plerumque subpyramidata. *Pedes* mediocres, subelongatuli; coxis et trochanteribus nigris; femoribus anticis rufis superne nigris, rarius nigris inferne apice rufo, mediis nigris subtus ut plurimum apicem versus rufis, posticis totis nigris; tibiis rufis, posticis apice nigris; tarsis rufis aut fuscis, posticis nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, elongatoovatum; segmento 1 parte antica subquadrata, rarius latitudine longiore, canaliculata, apice rufo; 2—4 rufis, 4 interdum margine nigro; 5 interdum basi aut summo margine badio.

Pluria cepi individua, mensibus Iunii et Maji, circa *Gottingam*, *Barterodam*, *Vratislaviam* et *Pepelwitz*, in umbellatis et fruticetis; duo, circa *Norimbergam* et *Sickershausen* capta, mihi transmissa sunt.

Varietates:

1. *Femoribus anterioribus totis rufis.* m. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum internis stramineoflavis. *Antennae* articulo 1 subtus testaceo. *Alae* subhyalinae, stigmate pallidepiceo, caeterum sicut in mare genuino. *Pedes* anteriores diluterufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, femoribus rufis superne a medio ad apicem nigris, tibiis rufis apice nigro. *Abdomen* ut in mare genuino.

Unicum individuum cepi, mense Majo, in vallo *gottingensi.*

2. *Femoribus anterioribus totis dilute rufis, facie albosignata.* m. — *Longitudo* 2½—3½ linearum. *Caput* ore, clypeo, genis, orbitis oculorum internis latis, macula faciali, plerumque signum V referente, interdum cum orbitis oculorum confluente, albis; rarius ore et facie testaceis, hac lineis duabus nigris, clypeum versus convergentibus. *Antennae* articulo 1 subtus rufo aut albido. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis aut stramineis. *Pedes* anteriores dilute rufi aut testacei, coxis nigris, anticis interdum subtus albis aut testaceis, rarius totis testaceis, rarissime etiam mediis subtus albidis aut stramineis, trochanteribus testaceis aut albidis, interdum basi nigra; postici nigri, tibiarum basi, interdum quoque femorum summa basi, rufa. *Abdomen* segmento primo apice rufo;

2 et 3 rufis, interdum basi nigra; 4 rufo, basi, vel etiam margine, nigro; 5 interdum macula dorsali badia.

Quaedam individua cepi mense Majo circa *Gottingam*, mense Augusto circa *Cudovam* in gramine; unum, prope *Warmbrunn* captum, *Manger* mihi misit.

3. *Orbitis oculorum internis ferrugineis.* m. — *Longitudo* 3½—4 linearum. *Caput* ore et orbitis oculorum internis ferrugineostramineis. *Antennae* totae nigrae. *Alae* hyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice flavicante. *Tibiae* posticae nigrae, basin versus obscuroferrugineae aut fuscescentes. *Abdomen* segmento 1 apice castaneo, 2—4 castaneis, 5 interdum lateribus castaneis. — Caetera sicut in mare genuino.

Mares duos cepi initio Iunii in fruticeto prope *Barterodam*, tertium circa *Helmstadium*.

Synonyma:

Ichn. jejunator Gravenh. Uebers. n. 3745 et 3746.

197. P. SENILIS.

Facie canopubescente; abdomine rufo, basi et ano nigris; femoribus tibiisque anterioribus rufis. m.

Hic mas ab antecedente differt abdomine petiolo pedibusque gracilioribus.

Longitudo 2¾—3¾ linearum. *Caput* facie genisque pube canosericeo vestitis; palpis longis, stramineis aut albis. *Antennae* articulis 1—6, vel plurimis eorum, subtus ferrugineis aut testaceis, 1 rarius subtus fusco. *Thorax* metathorace tuberculis duobus acutiusculis. *Alae* subfumato-hyalinae aut hyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice pallidestraminea, squamula nigra aut fusca, rarius ferruginea aut testacea; areola quinqueangulari aut subtriangulari. *Pedes* graciles; anteriores rufi aut testacei, coxis et trochanteribus nigris, his plerumque subtus aut apice testaceis, femoribus mediis interdum superne fuscescentibus, tibiis intus pallidioribus aut albidis; postici nigri, trochanteribus apice ferrugineis, tarsis tibiisque fuscis, his plerumque basi et apice subtus ferrugineis, rarius subtus totis castaneis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius; segmento 1 nigro, sublineari, canaliculato, parte antica latitudine fere duplo longiore, paulo latiore et paulo breviore quam petiolus; 2—5 plerumque aequilatis; 2 ut plurimum fusco, marginem versus pallidiore, rarius toto fusco aut ferrugineo aut rufo; 3 plerumque toto ferrugineo aut fulvo, rarius basin versus fuscescente aut toto fusco; 4 et 5 ferrugineorufis aut fulvis, rarius fuscescentibus; 6 et 7 nigris, 6 rarius nigroferrugineo aut rufo.

Multa cepi individua mensibus Maji et Iunii in gramine et frutetis circa *Scheidnich*, duo mense Maji in collibus *Gleichen*, haud procul a Gottin-

gam sitis; quaedam, circa *Hannoveram Norimbergam* et *Vindobonam* capta, transmissa mihi sunt.

Synonyma:

Ichn. senilis Gmel. ed. Linn. p. 2704, n. 321.

198. P. TENUIPES. n.

Segmentis 2—6 rufis; tibiis anterioribus, nec non latere interno femorum posticorum, testaceis. m.

Statura tota graciliore, praecipue autem capite thoraceque minoribus, antennis pedibusque gracilioribus, haec species discernitur a plurimis hujus familiae maribus.

Longitudo paulo infra aut ultra 3 lineas. *Caput* facie subgrisescente. *Antennae* porrectae aut apice curvatae, subsetaceae, graciles, corpore breviores. *Thorax* gibbus. *Scutellum* gibbulum. *Alae* subfumatohyalinae aut hyalinae, irideae, stigmate radio et squamula fuscis aut nigris, radice exalbida, areola quinqueangulari aut subquadrangulari. *Pedes* graciles; coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus vel nigris apice testaceo, vel rufis supra basin versus nigris, posticis vel nigris subtus piceotestaceis, vel fuscocastaneis basi et superne nigris; tibiis anterioribus rufis aut subtestaceis, posticis nigris; tarsis rufis, posticis nigris. *Abdomen* fusiforme, capite thorace-

que paululum longius et angustius; segmento 1 canaliculato, apicem versus sensim paulo dilatato, nigro, interdum macula apicali rufa; 2 — 6 rufis; 7 nigro.

Individua duo, circa *Warmbrunn* capta, *Mangero* debeo.

199. P. BINOTATUS. n.

Segmentis 1 — 4 fulvis, 2 punctis duobus nigris; pedibus fulvis, posticorum femoribus tibiisque apice fulvis; antennis fulvis. m.

Statura et proportio partium omnino speciei insequentis.

Longitudo 4 linearum. *Caput* palpis et mandibularum macula fulvis. *Antennae* fulvae. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice flava, squamula rufa; areola quinqueangulari. *Pedes* fulvi, unguibus nigris; anteriores coxis et trochanteribus flavis; postici femorum et tibiarum apice nigro. *Abdomen* fulvum; segmento 2 puncto laterali nigro; 5—7 totis nigris.

Unicum marem cepi die 1 Augusti, prope *Schleiwitz*, in agro in gramine.

200. P. PROCERUS. n.

Segmentis 2—4—5 rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris. m.

Longitudo 2½—5 linearum. *Antennae* setaceae, porrectae, corpore dimidio longiores. *Thorax* minoribus cylindricus, majoribus gibbulus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis aut nigris, radice pallideflava; areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles; anteriores rufi; coxis et trochanteribus nigris; postici coxis et trochanteribus nigris, femoribus rarius rufis geniculo solo nigro, plerumque ab apice ad medium usque, vel ultra medium, nigris, tibiis rufis apice nigro, tarsis fuscescentibus aut nigricantibus. *Abdomen* capite thoraceque angustius et paulo longius, segmentis 2—6 aequilatis; segmento 1 nigro, plerumque macula apicali castanea, parte antica parva, quadrata aut subtransversa, tuberculis lateralibus, prominentibus, ante apicem sitis; 2—4 rufis; 5 vel toto rufo, vel angulis aut macula dorsali aut apice nigro, saepe etiam toto nigro; reliquis nigris.

Multa cepi individua, mensibus Iulii et Augusti, circa *Helmstadium*, *Barterodam*, *Warmbrunn*, *Cudovam*, *Zobten*, in umbellatis et in gramine, quaedam etiam in frutetis et pinetis; nonnullaque accepi, circa *Sickershausen* *Norimbergam* *Vindobonam* *Genuam* et in *Etruria* capta.

Varietates:

1. *Femoribus anterioribus pro parte nigris; segmentis 2 et 4 interdum nigromaculatis.* m. — *Statura* et proportio partium, plurimis individuis, a specie genuina aliquantum discedunt, abdomine minus procero, plerumque petiolo paulo breviore et crassiore, parte antica segmenti primi convexiore et nitidiore, tuberculis lateralibus minus prominentibus; alia individua autem his notis ad speciem genuinam sensim transeunt. *Longitudo* 2⅓ — 3⅓ linearum, rarissime 5 linearum. *Antennae* interdum subtus ferrugineae, articulo 1 autem semper toto nigro. *Alae* ut in specie genuina, squamula rarissime ferruginea. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris, his rarissime rufis; femoribus anticis rarius totis rufis, plerumque supra basin versus fuscis, aut nigris apice rufo, mediis vel rufis superne nigris, vel nigris geniculo summaque basi rufis, posticis rarius totis nigris, plerumque summa basi, vel etiam geniculo, rufis, rarissime rufis, a medio ad apicem nigris; tibiis rufis, posticis plerumque apicem versus plus minus nigricantibus, interdum etiam mediis apice nigricante; tarsis rufis aut fuscescentibus, posticis interdum nigris. *Abdomen* segmento 1 interdum puncto apicali castaneo, parte antica plerumque laevi, subtilissime puncta, quadrata, convexiuscula; 2 rufo, interdum fascia aut macula dorsali fusconigra; 3 rufo; 4 rufo, interdum dorso fusco, rarius nigro basi rufa; reliquis nigris, 5 rarissime basi castanea.

Individua quaedam cepi mensibus Iulii et Augusti circa *Helmstadium* in umbellatis; inter quae unicum, magnitudine insigni, colore dilute rufo immaculato segmentorum 2—4, nec non segmenti quinti basi castanea, a reliquis omnibus distinctum; unum cepi die 12 Iulii in gramine prope *Scheidnich*; unum die 29. Augusti in summo cacumine (*Schneekoppe*) Sudetarum Silesiae; duo alia, circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* capta, mecum communicata sunt.

2. *Segmentis* 2—4 *fusco- aut nigro-maculatis.* — *Longitudo* 3 linearum. *Antennae* vel totae fuscoferrugineae vel subtus rufoferrugineae articulo 1 nigro. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis. *Pedes* rufi, coxis nigris, anticis subtus interdum subferrugineis; postici femorum et tibiarum apicibus nigris, tarsis nigricantibus. *Abdomen* segmentis 2—4 rufis, fascia fuscescente aut nigra; 5 margine rufo.

Unum specimen, die 30 Iulii, in luco prope *Ahdenstedt* cepi; alterum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mihi transmisit.

201. P. SECTATOR. n.

Abdomine rufo, petiolo anoque nigris; femoribus anterioribus tibiisque rufis; annulo antennarum albo. f.

A speciebus affinibus, v. c. duabus insequentibus, haec differt pedibus gracilioribus, aculeo longiore; a proxime sequente, ad quam hac ratione propius accedit, colore et longitudine antennarum, nec non colore pedum.

Longitudo 2¼ linearum. *Caput* mandibulis medio rufis. *Antennae* corpore dimidio paulo longiores, apice involutae, articulis 3 et 4 piceostramineis, 8—12 albis. *Thorax* cylindricus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula stramineopiceis; areola quinqueangulari subtriangulari. *Pedes* anteriores rufi, trochanteribus et coxis nigris; postici nigri, femorum summa basi summoque apice rufis, tibiis rufis apice nigricante. *Abdomen* thoracis longitudine et latitudine, ovatum, rufum; segmento 1 parte antica subquadrata, latiore et breviore quam petiolus nigricans; 6 et 7 nigricantibus. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine, niger, terebra rufa.

Unicam feminam *Richter* circa *Vratislaviam* cepit.

Phygadeuon cf. var.

202. P. ABDOMINATOR. n.

Abdomine rufo, petiolo nigro; tibiis rufis, posticis apicem versus nigricantibus; femoribus posticis totis, anterioribus pro parte, nigris. m. f. (Fem. annulo antennarum albo).

Hujus et sequentis speciei mares haud discernere possum; feminae proportione pedum et aculei differunt, huic enim pedes paulo graciliores et aculeus paulo longior sunt.

Longitudo 2—3½ linearum. *Caput* palpis interdum fuscis, rarius pallidioribus; medio mandibularum labroque interdum rufescentibus. *Antennae* feminae articulis 5—11, vel eorum plurimis, tribus lateribus albis; interdum 3—5, rarius etiam 1 et 2, fuscis subtus ferrugineis. *Thorax* metathorace subbispino. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, radio et stigmate nigris, rarius ferrugineis aut piceis, radice straminea, squamula fusca, feminae interdum rufa aut straminea; areola quinqueangulari, interdum subquadrangulari aut subtriangulari, sensim mutata. *Pedes* subsericei; trochanteribus et coxis nigris; femoribus anterioribus rufis aut ferrugineis, basin versus nigris, interdum fere totis nigricantibus, anticis maris interdum totis rufis, posticis semper nigris; tibiis rufis aut rufostramineis, posticis apice nigricante, rarius totis nigricantibus aut totis rufis; tarsis rufescentibus. *Abdomen* rufum, petiolo nigro, rarius toto primo segmento, nec non seg-

menti secundi macula dorsali, nigris. *Aculeus* longitudine abdominis dimidii aut trientis.

Mares nonnullos et feminas accepi, circa *Warmbrunn Vindobonam Norimbergam* et in *Regione Pedemontana* captos. Feminas quasdam ipse, mensibus Maji Iunii et Iulii, circa *Gottingam*, in floribus Crataegi oxyacanthae et in umbellatis, unamque circa *Vratislaviam*, cepi; unam quoque, prope *Genuam* captam, *a Spinola* mecum communicavit. Haec, tibiis posticis totis rufis, aculeo breviore, a reliquis differt; feminarumque duarum pedemontanarum alteri etiam tibiae totae rufae sunt.

Varietates:

1. *Abdominis apice nigro aut fusco.* m. f. — *Maris* individuum, circa *Sickershausen* captum, segmentis 3 et 4 badiis, sequentibus nigricantibus, alterum, *etruscum*, segmento 5 nigricante, 6 et 7 fuscis, a maribus genuinis differunt. — *Femina*, in *Regione Pedemontana* capta, haec est: *Longitudo* 3 linearum. *Antennae* paulo longiores quam in feminis genuinis, articulis 2 — 5 subtus ferrugineis, 8 — 12 tribus lateribus albis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radice testaceopiceis, radio et squamula fuscis, areola subtriangulari. *Pedes* paulo longiores quam in specie genuina; femoribus anterioribus apice rufo; tibiis rufis, posticis a medio ad apicem usque nigris; tarsis rufis, posticis fuscis. *Abdomen* segmento 1 paulo latiore quam in feminis genuinis, nigro, margine rufo;

2—5 rufis, 5 margine fusco; 6 et 7 nigricantibus. *Aculeus* fere dimidii abdominis longitudine.

2. *Femoribus fuscescentibus, orbitis oculorum frontalibus rufis.* f. — *Longitudo* 3 linearum. *Antennae* articulo 1 subtus rufo, 10—13 albis subtus puncto fuscescente. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate testaceo, radio fusco, radice stramineopicea, squamula vel tota rufa vel fusca apice ferrugineo; areola quinqueangulari aut subtriangulari. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris, anticis interdum fuscoferrugineis; femoribus anticis rufis, supra subfuscescentibus, mediis fuscobadiis, interne rufescentibus, posticis fuscis; tibiis et tarsis ut in specie genuina. *Abdomen* rufum, segmento 1 nigro. *Aculeus* abdominis dimidii aut trientis longitudine.

Feminae duae, circa *Warmbrunn* et *Trajectum ad Moenum* captae, mecum communicatae sunt.

fscuripes Tsch

3. *Femoribus omnibus nigris apice rufo.* f. — *Statura* et proportio partium feminae varietatis 1, segmento 1 autem angustiore. — *Longitudo* 3¼ linearum. *Antennae* articulis 8—13 tribus lateribus albis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate piceo, radio fusco, radice et squamula testaceis; areola quinqueangulari. *Pedes* nigri; anteriores tarsis tibiis et femorum apice rufis; postici tarsorum et femorum apice, nec non summa tibiarum

basi, rufescentibus. *Abdomen* rufum, segmento 1 nigro apice castaneo. *Aculeus* abdomine dimidio paulo brevior.

Unicam feminam cepi, mense Iulio, circa *Scheidnich.*

Nota:

Forsan *Ichn. semiannulatus* Villers p. 162, n. 85, et quidem varietas abdomine toto rufo, ad hanc vel ad sequentem speciem adhiberi posset; at Geoffroi Ichn. n. 47, p. 341, quem auctor ad suam speciem laudat, huc haud referri potest, nec *Ichn. semiannulatus* Schrankii, nec *Ichn. semiannulator* Olivieri et Walckenaerii, omnes magnitudine insignes.

203. P. PROFLIGATOR.

Abdomine rufo, petiolo nigro; tibiis femoribusque rufis. m. f. (*fem.* antennarum annulo albo, *mas* femorum posticorum apice nigro).

Statura et proportio partium sicut in *vagabundo* n. 205. Mares plurimi quidem pedibus crassioribus ab illa specie discerni possunt, sed individua minora, pedibus gracilioribus, sensim transeunt.

Longitudo maris $2\frac{1}{3}$—$3\frac{1}{3}$, feminae 2—$3\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* nonunquam palpis et mandibularum medio rufescentibus. *Antennae maris* porrectae, setaceae, corpore dimidio longiores, ple-

rumque totae nigrae, rarius subtus brunneae, rarissime totae brunneae; *feminae* filiformes, dimidii corporis longitudine, apice involutae; articulo 1 nigro; 2—6 nigris aut fuscis, rarius ferrugineis; 7—13, vel plurimis eorum, albis, subtus fulvoaut fusco-ferrugineis; sequentibus fusconigris. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae aut fumatohyalinae; stigmate ut plurimum ferrugineo, nonnunquam autem fusco aut piceo aut rufo aut testaceo, radio fusco aut ferrugineo, radice straminea, squamula nigra rarius ferruginea; areola quinqueangulari, rarissime autem regulari, plerumque subirregulari aut subtriangulari. *Pedes* validi breviusculi, tomento sericeo vestiti, rufi; coxis et trochanteribus nigris, coxis feminae rarissime obscuroferrugineis aut fuscotestaceis; femoribus posticis maris apice, rarius latere supero fere toto, nigris; tarsis posticis et tibiarum posticarum apice maris nigris. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine, rarius paulo brevius, thorace angustius; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine; rufum; segmento 1 laevi, lineis 2 elevatis interdum obsoletis, basi nigra, parte antica maris latitudine longiore, rarius subquadrata, subaequilata, breviore at fere duplo latiore quam petiolus, feminae latiore quam mari, apicem versus dilatata; 7 interdum nigricante. *Aculeus* longitudine tertiae aut quartae partis abdominis.

Mares et feminas, vere et aestate, passim in *Silesia* haud raro cepi, praecipue in umbellatis, sed etiam in gramine et frutetis; circa *Gottingam*

non nisi unum marem, mense Iulio in umbellatis, cepi. Praeterea mas et femina circa *Norimbergam*, duaeque feminae, circa *Jenam* et in *Volhynia* captae, mecum communicatae sunt.

Varietates:

1. *Femoribus posticis totis nigris.* m. — *Antennae* nigrae, interdum subtus basin versus ferrugineae. *Pedes* anteriores rufi, rarius fulvi, coxis et trochanteribus nigris, rarissime subtus stramineis, femoribus mediis nonnunquam externe subfuscescentibus; postici nigri, tibiis rufis apice nigro.

Pluria individua cepi, mensibus Iunii et Augusti, passim in *Silesia* et circa *Barterodam*, praecipue in umbellatis, sed etiam in gramine et salicetis; unum, circa *Norimbergam* captum, Sturm mihi transmisit.

2. *Pedibus posticis totis nigris.* m. Caeteris cum plurimis maribus genuinis convenit.

Unicum marem, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mihi transmisit.

3. *Femoribus posticis totis, anterioribus pro parte, nigris.* m. f. — *Femora* anteriora feminarum nigra, apicem versus plus minus rufa, antica rarius subtus ferruginea; marium antica vel tota rufa vel supra nigra, media nigra geniculo plerumque rufo, rarius rufa externe subfuscescentia aut fere tota rufa. *Tibiae* rufae, posticae marium

interdum apice nigro. — Caetera sicut in specie genuina.

Haec varietas, omnium varietatum apud nos vulgatissima, ubique, per totum ver et aestatem, in gramine et frutetis, praecipue autem in umbellatis, occurrit. Praeter catervas a me ipso in principatu *Gottingensi*, in ducatu *Brunsvicensi*, circa *Trajectum ad Viadrum* et in *Silesia* lectas, multa individua, circa *Hannoveram*, *Trajectum ad Moenum*, *Halam Saxonum*, *Norimbergam*, *Vindobonam*, *Genuam* et in *regione Pedemontana* capta, accepi.

4. *Femoribus anterioribus aut mediis supra nigris, pedibus posticis totis nigris.* m. — *Antennae* interdum subtus, excepto articulo 1, rufoferrugineae. — *Caetera* sicut in plurimis maribus genuinis.

Individuum unum mense Iunii circa *Brunsuigam* cepi idque antennis subtus ferrugineis, femoribus anticis supra nigris, a reliquis tribus, circa *Trajectum ad Moenum* et *Sickershausen* captis, distinctum.

5. *Pedibus testaceis, femoribus posticis nigris.* m. — *Longitudo* 2⅓ — fere 3 linearum. *Antennae* subtus articulis 1 — 4 fulvis. *Pedes* anteriores testacei, basi coxarum fusca; postici coxis fuscis apice plerumque testaceo, trochanteribus testaceis, femoribus nigris basi summa rufa, tibiis vel testaceis apice nigro vel fuscis basi summa fer-

ruginea, tarsis testaceis aut fuscescentibus. *Abdomen* thoracis longitudine. — Caetera sicut in maribus plurimis genuinis.

Individua duo cepi mense Iunii circa *Scheidnich*, in fruteto et in gramine; unum eodem mense in umbellatis prope *Barterodam*; quartum *halense* a *Germaro* accepi, idque pedum posticorum coxis tibiisque obscurioribus, abdomine thorace paulo longiore.

Synonyma feminae:

Ichn. Geoffroi p. 341, n. 46.
Ichn. profligator Fabr. Syst. 334, n. 39. — Ent. II, p. 153, n. 85 (antennis medio ferrugineis).
„ Gmel. ed. Linn. p. 2686, n. 118.
„ Razoumowsky p. 215, n. 250.
„ Rossi p. 63, n. 756.
„ Christ p. 353.
„ Olivier p. 178, n. 72.
„ Schrank Boic. p. 297, n. 2118.
„ Walckenaer p. 57, n. 40.
„ Gravenh. Uebers. n. 3775.
„ Thunb. Ichn. n. 89.
Ichn. abdominalis Fourcroy p. 409, n. 47 (haud cum *I. abdominali* Fabr. et auct. flavo, abdomine nigro, etc. confundendus).
Ichn. nigricornis Gmel. ed. Linn. p. 2719, n. 381 (haud *Ichn. nigricornis* Retzii et Fabr. cum Diplolepidibus conjunctus).
Cryptus profligator Fabr. Piez. p. 83, n. 52.

Nota:

Varietates descriptae sensim una in alteram transeunt; mares vix a maribus *vagabundi* n. 205 discerni possunt. Conferas insuper notam ad speciem antecedentem.

204. P. CNEMARGUS. n.

Abdomine rufo, petiolo nigro; pedum anteriorum femoribus tibiisque rufis, his externe albis. m.

Statura et proportio partium omnino maris praecedentis; an ejus varietas?

Longitudo 3 linearum. *Caput* palpis albidis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigrofuscis, radice straminea, areola quinqueangulari, subregulari. *Pedes* anteriores coxis et trochanteribus nigris, femoribus rufofulvis, mediis externe subfuscescentibus, tibiis fulvis externe albis, tarsis testaceis unguibus fuscis; postici nigri, tibiarum basi ferruginea. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice rufo; sequentibus rufis, 5—7 lateribus fuscis.

Marem unicum, circa *Trajectum ad Moenum* captum, *de Heyden* mecum communicavit.

X 205. P. VAGABUNDUS. n. ♀ cf. ♂

Abdomine rufo, petiolo nigro; tibiis femoribusque rufis. m. f. (*Fem.* antennis testaceis, articulis ultimis et primo nigris).

Statura et proportio partium sicut in *profligatore,* n. 203, pedibus maris vix paulo gracilioribus.

Longitudo maris 2½—3½, feminae 3—3¼ linearum. *Antennae* feminae articulis 3—10—13 rufis. *Thorax* maris interdum metathorace tuberculis duobus acutiusculis. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris aut fuscis, illis in mare rarius rufescentibus; radice straminea, feminae interdum picea; areola quinqueangulari, maribus nonnullis subtriangulari. *Pedes* maris subgraciles, feminae forsan paulo crassiores quam in C. profligatore, rufi; coxis et trochanteribus nigris; tibiis feminae externe subciliatis, posticis maris apice nigricante; tarsis maris vel omnibus, vel solis posterioribus, nigricantibus, *Abdomen* rufum, segmenti primi petiolo vel toto vel basi rufo. *Aculeus* longitudine ½ lineae, fuscus, terebra rufa.

Mares nonnullos cepi vere circa *Scheidnich,* mense Augusto in umbellatis circa *Cudovam,* mense Iunii circa *Brunsuigam;* quosdam e *Regione pedemontana,* cum nonnullis feminis, *Bonelli* mihi transmisit; insuper aliquot feminas, circa *Genuam Vindobonam* et *Niesky* captas, accepi.

Varietates:

1. *Pedum posticorum geniculis nigris.* m. — *Longitudo* 2⅔ linearum. *Alae* areola triangulari. *Pedes* postici tarsis nec non tibiarum et femorum apice summo nigris. — Caetera sicut in mare genuino.

Unicum marem cepi mense Augusto in umbellatis circa *Warmbrunn.*

2. *Antennis nigris, articulis 7—11 albis.* f. — *Longitudo* fere 3 linearum. *Alae* stigmate ferrugineo. — Caetera ut in femina genuina.

Semel capta mense Iunii, in fruteto prope *Scheidnich.*

Nota:

Individua mascula genuina sensim transeunt in mares *Ph. profligatoris*, n. 203, nec haesitarem ambas species conjungere, nisi feminae earum nimis differrent; sed femina varietatis 2, ratione antennarum et alarum, melius congruit cum *profligatore*, ratione pedum autem cum *vagabundo* genuino, medium itaque tenet inter ambas species. Mas varietatis 1, ratione coloris omnino *profligatori* respondet, solisque pedibus gracilioribus ab eo discerni potest. — Conferas quae ad profligatorem monui.

Leskei Ichneumon p. 65, n. 267, seu *Ichn. concoloris* Gmelini (ed. Linn. p. 2704, n. 322) var. *α*, huic speciei respondet. Sed Leskei Ichneumones n. 268 et 269, quos Gmelin cum suo

concolore conjunxit, species sunt diversae, nam Ichneum. 268 forsan est femina ad nostrum *Ph. diaphanum*, n. 206; Ichn. 269 autem, alis nigris distinctus, Bracon esse videtur.

Phygadeuon.

206. P. DIAPHANUS. n.

Segmentis 2—4, femoribus, tibiisque, rufis; harum posticis apice nigro. m.

A mare *fumatoris*, n. 179, hic differt statura tota crassiore, imprimis capite majore et abdomine latiore.

Longitudo $2\frac{2}{3}$—$3\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* crassiusculum, palpis nonnunquam piceostramineis. *Antennae* subsetaceae, porrectae, dimidio corpore longiores, articulo 1 interdum subtus fuscoferrugineo. *Thorax* gibbulus. *Alae* subhyalinae; stigmate radio et squamula nigris aut fuscis, hac interdum straminea, radice stramineoflava; areola quinqueangulari. *Pedes* subgraciles, rufi; trochanteribus et coxis nigris, anticis interdum subtus ferrugineis, rarius trochanteribus omnibus vel apice vel totis rufis; femoribus posticis interdum geniculo nigricante; tibiis posticis subsericantibus, basi apiceque, vel solo apice, nigricantibus aut nigris; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius; segmento primo nigro, parte antica foveolata, vix paulo latiore quam petiolus; 2—4 rufis, 4 inter-

dum margine aut lateribus nigris; 5 vel fusco vel nigro vel basi dorsi rufa; 6 et 7 nigris.

Quaedam individua mense Maji cepi circa *Gottingam* et mense Iunio in umbellatis circa *Barterodam;* unum mense Iulio circa *Helmstadium* in umbellatis, idque palpis pallidioribus, parte antica segmenti primi subfoveolata, a reliquis distinctum; alia quaedam accepi, circa *Niesky* et *Vindobonam* capta.

Nota:

Conferas quae sub specie antecedente monui.

207. P. VAGANS. n.

Segmentis 2—5, femoribus, tibiisque, rufis, harum posticis apice nigro. m. f.

Mas statura breviore atque crassiore, pedibus autem gracilioribus, a mare *profligatoris*, n. 203, differt. Femina statura et proportione partium *bitincti*, n. 108, sed aculeo breviore.

Longitudo 2 linearum. *Antennae* graciles filiformes curvatae. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice straminea; areola quinqueangulari, pyramidata, nervo exteriore interdum gracillimo. *Pedes* rufi; trochanteribus et coxis, nec non pedum posticorum tarsis et tibiarum apice, rarius etiam geniculis, nigris. *Abdomen* segmento 1 nigro, 2—5 rufis, 6 et 7

fuscis margine subalbido. *Aculeus* vix abdomine dimidio paulo brevior.

Par hujus speciei cepi mense Augusto in frutetis circa *Warmbrunn;* alteram feminam, circa *Genuam* captam, *a Spinola* mihi transmisit.

Varietas:

1. *Femoribus nigris.* f. — *Pedes* nigri; femoribus anterioribus apice rufis; tibiis anterioribus ferrugineis, externe fuscis, posticis castaneis apice nigro; tarsis ferrugineis, posticis fuscis. — Caetera ut in femina genuina.

Unicum individuum *lusitanicum* e museo *Comitis de Hoffmannsegg* descripsi.

An hujus speciei?

208. P. PLAGIATOR. n.

Metathorace bispino; abdomine rufo, petiolo nigro; pedibus rufis, femoribus posticis maximam partem nigris; antennarum basi rufa.

Statura et proportio partium omnino *Ph. brevis*, n. 212.

Longitudo 1¾ — fere 3 linearum. *Antennae* corporis dimidii longitudine, incurvae; articulo 1 rufo, interdum supra nigricante; 2—9—10 diluterufis, sensim pallidioribus; reliquis fuscis. *Thorax* cylindricus, metathorace bispino aut subbispino. *Alae* subangustae, fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula

rufa aut picea; areola quinqueangulari. *Pedes* rufi; postici femoribus nigris, basi, plerumque apice, rufis, tibiis apice nigricante. *Abdomen* rufum, petiolo nigro. *Aculeus* abdominis dimidii aut trientis longitudine.

Individuum unum cepi circa *Gottingam*, alterum *Manger* circa *Warmbrunn* cepit; quaedam alia, *pedemontana*, *Bonelli* transmisit.

Varietas:

Femoribus posticis rufis, segmento primo toto nigro. f. — *Longitudo* $2\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* palpis stramineis. *Antennae* articulis 2—6 rufis. *Alae* stigmate nigro, radio et squamula fuscis, radice straminea. *Pedes* rufi; postici coxarum basi, nec non femorum et tibiarum apice summo, nigris, tarsis fuscis. *Abdomen* rufum, segmento primo toto nigro. *Aculeus* abdominis trientis longitudine.

Unicam hujus varietatis feminam *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Phygadeuon,

209. P. GRAVIPES. n.

Segmentis 1—4 pedibusque rufis; antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium omnino speciei antecedentis. A speciminibus quibusdam *Crypt. improbi*, n. 169, feminae (segmentis 1—4 pedibusque fere totis rufis, antennis tricoloribus) haec species pedibus crassioribus differt.

Longitudo 2⅓ linearum. *Caput* ore fulvo. *Antennae* articulis 1—6 rufofulvis, 7—11 albis puncto fusco, sequentibus nigris. *Thorax* metathorace tuberculis duobus acutiusculis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio piceis, radice straminea, squamula fuscoferruginea; areola quinqueangulari. *Pedes* toti rufi. *Abdomen* segmentis 1—4 rufis, 4 margine fuscescente, reliquis nigris. *Aculeus* abdominis trientis longitudine.

Unicam feminam cepi circa *Vratislaviam.*

210. P. ERYTHROGASTER. n.

Abdomine rufo, petiolo nigro; tibiis, nec non femorum anteriorum apice, rufis; antennarum articulis 2—10 ferrugineis. f.

Statura et proportio partium omnino *Ph. brevis*, n. 212.

Longitudo paulo infra paulove ultra 2 lineas. *Antennae* articulis 2—10 rufoferrugineis. *Alae* fumatohyalinae aut subhyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice straminea, squamula nigra, areola quinqueangulari. *Pedes* nigri; femoribus anterioribus apice rufescente, anticis interdum latere interno toto rufescente; tibiis rufis, anticis, individuo majori, apice fuscis; tarsis rufis, posticis fuscis. *Abdomen* rufum aut testaceorufum; segmento 1 vel rufo, petiolo nigro, vel nigro, margine rufo; ultimis individui majoris subfuscescentibus. *Aculeus* fere abdominis dimidii longitudine.

Unam cepi feminam, mense Augusto, in umbellatis circa *Cudovam;* duas *pedemontanas* misit *Bonelli.*

Varietas:

1. *Tibiis posticis totis nigris.* f. — *Antennae* ferrugineae; articulis 1 et 2 nigris, 12 et sequentibus supra fuscis. *Pedes* nigri; antici tarsis tibiis et geniculis rufis; medii tarsis nec non femorum tibiarumque summo apice rufis; postici tarsis ferrugineis. — Caetera sicut in specie genuina.

Hanc varietatem *Dahl* cepit circa *Vindobonam.*

211. P. EXCELSUS. n.

Segmentis 2 et 3, nec non basi quarti, tibiis et femorum apice, rufis; antennis medio ferrugineis. f.

Statura et proportio partium speciei antecedentis, sed aculeo et antennis longioribus, metathorace mutico.

Longitudo 2 linearum. *Antennae* dimidio corpore vix paulo longiores, ferrugineae, basin et apicem versus nigrae. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice albida, squamula nigra; areola quinqueangulari, nervo exteriore tenui. *Pedes* nigri; tarsis tibiis et femorum apice rufis. *Abdomen* ovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmentis 2 et 3, nec

non basi summa quarti, rufocastaneis; 7 membrana albida obsoleta. *Aculeus* fere abdominis longitudine.

Individuum unicum mense Octobri anni 1814 prope *Vratislaviam* cepi.

212. P. BREVIS. n.

Metathorace bispino; abdomine rufo, petiolo nigro; femoribus rufis, posticis supra fuscis aut nigris; tibiis rufis, posticis apice nigro; antennis subtricoloribus. f.

Statura et proportio partium omnino *abdominatoris*, n. 202, feminae, sed metathoracis tuberculis 2 acutioribus. A *profligatoris*, n. 203, femina haec differt pedibus paulo gracilioribus, aculeo paulo longiore, metathorace bispino.

Longitudo 2—2½ linearum. *Caput* crassiusculum, palpis pallidepiceis, mandibulis medio rufis. *Antennae* filiformes, submoniliformes, corpore dimidio paulo breviores, curvatae aut involutae, nigrofuscae, supra articulis 7—10 sordidealbidis, subtus articulis 3—10 ferrugineis. *Thorax* gibbulocylindricus, metathorace bispino aut subbispino. *Alae* subhyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, hac nonnunquam nigra, stigmate interdum rufo, radice straminea, areola quinqueangulari. *Pedes* mediocres, obsolete sericei, rufi; coxis et trochanteribus nigris aut fuscocastaneis; femoribus anterioribus plerumque supra fusces-

centibus, posticis nigris aut fuscis, interne rufescentibus aut badiis; tibiis posticis apice fuscis; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* thoracis longitudine et latitudine, vel paulo longius pauloque angustius, ovatum, depressiusculum, rufum; segmento 1 petiolo vel toto vel basi nigro, lineis 2 elevatis, parte antica transversa aut subquadrata, plus duplo latiore at paulo breviore quam petiolus. *Aculeus* abdomine dimidio paululum brevior.

Individua quaedam, circa *Gottingam Warmbrunn* et *Norimbergam* capta, accepi.

Varietates:

1. *Femoribus posticis totis nigris.* f. — Caetera sicut in femina genuina.

Feminam, circa *Norimbergam* captam, *Sturm* mecum communicavit.

2. *Femoribus omnibus totis rufis.* f. — *Pedes* rufi; coxis et trochanteribus nigris, subtus ferrugineis; tibiis posticis externe apicem versus nigricantibus; tarsis posticis fuscis. — Caetera ut in femina genuina.

Unum individuum, circa *Aboam* captum, *Sahlbergio* debeo.

3. *Femoribus rufis; antennis ferrugineis, basi apiceque nigris.* f. — *Antennae* articulis 1 et 2 nigris, 2 subtus ferrugineo; 3—10 ferrugineis subtus rufis; sequentibus nigrofuscis, subtus fus-

coferrugineis. *Pedes* sicut in varietate 2, femoribus posticis attamen supra, apicem versus, subnigricantibus. — Caetera sicut in femina genuina.

Unum individuum *Sahlberg* e *Fennia* transmisit.

Nota:

Varietas tertia, ob colorem antennarum, medium tenet inter hanc speciem et *Ph. erythrogastrum*. n. 210.

213. P. DESERTOR. n.

Abdomine rufo, petiolo nigro; femoribus rufis, anterioribus superne fuscis; tibiis anterioribus rufis; annulo antennarum albo. f.

Statura et proportio partium *Ph. abdominatoris*, n. 202, feminae; antennis pedibusque paulo longioribus.

Longitudo fere 4 linearum. *Antennae* dimidio corpore paulo longiores; articulis 9—12 albis, subtus puncto fusco; sequentibus fuscoferrugineis. *Thorax* metathorace bituberculato. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice picea, squamula nigra, areola quinqueangulari subpyramidata. *Pedes* mediocres; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, femoribus supra nigricantibus, tarsis mediis subfuscescentibus; postici subelongati, nigri; femoribus et summa

tibiarum basi rufis. *Abdomen* rufum, petiolo nigro. *Aculeus* abdomine dimidio vix paulo brevior.

Feminam unicam *austriacam Dahl* mecum communicavit.

Phygadeuon.

214. P. PARVIVENTRIS. n.

Abdomine femoribusque rufis, horum posticis apice nigro; tibiis anterioribus rufis, posticis nigris, omnibus autem extra albis. m. f. (*fem.* antennarum annulo albo).

Longitudo maris 4, feminae 3 linearum. *Caput* palpis fuscis. *Antennae maris* setaceae porrectae, dimidio corpore paulo longiores, fuscoferrugineae, subtus dilutiores, articulo 1 toto nigro, *feminae* filiformes, involutae, vix corporis dimidii longitudine, articulis 6—11 albis. *Thorax* gibbulocylindricus, spinis duabus brevibus obtusis metathoracis. *Alae* hyalinae aut subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice picea; areola quinqueangulari subirregulari. *Pedes* mediocres; coxis et trochanteribus nigris; femoribus feminae castaneis apice nigro, maris rufis, posticis aut posterioribus summo apice nigro; tibiis anterioribus interne ferrugineis aut fuscoferrugineis, externe albis apice summo ferrugineofuscescente, posticis nigris, externe medio albis; tarsis obscuroferrugineis, posticis nigricantibus. *Abdomen* rufum aut badium, capite thoraceque brevius et angustius, maris subfusiforme, feminae subova-

tum et brevius quam mari; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, parte antica paulo breviore quam petiolus, vel latitudine longitudinis vel, in femina, paulo latiore. *Aculeus* fere dimidii abdominis longitudine.

Mares duos *Roentgen* cepit circa *Niesky*; feminas duas, circa *Sickershausen* captas, *Nees ab Esenbeck* transmisit.

Nota:

Quaeritur numne mares et feminae, sub hac specie conjuncti, in duas species secernendi sint, cum feminae, parvitate totius corporis, praecipue autem capite pro proportione multo minore, a maribus valde differant.

215. P. VARIPES. n.

Abdomine rufo, petiolo nigro; femoribus tibiisque anterioribus rufis, his medio albis; tibiis posticis antennisque tricoloribus. f.

Longitudo paulo ultra vel paulo infra 2 lineas. *Antennae* filiformes, corpore dimidio longiores, involutae; articulis 1—5 ferrugineis, supra fuscescentibus, 6—10 albidis, reliquis nigris. *Thorax* gibbulocylindricus, metathorace tuberculis 2 subacutis. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula stramineopicea aut fusca; areola quinqueangulari. *Pedes* antici rufofulvi, tibiis ante basin albentibus, coxis, interdum quoque latere convexo femorum,

nigris; medii ut antici, sed femorum latere convexo basi semper nigro; postici coxis et femoribus nigris, trochanteribus vel totis vel apice rufis, tibiis basi albida medio rufo apice fuscescente, tarsis subfuscescentibus; unguibus omnibus nigris. *Abdomen* ovatum, thoracis longitudine et latitudine, rufum; segmento 1 laevi, sicut in specie antecedente formato, petiolo nigro. *Aculeus* fuscus, abdominis dimidii longitudine.

Unam feminam *Roentgen* cepit circa *Niesky*, alteram *Manger* circa *Warmbrunn*.

216. P. BASIZONUS. n.

Abdominis medio rufo; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro, tibiis posticis basi alba, antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium feminarum duarum antecedentium; a *parviventri* autem haec differt antennis paulo gracilioribus, a *varipede* cellula cubitali intermedia minus regulari, ab ambabus spinis metathoracis obtusioribus aut nullis.

Longitudo 2½—3 linearum. *Antennae* articulis 1, 2 et 6 fuscis, subtus rufoferrugineis; 3—5 totis rufis aut rufoferrugineis; 7—11 aut 8—11 albis, subtus fuscis; reliquis totis fuscis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice albida, squamula fusca aut ferruginea; areola quinqueangulari. *Pedes* rufi; coxis nigris, subtus castaneis, posticis interdum fere totis castaneis; trochanteribus posticis rufis, anterioribus nigris

aut fuscis, subtus interdum rufis; femoribus posticis apice nigro; tibiis posticis apice nigro basi summa alba; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* segmento 1 vel nigro margine rufo, vel rufo petiolo nigro; 2 et 3 rufis; sequentibus interdum totis nigris, plerumque 4 basi rufa; 7 membrana apicali alba. *Aculeus* abdomine dimidio paulo brevior.

Individuum 1 prope *Sickershausen* captum, duo *fennica*, eaque minora, segmento primo rufo petiolo nigro, accepi.

Varietas:

1. *Abdomine nigro, segmento 2 badio.* f. — *Corpus* totum crassius est et segmentum 1 latius quam in specie genuina. — *Longitudo* 3½ linearum. *Antennae* articulo 1 nigro, subtus badio; 2 et 3 fuscis, subtus ferrugineis; 4—7 fuscis; 8—11 albis, puncto fusco; reliquis fuscis. *Alae* sicut in femina genuina, radice autem pallidepicea. *Pedes* rufi; coxis nigris, posticis macula castanea; trochanteribus nigris, posticis subtus rufis; femoribus anticis supra, posticis apice, nigris; tibiis posticis castaneobadiis, apice nigro, basi alba; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* segmento 1 badio, petiolo nigro; 2 badio; sequentibus nigris, 3 basi badia, 7 membrana apicali piceotestacea. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine.

Unicam feminam *Richter* e *Sudetis Silesiae* retulit.

FAMILIA IV,

seu subgenus:

MESOSTENUS

a μέσος, medius, et στενος, angustus — ob areolam perangustam.

Abdomine petiolato, feminis oblongo, maribus angustiore, segmenti primi petiolo paulo longiore quam pars antica; areola quadrata minuta. (Aculeo longo aut mediocri).

Caput breve transversum, collum versus angustius. — *Oculi* prominentes ovales, rarius suborbiculato-ovales. — *Antennae* feminis graciliores et longiores, apice curvatae; maribus breviores porrectae. — De antennis et *partibus oris* consule notam ad M. gladiatorem. — *Thorax* gibbus, minoribus subcylindricus. — *Scutellum* convexum aut convexiusculum, triangulare, apice plus minus obtuso. — *Alae* mediocres; areola quadrata minuta, nonnullis tamen majore. — *Pedes* plurimis elongati graciles, quibusdam mediocres. — *Abdomen* laeve nitidum convexum; feminis oblongo-ovatum seu oblongum, thorace paulo angustius et longius; maribus longius et angustius quam feminis. Segmentum primum subcurvatum aut subrectum; petiolo canaliculato, paulo longiore quam pars antica; hac feminis latiore, maribus nonnunquam vix sublatiore quam petiolus. — *Aculeus* plerumque abdomine dimidio longior, rarius brevior, rarissime corpore toto longior (*M. gladiatori*).

De nexu inter Mesostenos et *Cryptos* conferre velis quae ad hos attuli. — *Mes. compressicornis*, antennis apicem versus compressis, *Baryceroti* respondet, quippe qui, si areolam haberet, Mesostenis adnumerari deberet, cum, nervo cellulam exteriorem et interiorem sejungente perbrevi, areola perparva gauderet.

217. M. TRANSFUGA. n.

Abdomine rufo, apice nigro; femoribus rufis, anterioribus basin versus nigris; tibiis anterioribus rufis; scutelli margine laterali albo. m. f. (*Mas* annulo tarsorum posticorum albo; *femina* antennarum annulo albo).

Longitudo maris $2\frac{3}{4}$, feminae $2\frac{1}{3}$ — 3 linearum. *Caput* orbitis oculorum in vertice albidis tenuissimis, in femina ut plurimum obsoletis. *Antennae maris* subfiliformes porrectae, corpore paulo breviores; *feminae* breviores quam mari, apice incurvae, articulis 9 — 11 tribus lateribus albis. *Thorax* gibbulus aut subcylindricus, vel totus niger, vel puncto infra alas et lineola ante angulos singulos scutelli minutis, interdum quoque punctis duobus ante collum, albis; feminae plerumque totus niger, rarissime metathoracis dorso badio. *Scutellum* marginibus lateralibus albis, interdum obsoletis. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula fusconigris, radice fusca aut picea. *Pedes* graciles, rufi aut testaceorufi, coxis et trochanteribus nigris; femoribus anterioribus basin versus nigris, posticis apice summo nigricante; tibiis posticis nigris, feminae plerumque fuscis, interne castaneis aut rufis; tarsis posticis nigris, mari articulis 3 et 4 albis. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, dimidii thoracis latitudine, elongatofusiforme, nitidum; seg-

mento 1 sublineari, laevi, parte antica paululum latiore et breviore quam petiolus, latitudine longiore, interdum toto fusco, plerumque rufo petiolo fusco; 2 et 3 rufis aut fulvis, 3 interdum apice nigro; reliquis nigris; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine vel paulo angustius; segmento 1 paulo latiore quam in mare, rufo, petiolo fusco; 2 et 3 rufis aut fulvis; sequentibus nigris, 4 interdum basi rufa. *Aculeus* vix abdominis longitudine, fuscus, terebra rufa.

Quosdam mares et feminas, circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* captos, accepi; feminam *genuensem a Spinola* transmisit mihi. Feminam, dorso metathoracis badio, *Richter* cepit in *Sudetis Silesiae.*

Varietates:

1. *Femoribus omnibus basi nigris, tibiis anterioribus externe fuscescentibus.* f. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* totum nigrum. *Thorax* lineolis duabus ante collum, unaque ante singulos scutelli angulos, albis. *Pedes* nigri; femoribus posticis interne apicem versus, mediis apice toto, rufis, anticis rufofulvis basi nigra; tibiis anterioribus rufis, extra fuscis; tarsis anterioribus fuscescentibus. *Abdomen* segmento 1 rufo, petiolo nigro; 2 et 3 rufis; sequentibus nigris, margine castaneo. — Caetera sicut in femina genuina.

Unicum individuum, circa *Genuam* captum, *a Spinola* mecum communicavit.

2. *Femoribus anterioribus totis rufis, tarsis posticis totis fuscis.* m. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis tenuissimis, nec non parte externarum, albis. *Thorax* lineola ante alas, altera infra alas, tertia ante singulum scutelli angulum, albis. *Scutellum* et *alae* sicut in mare genuino. *Pedes* anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici nigri, femoribus rufis geniculo nigro. *Abdomen* segmento 1 apice castaneo; 2 et 3 castaneorufis, dorso fuscescente.

Marem unicum *germanicum* nescio unde accepi.

3. *Segmentis intermediis rufis, nigromaculatis.* m. — *Longitudo* 2⅓ — 3 linearum. *Femora* postica summo apice, rarius etiam basin versus, nigricantia. *Tibiae* anteriores interdum externe fuscescentes, posticae saepius fere totae nigrae. *Tarsi* postici interdum toti fusci aut nigri. *Abdomen* segmento 1 nigro aut fusco, apice plerumque subtestaceo aut rufo; 2 et 3 rufis, dorso nigromaculato aut fere toto nigro; reliquis nigris. — Caetera ut in mare genuino.

Quosdam mares, circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* captos, accepi; unum, eumque unicum puncto infra alas lineolisque ante scutellum albis deficientibus, a *Sanvitale* ex *Etruria* mihi transmisit.

4. *Scutello toto nigro.* m. f. (Mas *tarsis posticis totis fuscis*). — *Longitudo* maris 3¼,

feminae 3 linearum, vel paulo minor. *Caput* maris palpis, macula mandibularum et orbitis oculorum internis, albis. *Thorax* lineola ante singulum scutelli angulum, rarius quoque in femina punctis duobus ante collum, albis. *Alae* squamula nigra aut fusca puncto albo. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris, horum anterioribus maris subtus macula alba; femoribus maris rufis basi summa nigricante, feminae anticis testaceofulvis, basin versus nigris, mediis vel sicut antica vel nigris apice rufo, posticis vel totis nigris, vel apice rufo, vel rufis basi nigra; tibiis anterioribus maris rufis, feminae testaceis externe fuscescentibus, posticis nigris aut fuscis, feminae nonnunquam intra ferrugineis; tarsis anterioribus maris rufis, feminae fuscescentibus, posticis fuscis. *Abdomen* segmento 1 rufo, petiolo nigro; 2 et 3 rufis; sequentibus nigris, 4 maris basi nigra. — Caetera ut in specie genuina.

Marem unicum *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen* cepit. Feminas nonnullas, in *Regione Pedemontana* et *Genuensi* captas, *Bonelli* et *a Spinola* mihi transmiserunt.

Nota:

Femina hujus speciei eadem est, quam in Uebers. n. 3779, sub nomine *Bassi irrigatoris* Fabr. receperam, qui autem huc haud adhiberi potest. — Forsan autem *Ichn. incubitor* Linn. in Actis Suec. 1736 p. 125, n. 7, et Christ t. 36 fig. 5 (tibiis tarsisque posticis rufis a nostri transfugae

femina diversus) hic redigi posset. Conferas quae sub *Ichneumone incubitore*, n. 265, monui, nec non notam ad speciem insequentem.

218. M. ALBINOTATUS. n.

Abdomine rufo, apice nigro; tibiis anterioribus femoribusque rufis; punctis duobus minutis albis ante scutellum. m. f. (*Mas* annulo albo tarsorum posticorum; *fem.* annulo albo antennarum.)

Statura et proportio partium speciei antecedentis, a qua haec sola magnitudine et scutello toto nigro (quod vero etiam in varietate 4 antecedentis totum nigrum est) differt. Forsan ambae in unam speciem conjungendae sunt.

Longitudo maris 4—4½, feminae 4—5 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis exalbidis maris distinctis, feminae obsoletissimis. *Antennae* feminae articulis 9—11 supra albis. *Thorax* puncto aut lineola tenuissima ante singulum scutelli angulum, praetereaque in femina puncto minutissimo infra alas, albis. *Alae* subfumato-hyalinae; stigmate radio radice et squamula fuscis. *Pedes* coxis et trochanteribus nigris; femoribus rufis, feminae nonnunquam basi nigris, posticis feminae rarius subtus nigris; tibiis anterioribus rufis, posticis fuscis aut nigris; tarsis anterioribus maris rufis, feminae fuscescentibus, posticis fuscis aut nigricantibus, maris articulis 3 et 4 albis. *Abdomen* segmento 1 rufo, petiolo nigro; 2 et 3

rufis, 3 interdum margine nigro; sequentibus nigris, 6 et 7 feminae macula marginali lactea, interdum obsoleta. *Aculeus* fere abdominis longitudine.

Individua duo mascula, circa *Sickershausen* et in *Volhynia* capta, mecum communicata sunt. — Feminas duas *ab Esenbeck* cepit circa *Sickershausen*, mense Iulio, in frutetis; quaedam aliae, circa *Hannoveram* et *Vindobonam* captae, mihi transmissae sunt.

219. M. GRAMMICUS. n.

Abdomine, tibiis anterioribus, femoribusque, rufis; scutelli margine laterali, lineolis duabus ante scutellum, annuloque antennarum, albis. f.

Statura et proportio partium omnino feminae antecedentis.

Longitudo $3\frac{1}{3}$—5 linearum. *Caput* plerumque orbitis oculorum frontalibus et vestigio externarum albis. *Antennae* articulis 8—11 aut 9—11 tribus lateribus albis. *Thorax* colli margine supero, lineola ante singulos scutelli angulos, plerumque lineola ante alas et puncto infra alas, albis. *Scutellum* margine laterali tenui albo, interdum subobsoleto. *Alae* fumatohyalinae; stigmate radio et squamula nigris aut fuscis; hac interdum puncto albo, radice picea; areola parva, interdum subtransversa. *Pedes* rufi aut rufofulvi, coxis et trochanteribus nigris; postici plerumque

tarsis et tibiis fusconigris. *Abdomen* rufum, petiolo plerumque nigricante. *Aculeus* abdomine vel paululum longior vel paululum brevior.

Feminam unam *austriacam*, lineis duabus albis ante alas deficientibus, alteram, *etruscam*, eamque omnium maximam, tertiam, *pedemontanam*, omnium minimam, tibiis tarsisque posticis totis rufis, accepi; quartam, *lusitanicam*, in museo *Comitis de Hoffmannsegg* examinavi.

220. M. PYGOSTOLUS. n.

Abdomine rufo, apice nigro, segmentis ultimis albomarginatis; femoribus rufis, posticis apice nigro; tibiis anticis rufis; scutelli apice, nec non annulo antennarum et tarsorum posticorum, albidis. f.

Statura et proportio partium omnino *ligatoris*, n. 222, feminae.

Longitudo 3¼ — 3½ linearum. *Caput* interdum orbitis oculorum frontalibus albis. *Antennae* articulis 9 — 12 aut 10 — 12 tribus lateribus albis. *Thorax* tuberculis duobus subacutiusculis metathoracis, interdum puncto albo infra singulum tuberculum. *Scutellum* apice albo. *Alae* nube fuscohyalina discoidali; stigmate radio et squamula fuscis aut nigris, radice picea aut fusca. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; medii tarsis, ut plurimum quoque tibiis, subfuscescentibus, femoribus nonnunquam extra nigri-

cantibus; postici trochanterum apice rufo, femorum geniculis, praecipue externe, nigris, tibiis nigris, macula albidoferruginea aut albida ante basin, tarsis nigris aut fuscis, plerumque articulo secundo et tertii basi albis aut exalbidis. *Abdomen* segmento 1 badio aut rufo, petiolo toto aut ejus lateribus nigris; 2 et 3 badiis; sequentibus nigris, 6 et 7 albomarginatis, margine interdum obsoleto. *Aculeus* abdomine dimidio paulo brevior.

Unam feminam cepi die 1 Iunii in frutetis prope *Scheidnich;* altera, circa *Warmbrunn* capta, eaque tarsis posticis totis nigris, tertia, *austriaca*, punctis duobus albis metathoracis, quarta, e *Regione pedemontana*, nubecula alarum obsoletiore, mecum communicatae sunt.

221. M. NIVEATUS. n.

Abdomine rufo, apice nigro, segmentis ultimis albomarginatis; femoribus rufis; tibiis anterioribus fuscotestaceis basi albida, posticis nigris basi alba; annulo tarsorum posticorum, macula faciali et articulo 1 antennarum subtus, albis. m.

Longitudo 3 linearum. *Caput* palpis, nec non medio clypei et mandibularum, maculaque cordata faciei, albis. *Antennae* subfiliformes, corporis longitudine, articulo 1 subtus albo. *Thorax* gibbus pubescens. *Alae* mediocres, hyalinae;

stigmate radio et squamula nigris, radice picea; areola mediocri, quadrata, nervo exteriore subtiliore. *Pedes* graciles, rufi, coxis et trochanteribus nigris; anteriores tarsis et tibiis testaceofuscescentibus, his basi albida; postici tarsis et tibiis nigris, illis articulis 2—4, his annulo ante basin, albis. *Abdomen* thoracis longitudine, eo autem angustius, oblongoovatum; segmento 1 latitudine duplo longiore, apicem versus sensim dilatato, rufo, petioli lateribus fuscis, parte antica latitudine longitudinis; 2—3 rufis; sequentibus nigris, margine albo.

Unicum individuum, circa *Sickershausen* captum, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit.

Nota:

Hunc marem, nisi scutellum ei esset totum nigrum, pro mare feminae antecedentis habere possem.

222. M. LIGATOR. n.

Abdomine rufo, apice nigro; tibiis anterioribus femoribusque rufis; tarsorum posticorum annulo et segmentorum ultimorum margine albis. m. f. (*Mas* femoribus posticis nigromaculatis; *femina* antennarum annulo albo).

Longitudo 5½—6⅓ linearum. *Caput* feminae totum nigrum; maris orbitis oculorum internis, nonnunquam subobsoletis, macula mandi-

bularum, interdum quoque macula clypei, albis. *Antennae* maris porrectae setaceae, corporis longitudine, totae nigrae; feminae paulo breviores, articulis 9 — 12 aut 10 — 12 supra albis. *Thorax* gibbocylindricus; metathorace scabro, tuberculis duobus obtusis. *Alae* fumatohyalinae; stigmate radio radice et squamula fuscis aut nigris; areola quadrata, parva aut mediocri. *Pedes* longi, rufi, trochanteribus et coxis nigris; postici femoribus maris plerumque uno latere vel toto vel basin versus nigro, altero castaneo, rarius fere totis nigris aut castaneis, tibiis nigris, tarsis fuscis, articulis 2 et 3, vel etiam 4, feminae ferrugineoalbis aut ferrugineofuscis, maris albis basi articuli 2 fusca aut fuscescente. *Abdomen maris* capite thoraceque paulo longius et angustius, oblongoovatum; segmento 1 planiore quam in femina, parte antica subquadrata, paulo breviore quam petiolus, eo autem duplo latiore, tuberculis lateralibus ut plurimum subacutis prominulis, rarius fere toto nigro, plerisque rufo, petiolo et margine nigris; 2 et 3 castaneis, dorso plerumque obscuriore; 4 vel toto nigro, vel castaneo margine nigro; reliquis nigris, margine subferrugineo aut albo; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 sicut in maribus formato, rufo aut castaneo, basi petioli nigra; 2 — 5 rufis aut castaneis, 5 plerumque margine nigro; reliquis nigris, interdum latera versus albomarginatis. *Aculeus* abdomine dimidio paulo longior, niger.

Mares et feminae, circa *Norimbergam Vindobonam* et *Genuam* capti, pluresque feminae, in *Silesia*, nec non circa *Niesky* et *Hannoveram*, lectae, mihi transmissi sunt. Ipse cepi unam feminam, mense Iunio in frutetis horti *Barterodae*. In sylvis elatioribus circa *Bautzen* et *Warmbrunn*, mense Iunio, *ab Uechtritz* quasdam feminas in umbellatis legit. Mares quosdam *de Block Dresdae* educavit e larvis Bombycis neustriae.

Varietates:

1. *Tarsis posticis totis fuscis.* f. — Caetera cum plurimis feminis genuinis conveniunt.

Hanc feminam, cum nonnullis genuinis, *Richter* circa *Vratislaviam* cepit.

Nota:

Duos hujus speciei mares in museo Comitis de Hoffmannsegg sub nomine *ligatoris* asservabantur. — Quaeritur autem num *Bassus zonator* Fabr. Piez. p. 97, n. 14 (ubi autem coloris nigri tibiarum tarsorumque posticorum nulla mentio facta est) ad hanc speciem adhibenda sit; sed *Ichn. zonator* Thunb. Ichn. n. 88 differt.

223. M. OBNOXIUS. n.

Abdominis medio, tibiis anterioribus et femorum anteriorum apice, rufis. m. f. (*Mas* annulo tarsorum posticorum albo; *fem.* antennarum annulo albo).

Longitudo 4 linearum. *Antennae feminae* corporis longitudine, subgraciles, apicem versus curvatae, articulis 10 — 12 tribus lateribus albis; *maris* paulo crassiores, articulis 1 — 18 nigris (reliquis deficientibus). *Thorax* gibbulocylindricus, punctus, metathoracis tuberculis 2 acutiusculis. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula nigris, areola mediocri. *Pedes* graciles elongati; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis fuscescentibus, femoribus anticis basi nigra, mediis feminae nigris apice rufo, maris rufis basi nigra; postici nigri, tarsis fuscis, articulis 2 — 4 mari albis. *Abdomen maris* capitis et thoracis longitudine, thorace angustius, fusiforme, *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore, nigro, margine rufo; 2—4 rufis; 5 nigro, basi rufa; reliquis nigris. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine.

Marem *ab Uechtritz* in *Silesia* cepit; feminam *austriacam Dahl* mecum communicavit.

224. M. NOTATUS. n.

Segmentis 1 et 2, nec non parte tertii, rufis; tibiis anterioribus et femorum anteriorum apice testaceorufis. m. f. (*Mas* facie et macula coxarum anteriorum albis; *fem.* antennarum annulo et orbitis oculorum frontalibus albis).

Statura et proportio partium feminae omnino *grammici*, n. 219.

Longitudo 5 linearum. *Caput maris* facie oreque albis, mandibularum basi et apice nigris; *feminae* orbitis oculorum frontalibus solis albis. *Antennae maris* porrectae setaceae, fere corporis longitudine (apice deficiente); *feminae* paulo breviores; apice curvae, articulis 9—11 tribus lateribus albis. *Thorax* gibbulus. *Alae* subbreviusculae, subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice fusca aut picea, squamula maris exalbida feminae nigra; areola parva transversa. *Pedes* elongati; *maris* anteriores rufi, tarsis tibiisque paulo pallidioribus, coxis et trochanteribus nigris macula alba, femoribus mediis externe basin versus fuscis; postici nigri, tibiis ante basin ferrugineorufis (tarsis deficientibus); *feminae* trochanteribus et coxis nigris; femoribus fuscis, anterioribus apicem versus testaceis; tibiis anterioribus testaceis, posticis fuscis; tarsis anticis testaceis, posterioribus fuscis. *Abdomen maris* angustum, elongatum, subfiliforme, compressiusculum, capite thoraceque longius, thoraceque dimidio angustius; segmento 1

laevi subfiliformi, petiolo fusco, paulò angustiore et longiore quam pars antica, hac rufa, latitudine duplo longiore; 2 et 3 rufis, 3 apice nigro; reliquis nigris; *feminae* capite thoraceque longius et paulo angustius, fusiforme; segmento 1 rufo, petiolo nigro; 2 rufo; 3 nigro, basi rufa; sequentibus nigris, 6 et 7 membrana albida terminatis. *Aculeus* abdomine brevior.

Marem *genuensem a Spinola* mecum communicavit, feminam *pedemontanam Bonelli.*

225. M. GLADIATOR.

Tibiis anterioribus femoribusque rufis. m. f.

Longitudo maris 4 — 5, feminae 3 — 7 linearum. *Caput* mandibulis, plerumque clypei margine, interdum puncto faciei, rarius autem orbitis oculorum, rufocastaneis. (Accuratiorem descriptionem partium oris nota, huic speciei subjuncta, exhibet). *Antennae* filiformes, *maris* corpore breviores, porrectae, totae nigrae, *feminae* fere corporis longitudine, apice incurvae, rarius totae nigrae aut solis articulis 10 et 11 supra albidis, interdum colore albido obsoleto, plerumque articulis 9 — 11 — 12, nec non octavi apice et decimi tertii basi, tribus lateribus albis. *Thorax* gibbocylindricus. *Alae* mediocres, hyalinae, plurimis nube fumiginosa sub stigmate; hoc, nec non radio radice et squamula, nigris, hac interdum fuscoferruginea; areola alae dextrae rarissime de-

f. Ratzeburg

ficiente. *Pedes* sublongi; anteriores rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis subfuscescentibus; postici nigri, femoribus rufis, tibiarum basi ut plurimum rufa aut subnigrorufescente, tarsis maris nigris, articulis 2—4 albis, feminae vel totis nigris, vel articulis apice subalbentibus, vel articulis 2—4 totis albis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius pauloque angustius, maris thoracis dimidii latitudine, fusiforme; segmento 1 subcanaliculato, petiolo planiusculo, parte antica paulo breviore quam petiolus, maris vix paulo latiore quam petiolus, latitudine duplo aut plus duplo longiore, feminae latiore, interdum duplo latiore quam petiolus, latitudine longiore, rarius fere subquadrata; segmentis reliquis feminae subopacis, marginibus subnitidulis, maris plerumque totis nitidis. *Aculeus* corpore longior, plerumque fere duplo corpore longior, niger, terebra castanea, apice subserrata.

Marem unum cepi mense Iunio circa *Scheidnich*, alterum cepit *Fehler* circa *Gottingam*. — Feminae maribus multo frequentiores sunt. Individua earum, antennis tarsisque posticis totis nigris, rarius attamen inveniuntur; unum cepi prope *Vratislaviam*; duo, circa *Sickershausen* capta, *Nees ab Esenbeck* mihi misit; quartum *Besser* e *Volhynia* mecum communicavit. Individua quoque, antennis quidem alboannulatis, tarsis posticis autem totis nigris, haud vulgata sunt; quaedam cepi, mensibus Iunii et Iulii, in frutetis circa *Scheidnich Helmstadium* et *Bartero-*

dam; alia nonnulla, circa *Warmbrunn Sickershausen* et *Parmam* capta, ad me transmissa sunt. Vulgatissima sunt individua antennis tarsisque posticis alboannulatis; passim in *Silesia* ea cepi, etiam in domibus, mensibus Iunii et Iulii; plura accepi circa *Gottingam, Hannoveram, Trajectum ad Moenum, Norimbergam,* in *Hercynia, Austria, Gallia, Regione Pedemontana, Etruria, Volhynia* et *Tauria*, capta.

Synonyma feminae:

1. Antennis tarsisque posticis alboannulatis.

Ichn. gladiator Scopoli Carn., n. 744; habitat in cultis.
„ Villers p. 161, n. 79; in Europae cultis, in Gallia.
„ Rossi, n. 759; saepius prodiit e cellulis sphaericis argillaceis magnitudine exiguae avellanae, quas inveni Ulmi cortici adhaerentes; saepe etiam captus ruri.
„ Christ p. 354; e Hungaria.
„ Olivier p. 180, n. 79.
Ichn. macrourus Gmel. ed. Linn p. 2687, n. 252.
Ichn. Geoffroi p. 340, n. 44.
Ichn. tarsosus Fourcroy p. 408, n. 45.
„ Olivier p. 210, n. 21. (De confusione *Ichn. tarsosi* Fourc. cum *Ichn. tibiali* Fourcr. seu *I. annulatore* Fabr., in Villersii Entomologia, conferas notam ad *Ichn. annulatorem*, n. 24.

2. Antennis alboannulatis, tarsis posticis totis nigris.

Ichn. comitator Olivier p. 177, n. 64.
„ Borowsky p. 33, n. 5.
Ichn. Reaumur VI, p. 302—303, t. 29, fig. 1—10; femina aculeo perforat nidos cylindricos, arena confectos, Pelopoei spirificis, et ova ponit in larvas Pelopoei. (Errant auctores, qui hunc Reaumurii Ichneumonem pro femina *Ichneum. comitatoris* habent. Conferas notam ad *Ichn. comitatorem*, n. 2.)

3. Antennis tarsisque posticis totis nigris.

Musca tripilis prima Mouffet, p. 64.
„ Kratzenstein p. 26, fig. 2 (icon nimis grandis. Auctor fabulatur, hoc insectum progeniem suam, e qua 20—30 vermes satis magni hirti nascerentur, in nares et ad labia palpebrasque animalium sanguinis calidi deponere.)
Ichn. domator Poda p. 105, n. 6.
Ichn. compunctor Fuessl. Helv. p. 49, n. 957; in pupis Lepidopterorum, haud rarus.
„ Schrank Austr. n. 720.
„ Borowski pag. 34, n. 7, tab. LVII. B. fig. 2 (Icone e Schaeff. Ic. tab. 49, fig. 4 mutuata).
„ Dwigubsky pag. 165, n. 576; in pupis papilionum.

Ichn. enervator Fabr. Ent. II, pag. 163, n. 125; habitat Kiliae.

„ Cederhielm pag. 160, n. 495; habitat cum *Ichn. compunctore*, cujus varietas esse videtur, in glossatorum pupis; sed hic aculeo abdomine longiore gaudet, ille aculeo abdomine breviore. (Conferre velis quae in nota ad hanc speciem monui).

„ Panzer ad Schaeff. Icon. tab. 49, fig. 4.

„ Gravenh. Uebers. n. 3764.

Nota:

Oris partes feminae hujus speciei *Nees ab Esenbeck* examinavit, hisque verbis descripsit:

Clypeus discretus linea profunde impressa semicirculari, utrimque leniter sinuata, limbo supero tumido ruguloso, tum plano-depressus, laevis, margine infero rotundato decurvo, Linea impressa, retrorsum subarcuata, paulo ante marginem inferiorem inferam partem clypei, seu lobum transversum rotundatum, distinguit. — *Labrum* inflexum tenue membranaceum, e basi lata triangulari subulatum, distinctum. — *Mandibulae* validae arcuatae, basi hiantes, subtetragonae, facie exteriori basin versus paulo latiori, strictae, ante apicem attenuatae, ipso apice demum latiori, bifido, dentibus acutis inaequalibus subdivergentibus, supero majore. — *Maxillae* labio longiores, idque amplectentes: *Stipes* totus fere cor-

neus, complanatus, margine infero acuto, lineari, a latere visus subrectangulus, sursum introrsumque magis pellucens, laevis, glaber: *Mala* stipite paulo brevior, structurae singularis, bipartita, complicata; lacinia interiori membranacea, introrsum fere aequante superiorem, securiformi, lobo majori (interiori) rotundato ascendente, superiori angustiori, subacuto; lacinia exteriori cornea, fere obconica, obsolete angulata, introrsum oblique truncata et ad speciem concava glabra. — *Palpi maxillares* mala triplo longiores, recurvi setacei pubescentes quinquearticulati; articulo 1 subclavato, basi subincurvo, apice truncato, 2 cultrato, 3—5 filiformicylindricis, ultimo subspongioso tenuiori acuto; ratio longitudinis: 3. 5. ¼. 2. — *Labium*: *Mentum* corneum, obconicum, parum compressum, convexum, laeve, sursum villosum, margine supero inter palpos recto, denteque utrimque acuto remoto infra palpos: *Lingua* mento dimidio brevior, subcoriacea, ascendens, nuda, margine supero truncato, angulis acutis, in cucullum deflexis. — *Palpi labiales* lingua plus duplo longiores, incurvi filiformes pilosi, quadriarticulati; articulo 1 longissimo, clavatotruncato, 2 et 3 subtriangulis compressiusculis, vix latioribus, 2 apice magis obliquo, 4 subcylindrico, apicem versus aliquantum attenuato, obtusiusculo, basi in angulum fere rectum refracto; ratio longitudinis: 1. 4. 2. 3.

De synonymia hujus speciei plura sunt monenda:

Ichn. gladiator Thunb. Ichn. n. 436, thorace maculato, huc haud spectat. — Olivier et Illiger (in Fauna Rossii) ad *Ichn. gladiatorem* adhibent quoque *Ichn. insignitorem* Villers p. 164, n. 90; dubius autem de hoc allegato haereo, quia auctor tibiarum tarsorumque posticorum nigrorum nullam facit mentionem et utrique sexui antennas annulatas tribuit. Similitudinem autem inter *gladiatorem* Rossii et *elevatorem* Panzeri Faun. fasc. 71, tab. 15, de qua Illiger, l. c. loquitur, haud video, nam *elevatori* cellula cubitalis intermedia deest, aculeus vix abdominis longitudine est, coxae et trochanteres fulvi sunt.

Ichn. enervator Linnei, Villersii, Christii, Gmelini, Thunbergii, abdominis segmentis tribus primis rufis etc., longe a nostra specie differt.

Sub nomine *Ichn. compunctoris* multi auctores species plures satis diversas confuderunt: *Ichn. compunctor* Linn. Faun. n. 1609 speciebus minoribus consociatur; aculeus ejus brevis est, antennae subtus luteae, abdomen subpetiolatum; eumque ad nostrum Tryphonem n. 76 adhibui. — Linneus ad hanc speciem citat Faunae Suecicae (editionis primae) Ichn. 957 et 958, quorum ille abdomine sessili, antennis subtus luteis etc., hic autem antennis nigris medio albis etc., describitur, nec sane cum illo conjungi potest. — Poda p. 105, n. 7 de *Ichn. Brassicariae* conjicit, eum fortasse ad *Ichneum. compunctatorem* Linn. (*compunctorem* L.) redigendum esse; sed, propter vaginas aculei clavatas, hunc Podae Ichneumonem ad

Pimplam varicornem laudavi. — Fabricius, in Systemate Speciebus et Mantissa, *compunctorem*, ad quem etiam Linnei compunctorem adhibet, descripsit nigrum, ore pedibusque rufis, abdomine petiolato (secundum Linneum sessili aut subpetiolato); in Entomologia et Systemate Piezatorum additur aculeus abdomine brevior. Nihilominus Fabricius ad hanc speciem laudat Schaefferi Icon. tab. 49, fig 4 (aculeo corpore fere duplo longiore) et Geoffroii Ichn. n. 6, pag. 324 (aculeo longitudine corporis); tres ergo species confundit, nam icon Schaefferi exhibet nostrum *Mesoleptum gladiatorem*, Ichneumon Geoffroii autem nostram *Lissonotam setosam*. Cum *Ichn. compunctore* Fabricii congruunt ejusdem nominis Ichneumones apud Cederhielmum, p. 160, n. 494, Walckenaerum, p. 60, n. 55, Latreilleum Crust. XIII. p. 182, et Thunbergium, n. 430. — Quid sit *Ichn. compunctor* Mülleri Prodrom. n. 1810, e brevi ejus descriptione, nullis additis citatis, haud divinare possum. — *Ichn. compunctor* Fourcroy p. 395, n. 8, est Geoffroii Ichn. n. 8, p. 325, idem quem ego ad *Pimplam instigatorem* (*Cryptum instigatorem* Fabr.) redegi. Olivier eum laudat ad *Ichn. fornicatorem* p. 189, n. 126. Ichneum. Geoffroii n. 6, quem plurimi auctores ad *compunctorem* adhibent, Fourcroy nomine *Ichn. setosi* notavit, de quo conferas quae jam ad Fabricii *compunctorem* monui. — Gmelin, in ed. Linn. p. 2691, n. 33, tacet omnino de aculeo *compunctoris;* caeterum autem, sub eadem specie, *compunctorem* Linnei

et Fabricii conjunxit et, auctoritate Fabricii nixus, citata Schaefferi et Geoffroii recepit. — Villers, p. 167, n. 99, confudit *Ichn. compunctores* Linnei, Fabricii, Schrankii Faun. Austriae (nostrum *Mes. gladiatorem*), nec non Ichneumones Schaefferi Icon. tab. 49, fig. 4 et Geoffroi n. 6, de quibus omnibus jam supra locutus sum. Alteram vero etiam speciem Villers, p. 187, n. 164, sub nomine *Ichn. compunctoris* descripsit, ad ejusdem nominis Ichneumonem Fourcroii quadrantem. — Christ, p. 368, tab. 39, fig. 1 sub *Ichn. compunctatore* citavit *Ichn. compunctorem* Linnei et Fabricii, nec non Geoffroii Ichn. n. 6. Hic Christii Ichneumon autem ab omnibus *Ichneum. compunctoribus* auctorum, nec non ab *Ichneum. compunctatore* auctorum (ad *Pimplam instigatorem* nostram redigendo), satis differt et, nisi orbitis oculorum internis tenuissime flavicantibus gauderet, pro mare *Ephialtes manifestatoris* haberi posset. — Olivier p. 186, n. 115, sub *Ichn. compunctore* omnia citata e Villersii Entomologiae n. 99 recepit, excepto Ichneumone Geoffroii n. 6, quem, ob magnitudinem corporis et longitudinem aculei, excludit. — *Ichn. compunctor* Schrankii Faun. Boic. n. 2067 e speciebus duabus longe diversis compositus est, nam var. A, longitudine 6½ linearum, aculeo longitudine 7½ linearum, noster *Ephialtes manifestator* est; varietas B autem, longitudine 13 linearum, aculeo 1½ lineas longo, satis ab illa differt. Allegantur Schaefferi Icon. tab. 110, fig. 3 (noster *Ephialtes manifestator*) et Degeer II,

tab. 29, fig. 6—8 (nostra *Pimpla instigator*). — *Ichn. compunctor* Panzeri ad Schaeff. Icon. tab. 20, fig. 7, *Pimplae instigatori* nostro respondet — tab. 224, fig. 10 autem nostro *Ischnoceroti rustico* affinis est. — Scharfenberg p. 957, n. 5, descripsit *Ichn. compunctorem* 10 lineas longum, aculeo 9 lineas longo, (paulo post autem addit, in eadem descriptione, aculeum abdomine breviorem esse) petiolo abdominis longo tenui. Haec descriptio vero haud convenit nec cum descriptione laudata *Ichn. compunctoris* Linnei et Fabricii, nec cum citata fig. 4, tab. 49 Iconum Schaefferi.

Ichneumones itaque, ab auctoribus sub nomine *Ichn. compunctoris* descripti aut conjuncti, hac fere ratione, in species diversas sejungi possunt:

1) Linnei Faun. n. 1609 et Syst. Nat. n. 33 — noster *Tryphon compunctor*.
2) Schaefferi Icon. tab. 49, fig. 4, et Schrankii Faun. Austr. n. 720 — noster *Mesostenus gladiator*.
3) Schaefferi Icon. tab. 224, fig. 10 ad nostrum *Cryptum rusticum* adhiberi potest.
4) Geoffroii Ichn. p. 324, n. 6 — nostra *Lissonota setosa*.
5) Schaefferi Icon. tab. 20, fig. 7, Fourcroy p. 395, n. 8, Villers p. 187, n. 164 — nostra *Pimpla instigator*.
6) Schaeff. Ic. t. 110, fig. 3, Christ p. 368, t. 39, fig. 1 (?), Schrankii Faun. Boicae n. 2067, var. A — noster *Ephialtes manifestator*.
7) Schrankii Faunae Boic. n. 2067, var. B.

226. M. FUNEBRIS. n.

Apice femorum anticorum et parte tibiarum anteriorum rufescentibus; annulo antennarum et tarsorum posticorum albo. f.

Statura et proportio partium *Cryp. seductorii,* n. 45 feminae; sed areola parva quadrata et petiolo paulo breviore.

Longitudo paulo ultra 4 lineas. *Antennae* porrectae; articulis 8—11 tribus lateribus albis (ultimis deficientibus). *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* subhyalinae; stigmate radio et squamula nigris, radice picea. *Pedes* elongati graciles; antici femorum apice rufo, tibiis testaceis, externe fuscis; medii tibiis fuscoferrugineis; postici articulis 3 et 4 tarsorum albis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius pauloque angustius, oblongo-ovatum; segmento 1 longo laevissimo angusto, parte antica paulo latiore quam petiolus, eoque fere dimidio breviore, latitudine fere duplo longiore; 2 margine summo castaneo; 5—7 membrana albida marginatis. *Aculeus* abdominis longitudine.

Feminam *pedemontanam* unicam *Bonellio* debeo.

227. M. COMPRESSICORNIS. n.

Antennis compressis tarsisque posticis albo-annulatis; tibiis anterioribus femoribusque rufis. f.

Statura et proportio partium *M. pygostoli*, n. 220; sed antennis compressiusculis, fere ut in *Phygadeuonte triannulato*, n. 160. Hac forma antennarum, et areola minuta quadrata, *M. compressicornis* etiam a nonnullis speciebus familiae II se distinguit.

Longitudo 3 linearum. *Caput* orbitis oculorum internis tenuissimis obsolete-albidis. *Antennae* articulis 8—12 supra albis, ultra hunc semiannulum subcompresso-incrassatae, articulis ultimis sensim decrescentibus, apice ipso acuto. *Alae* subfumatohyalinae, irideae, stigmate radio et squamula nigris, radice picea. *Pedes* anteriores rufi, trochanteribus et coxis nigris; postici nigri, femoribus rufis, tibiis basin versus externe ferrugineis interne rufis, tarsis articulis 2—4 albis. *Abdomen* nitidum, subtilissime punctum, segmentis 3 et 4 summo margine castaneo. *Aculeus* vix abdominis trientis longitudine.

Unicam feminam *Sahlberg* e *Fennia* ad me transmisit.

F A M I L I A V,

seu subgenus:

BARYCEROS,

a βαρὺς, ponderosus, et κέρας, cornu — ob antennas medio incrassatas, indeque velut ponderosas.

Abdomine petiolato, oblongoovato, petiolo longo sublineari; areola nulla; antennis medio compresso-incrassatis; pedibus longis gracilibus. (Aculeo mediocri).

Caput transversum. *Oculi* ovati prominentes. *Antennae* corpore paulo breviores, inter medium et apicem compresso-incrassatae, apicem et basin versus sensim tenuiores. *Thorax* gibbulo-cylindricus, tuberculis duobus acuminatis metathoracis armatus, punctis profundis confertis scaber. — *Scutellum* convexum triangulare, apice obtuso. — *Alae* mediocres; areola nulla; nervo, cellulas cubitales duas sejungente, perbrevi. — *Pedes* longi graciles. — *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, oblongo-ovatum, convexum, laeve, nitidum; petiolo sublineari. — *Aculeus* abdomine dimidio vix paulo longior.

De affinitatibus hujus Barycerotis cum *Phygadeuontibus* et *Mesostenis* hos conferre velis.

---

228. B. GUTTATUS. n.

Abdomine, pedibusque rufis; scutello facie et maculis thoracis testaceis; annulo antennarum albo.

Longitudo fere 7 linearum. *Caput* ore facie et oculorum orbitis omnibus testaceoalbis. *Antennae* articulis 6—13 supra albis. *Thorax* marginibus colli, punctis duobus ante collum, signis duobus dorsalibus, speciem ferri equini praebentibus, puncto infra alas, maculis duabus lateralibus prothoracis, una laterali metathoracis, duabus infra scutellum, duabusque ante petiolum, puncto infra alas posticas, testaceoalbis. *Scutellum* testaceoalbum. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula testaceoalbis. *Pedes* testaceofulvi, femoribus fulvis; trochanteribus coxisque anterioribus stramineis. *Abdomen* diluterufum; segmento 1 petiolo fere quadruplo longiore quam pars antica, hac subquadrata et duplo latiore quam petiolus. *Aculeus* castaneus.

Hujus speciei, quam ex habitu pro exotica haberem, feminam unicam *de Block*, mense Iulio anni 1799, in *valle Plauensi* prope *Dresdam*, cepisse contendit, eamque mihi dono dedit.

FAMILIA VI,

seu subgenus:

HEMITELES

a verbo ἡμιτελής, imperfectus — propter areolam imperfecte quinqueangularem.

Corpore parvo; abdomine petiolato, rarius subpetiolato, feminis ovato aut oblongo, maribus graciliore; areola nulla aut subquinque-angulari. (Aculeo longe plurimis exserto).

Corpus parvum aut mediocre. — *Caput* transversum breve, plerisque collum versus angustatum, rarius fere globosum, e. g. *rubiginoso* et *infuscato.* — *Oculi* prominentes ovales, rarius suborbiculato-ovales. — *Antennae* graciles aut mediocres, feminis plurimis apice curvatae, maribus ut plurimum magis porrectis et brevioribus. — De antennis et *partibus oris* consulere velis notam ad H. cingulatorem. — *Thorax* gibbus aut gibbulus, rarius cylindricus, v. c. *H. imbecillo.* — *Scutellum* plus minus convexum aut gibbulum, triangulare, apice plus minus obtuso. — *Alae* subamplae aut mediocres, interdum subparvae; areola saepe omnino nulla, plerumque autem incomplete-quinqueangulari, ita ut nervus ejus exterior vel in lineam albam dissolutus sit, vel vestigiis quibusdam obsoletis, ut plurimum inflexione angulata ad basin nervi inferioris cellulae exterioris, se prodat, rarius areola quinqueangulari completa, ut in individuis nonnullis *H. tristatoris.* In *H. infuscato* autem nervi cellulae exterioris quoque fere omnino extincti sunt. — *Pedes* graciles aut mediocres. — *Abdomen* petiolatum; rarissime subpetiolatum, v. c. *H. fulvipedi*, aut subsessile, v. c. *H. micatori* et *meridionali;* laeve, nitidum aut subnitidum, convexum; quibusdam depressiusculum, praesertim maribus, interdum vero etiam

sexui alteri, e. g. *H. ridibundi;* feminis crassius et latius, ovatum aut oblongum, vel etiam subpyriforme, thoracis latitudine vel paulo angustius, illiusque longitudine vel paulo longius, rarius apice subcompressum, e. g. *H. inimico* et *monospilo;* maribus gracilius, oblongum aut sublineare, thorace plerumque paulo angustius. *Segmenti primi* pars antica vel petiolo latior est, apicem versus sensim dilatata, v. c. *H. tenuicorni;* aut subquadrata, ut *H. cingulatori*, vel vix petiolo paulo latior, rarius lineis duabus elevatis; petiolus vel sublinearis est, basin versus subangustatus, longitudine partis anticae aut hac longior, vel crassior et brevior; quo latior autem pars antica, petiolo tenui et longiore, est, eo magis segmentum totum curvatur. — *Aculeus* exsertus; vaginis plerumque dimidii abdominis longitudine, vel paulo longioribus vel paulo brevioribus, interdum longitudine abdominis, e. g. *H. fragili* et *floricolatori.*

Affinitatum hujus subgeneris cum *Stilpnis, Mesoleptis, Tryphonibus, Cryptis* et *Phygadeuontibus* supra jam mentionem feci. — Species Hemitelium alis minoribus, sensim in *Pezomachos* transeunt; et *Pez. fulveolatus* antea per longum tempus cum Hemitelibus conjunctus erat. — *H. chrysopygus,* tam ob habitum minorem, quam ob areolae defectum, omnibus hujus vestigiis obliteratis, transit ad *Plectiscos.* — Contra vero *Plectiscus pallipes*, areola incomplete quinqueangulari, adpropinquat ad Hemiteles, sed segmento primo latiore subpetiolato, aculeo brevissimo, differt.

Generaliter autem Plectisci, pedibus antennisque gracilioribus et longioribus, nec non nervis alarum, ab Hemitelibus se distinguunt. — Inter *Trachynotos* sunt species nonnullae, e. g. *gilvipes*, *jocator*, *saltator* etc. quae, propter abdomen minus compressum, cum Hemitelibus conferri possent, e quibus *H. inimicus*, abdomine apice subcompresso, Trachynotis adpropinquare videtur, sed habitus totus naturalis et forma areolae omni confusioni obstant. — *H. maculipennis* et *insignis*, ratione cellularum alae, omnino conveniunt cum *Xylonomis*, caeterum autem satis ab eis differunt.

SECTIO I.

1) *Thorace et abdomine nigris.*

Abdomen interdum segmentis quibusdam, margine aut basi, rufo- aut testaceo-coloratis: *H. tristator* variat segmentis 2 et 3 fuscis; *melanarius* segmento 3 basi rufo, aut segmentis 2 et 3 pro parte testaceis; *similis* segmento 2 basi testacea, aut segmento 3 fere toto rufo; *echionops* segmento 3 basi fulvo. Hae species itaque ad sectionem secundam transeunt.

E sectione secunda eodem jure huc referri possent *H. monozonius*, *limbatus*, *conformis*, solis segmentis quibusdam rufomarginatis, nec non *micatoris* var. secunda et *necatoris* maris individuum, quae abdomine toto fusco gaudent.

---

1) v. 801. Thorace nigro, abdomine rufo nigroque.

2) Thorace rufo nigroque v. 850

229. H. PICIPES. n.

Tibiis ferrugineis apice nigro; areola nulla. m.

Longitudo 3¼ linearum. *Antennae* corporis longitudine, subsetaceae, apice subcurvatae. *Thorax* gibbulus. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio nigris, radice straminea, squamula fusca; areola quinqueangulari, nervo exteriore obsoletissimo. *Pedes* graciles longi; femoribus anticis subtus apice, tibiisque omnibus, piceocastaneis, his apice nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, oblongoovatum; segmento primo sublineari, parte antica latitudine duplo longiore, paulo latiore et breviore quam petiolus.

Marem unicum, circa *Vindobonam* captum, *Dahlio* debeo.

230. H. TENEBRICOSUS. n.

Totus niger; areola quinqueangulari. m.

Statura et proportio partium maris antecedentis; sed parvitate, alis multo minoribus, areola completa, haec species differt. A specie sequente, praeter areolam, etiam vestigio nervi dividentis cellulae interioris deficiente distinguitur.

Longitudo 1 ½—2 linearum. *Caput* transversum. *Antennae* filiformes, corpore breviores. *Thorax* gibbulus. *Alae* vix longitudine corporis, stigmate et radio piceis, radice straminea, squamula nigra; areola quinqueangulari subpyramidata. *Pedes* graciles, tibiis anticis et posticis individui majoris subtus ferrugineis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, laevissimum nitidissimum; segmento 1 lineari, parte antica paululum latiore pauloque breviore quam petiolus, latitudine duplo longiore, subcanaliculato; 2—5 vel depressiusculis et sensim paulo latioribus, vel teretibus fusiformibus.

Duo cepi individua, mense Augusto, circa *Warmbrunn*, in umbellatis et in gramine; tertium, idque majus, abdomine tereti fusiformi, *Besser* e *Volhynia* transmisit.

Nota:

Diu incertus fui, numne hanc speciem cum familia quinta generis *Ichneumonum* jungerem, quia areola completissima a reliquis cospeciebus hujus Cryptorum familiae se distinguit; sed cellula exteriore completa, totoque habitu, magis cum Cryptis hujus sectionis convenientem eum cum his conjunxi.

231. H. TRISTATOR. n.

Pedibus anterioribus rufis, coxis pro parte nigris; posticis fuscis, basi femorum et tibiarum testaceis; ore testaceo. m.

A speciebus confinibus hujus sectionis et sectionis primae familiae III haec differt segmento 1 angustiore.

Longitudo 1⅓—2½ linearum. *Caput* palpis et mandibulis ferrugineis aut ferrugineostramineis. *Antennae* filiformes porrectae, corpore breviores, rarius fere ejus longitudine aut corpore dimidio aliquantum longiores; articulo 1 plerumque subtus rufo aut ferrugineofusco. *Thorax* gibbulus aut gibbulocylindricus, interdum metathoracis tuberculis duobus acutiusculis. *Alae* subhyalinae, rarius fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis aut fuscopiceis, radice et squamula albidis, hac interdum testacea; areola quinqueangulari, rarissime completa, plerisque nervi exterioris vestigio obsoleto. *Pedes* subgraciles; anteriores rufi aut straminei, coxis anticis rarius totis rufis aut totis nigris, plerumque nigris apice rufescente, mediis nonnunquam stramineis aut rufis, ut plurimum nigris, interdum apice rufo aut stramineo; postici coxis nigris, trochanteribus vel totis nigris aut fuscis, vel apice ferrugineis, femoribus rufis aut testaceis, medio aut apice nigris fuscisve, rarius fere totis nigris, tibiis vel nigricantibus basin versus rufis aut testaceis, vel apice solo fusco, tarsis fus-

cis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, aut paulo brevius et angustius, oblongoovatum, aut sublineare segmentis 2—4 aequilatis, depressiusculum; segmento 1 sublineari, parte antica paulo latiore et breviore quam petiolus, latitudine paulo longiore; 2 et 3 interdum subfuscescentibus aut castaneomarginatis.

Saepius cepi hanc speciem, mensibus Iunii Iulii et Augusti, domi ad fenestras; plura individua plantas florentes frequentantia, aphidibus et larvis Syrphorum refertas et, in ipsa urbe *Vratislavia*, ante fenestras, satis alte a terra, positas; quaedam vero etiam in frutetis circa *Fürstenstein*, mense Iunio cepi. Alia, circa *Warmbrunn*, *Sickershausen*, nec non in *Hercynia* et *Tauria*, lecta, mecum communicata sunt. Inter ista, quae domi cepi, unum, idque omnium maximum, a reliquis differt antennis brevioribus, alis obscurioribus, areola alae dextrae completa sinistrae incompleta, rudimento nervi dividentis cellulae internae longiore et ad tertiam partem diametri cellulae excurrente, abdomine longiore.

Varietas:

1. *Femoribus omnibus totis testaceis.* m. — *Statura* graciliore quam individua gracillima speciei genuinae, a qua etiam haec varietas vestigio omni nervi dividentis cellulae interioris deficiente differt. — *Longitudo* 1¾ linearum. *Alae* areola subquinqueangulari. *Pedes* straminei; postici coxarum basi, tarsis et tibiarum apice fuscis, tibiis

basi pallidestramineis. *Abdomen* capitis et thoracis longitudine, thoracis dimidii latitudine, lineare; segmento primo reliquis paulo angustiore; 2 et 3 fuscis.

Unicum maris individuum *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

232. H. BREVIVENTRIS. n.

Abdomine subsessili; femoribus tibiisque rufis, harum posticis apice nigro. m.

Hic mas a reliquis se distinguit abdomine latiore et segmento primo breviore et latiore.

Longitudo 2½ linearum. *Antennae* filiformes, corpore paulo breviores. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula albidis; areolae quinqueangularis nervi exterioris vestigio obsoletissimo hyalino. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tarsis et tibiarum apice fuscis. *Abdomen* subsericans ovatum depressiusculum subpetiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 canaliculato, basin versus sensim angustato, latitudine aliquantum longiore. *Stylus analis* obtusus, vix subexsertus.

Unicum cepi individuum prope *Scheidnich*, in loco graminoso dumetoso volitans.

Hemiteles.

233. H. MELANARIUS. n.

Tibiis rufis, posticis pro parte nigris. m.

Statura et proportio partium *tristatoris*, n. 231; sed segmento primo breviore et latiore.

Longitudo 1½—2 linearum. *Caput* palpis plerumque stramineis. *Antennae* filiformes aut subsetaceae, porrectae, corpore breviores. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres, hyalinae aut fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis aut nigris, radice straminea; nervo exteriore areolae plerumque obsoleto. *Pedes* mediocres; coxis et trochanteribus nigris, his apice plus minus rufescente; femoribus vel omnibus fere totis nigris, geniculis solis rufis, aut fuscis basi apiceque rufescentibus, vel anterioribus rufis, externe subfuscescentibus, posticis fuscis, basi apiceque rufescentibus; tibiis rufis aut rufostramineis, posticis, interdum quoque mediis, apice et summa basi nigricantibus, posticis interdum totis nigris; tarsis rufis, posticis fuscis. *Abdomen* oblongum aut oblongoovatum, depressiusculum, thoracis longitudine et latitudine, vel paulo longius et angustius, subpetiolatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo aut fere triplo longiore, parte antica subquadrata, longitudine petioli.

Nonnullos mares cepi, mensibus Iunii Septembris et Octobris, in umbellatis et fruticetis, circa

Vratislaviam et *Reinerz;* quidam alii, circa *Warmbrunn* et *Genuam,* nec non in *Regione pedemontana* et in *Tauria,* capti, mecum communicati sunt.

Varietates:

1. *Femoribus tibiisque rufis, posticis pro parte obscuris, segmento 3 basi rufo.* m. — *Statura* hoc individuum medium tenet inter individua genuina abdomine et segmento primo gracilioribus et latioribus. — *Longitudo* 1¾ linearum. *Alae* subhyalinae, radio et stigmate fuscis, radice et squamula albostramineis. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici femoribus superne apicem versus fuscis, tibiis apice tarsisque nigris. *Abdomen* segmento 3 dorso basi rufo.

Marem unicum *fennicum Sahlberg* mihi transmisit.

2. *Segmentis 2 et 3 testaceomaculatis.* m. — *Longitudo* 1¾ linearum. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula albidis. *Pedes* anteriores testacei, coxarum basi et femorum latere supero basin versus fuscis; postici nigrofusci, trochanterum apice et tibiarum summa basi testaceis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, subpetiolatum; segmentis 2—5 aequilatis; 2 fusco, apice testaceo; 3 fusco, basi apiceque testaceis.

Hanc varietatem *Munger* cepit circa *Warmbrunn.*

Nota:

Individua hujus speciei variant longitudine antennarum et proportione abdominis et primi segmenti; quibus segmentum 1 angustius est, medium quasi tenent inter hanc speciem et *tristatorem*, n. 231, quibus autem segmentum 1 latius est, adpropinquant ad *breviventrem*, n. 232.

234. H. FULVIPES. n.

Pedibus fulvis; coxis anterioribus albis, posticis nigris; tibiis posticis apice fuscis. m. f. — (*mas* antennis subtus basi albis).

Longitudo $1\frac{1}{5}$—$1\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* ore substramineo. *Antennae* corpore dimidio longiores, curvatae; feminis subcompressiusculae, apicem et basin versus decrescentes, articulo 1 subtus plerumque rufo; maribus filiformes, subtus articulis 1 et 2 flavis, 3—5 interdum testaceis sensim obscurioribus. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, subhyalinae irideae; stigmate et radio pallidepiceis, maris rarius fuscis, squamula et radice albidis; areola quinqueangulari, nervo exteriore subtilissimo aut obsoleto. *Pedes* mediocres fulvi; anteriores coxis et trochanteribus albis aut flavis; postici coxis nigris, trochanteribus albis, tibiis apice et summa basi obscurioribus aut nigricantibus, tarsis posticis maris interdum fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum, subpetiolatum, depressiusculum; seg-

mento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine paulo longiore, maris paulo angustiore quam feminae. *Aculeus* longitudine quartae aut quintae partis abdominis. *Styli anales* maris duo breves rufi.

Mares et feminas *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* ipse marem cepi die 1 Octobris in rubetis prope *Scheidnich.* Feminam *Nees ab Esenbeck* cepit autumno, sub foliis deciduis circa *Sickershausen;* aliam, prope *Genuam* captam, *a Spinola* mecum communicavit.

Nota:

Hujus speciei mares, statura et proportione partium, congruunt cum speciei antecedentis individuis segmento 1 breviore et latiore; adpropinquant vero etiam ad mares segmenti 1 petiolo latiore speciei insequentis.

235. H. SIMILIS.

Pedibus rufis, coxis posticis plerumque basi nigris; ore luteo. m. f. (*mas* antennarum articulo primo subtus flavo).

Longitudo $1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{4}$ linearum. *Caput* palpis et mandibulis stramineis aut rufis aut badiis, labro rufo. *Antennae maris* subfiliformes, corpore breviores aut fere ejus longitudine, porrectae, articulo 1 ut plurimum subtus flavo aut stramineo; *feminae* dimidio corpore paulo longiores, apice incurvae, articulis 1 et 2 subtus fuscis aut rufis,

6 et sequentibus nonnunquam ferrugineofuscis. *Thorax* gibbus. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice et squamula albostramineis; areola vel omnino nulla vel nervi exterioris vestigio obsoletissimo. *Pedes* mediocres rufi aut rufostraminei; anteriores interdum coxis et trochanteribus, hisve solis, flavis aut stramineis; postici coxis vel nigris, apice ut plurimum rufo aut stramineo, vel rufis, macula supera aut basi nigricante, rarissime totis rufis, trochanteribus interdum stramineis, femoribus raro geniculis nigris, tibiis plerumque apice, rarius latere externo toto, nigricantibus, basi nonnumquam straminea, tarsis fuscescentibus aut nigricantibus. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius; segmento 1 aciculato, parte antica duplo latiore quam petiolus, latitudine paulo longiore, 2—5 aequilatis; *feminae* ovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 parte antica quadrata aut subtransversa. *Aculeus* longitudine quartae partis abdominis.

Mares et feminas accepi, circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* nec non in *Tauria* captos, praetereaque mares quosdam, circa *Vratislaviam* (mense Octobri) et *Niesky*, feminasque circa *Norimbergam* et in *Volhynia* (eamque solam pedibus totis rufis) lectas.

Varietates:

1. *Coxis omnibus nigris.* m. f. — *Longitudo* 2—2⅔ linearum. *Antennae* feminae paulo lon-

giores et graciliores quam in femina genuina, fuscoferrugineae, articulis 1 et 2 nigris. *Alae* sicut in specie genuina. *Pedes* rufi, coxis nigris, anticis maris apice rufescente; trochanteribus vel omnibus, vel solis posticis, basi nigris; tarsis posticis nec non tibiarum posticarum apice fuscis aut nigris. *Abdomen maris* sericeum, segmento 1 paululum breviore quam in specie genuina; *feminae* segmentis 2 et 3 margine summo rufescente. *Aculeus* fere quartae partis abdominis longitudine.

Feminam cepi mense Septembri, circa *Scheidnich*, in frutetis, marem circa *Vratislaviam*; alterum marem, circa *Warmbrunn* captum, *Manger* mecum communicavit.

2. *Segmenti secundi basi testaceostraminea.* m. — *Longitudo* 2 linearum. *Caput* et *antennae* quemadmodum in specie genuina. *Alae* fumatohyalinae, areola parva quinqueangulari; caeterum ut in specie genuina. *Pedes* fulvi; coxis anticis flavis, posticis vel totis vel basi sola fuscis; trochanteribus anterioribus stramineis; tarsis posticis et tibiarum posticarum apice fuscis. *Abdomen* segmento 2 basi testaceostraminea.

Individua duo, circa *Warmbrunn* capta, *Manger* mecum communicavit.

3. *Coxis et trochanteribus nigris; segmento tertio fere toto rufo.* f. — *Statura* et proportio partium feminae varietatis primae, segmento 1

autem breviore. — *Longitudo* paulo ultra 2 lineas. *Alae* areola omnino nulla, caeterum sicut in femina genuina. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tarsis et tibiarum apice fuscescentibus. *Abdomen* segmento 3 rufo, macula dorsali ad basin nigra.

Unicum specimen vere cepi circa *Scheidnich*.

Synonyma sp. genuinae:

Ichn. similis Gmel. ed. Linn. p. 2720, n. 393.

Varietatis 2?

Ichn. debellator Schrank Austr., n. 747.
" Villers p. 184, n. 150.
" Gmelin ed. Linn. p. 2698, n. 176.
" Olivier p. 222, n. 98.

Nota:

Haec quoque species, sicut antecedentes, proportione antennarum abdominis et segmenti primi variat; imprimis autem quaedam speciei genuinae individua mascula minora, antennis brevioribus et crassioribus, propius accedunt ad *tristatorem*, n. 231.

236. H. CHIONOPS. n.

Segmenti tertii basi pedibusque fulvis; coxis anterioribus albis, posticis macula nigra; facie alba. m.

Statura et proportio partium sicut in individuis plurimis speciei antecedentis.

Longitudo 2 linearum. *Caput* ore et facie albidis. *Antennae* articulo 1 subtus albido. *Thorax* gibbulus. *Alae* subhyalinae, radio et stigmate piceis, squamula et radice albidis, areola nulla. *Pedes* fulvi; anteriores trochanteribus et coxis albidis, coxis mediis supra rufis; postici coxis supra macula nigricante, tarsis et tibiarum apice fuscis. *Abdomen* segmento 3 basi fulvo-straminea.

Unum cepi marem die 11 Maji in *vallo Gottingensi.*

237. H. INFIRMUS. n.

Pedibus stramineis, coxis posticis basi nigris. f.

Haec femina differt ab *H. similis*, n. 235, femina, segmento 1 breviore subpetiolato, basin versus sensim angustato; ab *H. fulvipedis* femina, antennis gracilioribus filiformibus, aculeo longiore, segmento 1 apice angustiore.

Longitudo $1\frac{1}{4}$—$1\frac{4}{5}$ linearum. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio piceofuscis, radice et squamula albostramineis, nervo exteriore areolae obsoletissimo. *Pedes* testaceostraminei; postici coxarum basi nigricante, femoribus interdum supra subfuscescentibus, tarsis et tibiarum apice fuscescentibus. *Abdomen* oblongoovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, subpetiolatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, canaliculato, latitudine duplo longiore. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine.

Duas feminas *Manger* cepit circa *Warmbrunn*, quarum major pedibus posticis obscurioribus se distinguit.

Hemiteles,

238. H. SORDIPES. n.

Pedibus rufis, fuscomaculatis. f.

Statura et proportio partium feminae *H. similis*, n. 235, sed corpore paulo graciliore, aculeo longiore, segmento primo latiore.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ linearum. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula albis; nullo vestigio areolae. *Pedes* rufi; coxis anterioribus fuscescentibus apice rufo, posticis macula fusca; femoribus et tibiis supra, imprimis apicem versus, subfuscescentibus; tarsis posticis fuscescentibus. *Abdomen* petiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, apicem versus

subcompressoclavatum; segmento 1 parte antica subquadrata, basin versus paulo angustiore, longiore et duplo latiore quam petiolus. *Aculeus* fere abdominis longitudine.

Hanc feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

239. H. PICTIPES. n.

Pedibus rufis; coxis anticis albis basi nigra, posticis totis nigris; basi tibiarum et trochanteribus albis. f.

Primo aspectu haec femina speciei praecedenti affinis esse videtur, differt autem ab omnibus hujus sectionis speciebus, segmenti primi parte antica convexiore et latiore, imprimis autem aculeo longiore gladiiformi.

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis sordidestramineis, mandibulis medio testaceis. *Antennae* graciles filiformes, corpore paulo breviores, articulo 1 subtus testaceo. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, radio et stigmate fuscis, squamula et radice albidis; nervo exteriore areolae obsoletissimo. *Pedes* mediocres, diluterufi; coxis anticis albidis basi nigra, mediis rufis basi nigra, posticis totis nigris; trochanteribus albidis; tibiis latere externo fuscescentibus basi albida, tarsis posticis fuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, subfusiforme, apicem versus

compressum (an vi externa?); segmento 1 parte antica subquadrata, gibbosa, canaliculata, duplo latiore et fere paulo longiore quam petiolus, hoc basin versus sensim angustato; 2 summo margine castaneo. *Aculeus* abdominis longitudine, vaginis compressis nigris; terebra ipsa rufa, multo fortiore et rigidiore quam in cospeciebus, compressa gladiiformi, apice oblique truncato.

Unicam cepi feminam, mense Iunio, in gramine prope *Vratislaviam.*

SECTIO II.

Thorace nigro, abdomine rufo-nigroque.

Abdomen plerisque basi apiceque nigrum, medio rufum aut castaneum aut stramineum est; rarius basi sola nigra (*Hemiteli tenuicorni*), aut segmentis intermediis vel nigris, margine rufo (*H. limbato*), vel rufis aut stramineis, margine nigro (*H. aestivali* et *imbecillo*). — *Thorax* interdum badius est (*H. micatoris* et *necatoris* varietatibus), aut castaneomaculatus (*H. melanopygi* varietati); hae species autem ad sectionem 3 spectant.

E *sectione prima* ad hanc adpropinquant *H. echinops* et varietates *H. melanarii* et *similis*, segmentis quibusdam pro parte rufis aut stramineis, nec non *H. tristatoris* varietas segmentis 2 et 3 fuscis. E *sectione tertia* autem *H. cingulatoris* varietas thorace toto nigro, collo solo rufo (segmentis 1 et 2 castaneomarginatis), medium tenet inter sectiones 1, 2 et 3.

---

240. H. MONOZONIUS.

Segmenti secundi margine, pedibus et antennarum basi, rufis. m.

A nonnullis maribus sectionis primae et secundae, eg. a *simili*, n. 235, et *aestivali*, n. 244, quibuscum confundi posset, hic differt antennis multo gracilioribus.

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio ferrugineis. *Antennae* filiformes graciles, corpore vix paulo breviores; articulis 1—4 rufis, sensim obscurioribus, sequentibus fuscis. *Thorax* gibbulus. *Alae* amplae, fumato-hyalinae, stigmate et radio nigris, radice alba, squamula testacea; nervo exteriore areolae obsoleto. *Pedes* subgraciles rufi, unguibus fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, fusiformioblongum; segmento 1 sublineari, apicem versus sensim paulo dilatato, latitudine triplo longiore, margine summo rufescente; 2 margine rufo; 3 margine summo rufescente.

Marem unicum cepi in fruticetis prope *Warmbrunn*, die 10 Augusti.

241. H. LIMBATUS. n.

Segmentis 1 — 3 rufomarginatis; tibiis et femoribus rufis, horum anterioribus macula nigra. m.

Longitudo $2\frac{1}{3}$ linearum. *Antennae* porrectae subsetaceae, dimidio corpore longiores. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice flavicante, squamula ferrugineofusca; areola nulla. *Pedes* mediocres rufi, coxis et trochanteribus nigris, trochanteribus posticis apice rufis; femoribus anterioribus externe macula nigra. *Abdomen* oblongoovatum, capitis thoracisque longitudine, thorace angustius; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, parte antica latitudine paulo longiore, margine rufo; 2 et 3 margine et lateribus rufis.

Marem unicum *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen* cepit.

242. H. CONFORMIS.

Segmentis rufomarginatis; pedibus rufis, coxis anterioribus albis, posticis basi nigris, tibiis posticis apice fuscis; ore et antennarum basi subtus testaceis. f.

Statura et proportio partium omnino varietatis 3 *H. similis*, n. 235.

Longitudo 2 linearum. *Caput* ore sordidestramineo. *Antennae* fuscae, articulis 1 et 2 subtus

testaceis. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate et radio stramineis, radice et squamula albis; areolae quinqueangularis nervo exteriore obsoletissimo. *Pedes* diluterufi; anteriores coxis et trochanteribus albis; postici coxarum basi nigra, tarsis nec non tibiarum apice et annulo ante basin fuscis. *Abdomen* segmentorum lateribus et margine summo rufis. *Aculeus* abdominis trientis longitudine.

Feminam hanc cepi mense Augusto, in fruticetis, circa *Warmbrunn*.

Synonyma:

Ichn. conformis Gmel. ed. Linn. p. 2720, n. 389.

243. H. RUBIGINOSUS.

Segmentis 2—4 basi rufis; pedibus rufis, posticorum femoribus et tibiarum apice fuscis; ore et antennarum articulo 1 subtus rufis.

A reliquis hujus familiae cospeciebus haec differt capite subgloboso. Eadem capitis forma, nec non defectu areolae et parte antica segmenti primi sensim in petiolum abeunte, ab *Ichn. erythrocero*, n. 260, distincta est.

Longitudo 2 linearum. *Caput* globosum, vertice subtransverso; palpis mandibulisque diluterufis. *Antennae* fuscae, subtus articulo 1 rufo, sequentibus ferrugineis (ultimis deficientibus.) *Thorax* cylindricus. *Alae* corpore breviores,

subhyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula flavoalbis. *Pedes* mediocres diluterufi; postici femoribus fuscis summa basi rufa, tibiarum apice nigrofusca. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 apicem versus sensim paulo dilatato, latitudine fere triplo longiore; 2 et 3 fuscis, basi et summo margine diluterufis; 4 fusco, summo margine summaque basi diluterufis; sequentibus fusconigris. *Stylus* analis brevissimus exsertus (vix aculeus).

Unicum individuum cepit *Manger* circa *Warmbrunn*.

Synonyma:

Ichn. rubiginosus Gmel. ed. Linn. p. 2700, n. 283 (haud *Ichn. rubiginosus* Christii, qui est noster *Echthrus reluctator*).

Hemiteles.

244. H. AESTIVALIS. n.

Segmentis 2 et 3 basi rufis; pedibus rufis, coxis posticis nigris. m. f. (*Mas* segmentis 2 et 3 lateribus quoque rufis, coxis mediis macula nigra, palpis et antennarum articulo 1 subtus stramineis; *fem.* segmento 2 rufo, macula dorsali nigra, coxis anterioribus basi nigris, articulo primo antennarum subtus ferrugineo).

Longitudo maris 2, feminae 2⅓ linearum. *Caput* maris palpis et mandibulis stramineis, his apice ferrugineo, labro badio. *Antennae maris*

porrectae, corpore breviores, filiformes, fusconigrae, articulo 1 subtus stramineo; *feminae* curvatae filiformes, dimidio corpore longiores, articulo 1 subtus ferrugineo. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae; stigmate et radio fuscopiceis, radice albida, squamula maris straminea, feminae fusca; areolae quinqueangularis nervo exteriore tenuissimo; feminae cellulae internae rudimento nervi dividentis, cujus in mare vix vestigium se prodit. *Pedes* mediocres, *maris* stramineorufi; trochanteribus anterioribus stramineis, posticis ferrugineis; coxis mediis macula nigra, posticis totis nigris; tibiis posticis apice subnigricante; *feminae* rufi; coxis nigris, anterioribus subtus rufescentibus. *Abdomen maris* depressiusculum, thorace angustius, ejus autem longitudine, oblongoovatum; segmento 1 laeviusculo nigro, parte antica quadrata paulo latiore quam petiolus; 2 et 3 basi et lateribus rufis; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 apicem versus sensim latiore, parte antica longitudine latitudinis, paulo breviore quam petiolus; 2 rufo, macula dorsali nigra; 3 basi castanea. *Aculeus* abdominis trientis longitudine.

Marem cepit *Roentgen* prope *Niesky*, feminam *Manger* prope *Warmbrunn*.

Varietates:

1. *Coxis omnibus totis nigris.* m. f. — *Longitudo* maris $1\frac{2}{3}$—$2\frac{1}{5}$, feminae $2\frac{1}{2}$ linearum. *Antennae* totae nigrae, articulo 1 maris interdum

subtus ferrugineo. *Alae* subhyalinae, maris rarius fumatohyalinae, irideae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albis, hac maribus interdum picea aut fusca. *Pedes* rufi; coxis nigris; trochanteribus feminae totis nigris, maris rufis aut flavicantibus basi nigra, posticis, rarius omnibus, fere totis nigris; femoribus maris anterioribus nonnunquam externe subfuscescentibus, posticis plerumque geniculo nigricante; tibiis posticis apice nigricante; tarsis feminae omnibus, maris solis posticis, fuscis. *Pedes* feminae paulo longiores quam in femina genuina. *Abdomen maris* plerumque paulo longius quam in mare genuino et paulo latius; segmento 2 basi et lateribus, 3 basi, nonnunquam etiam lateribus, plus minus rufis; *feminae* segmento 2 rufo, macula dorsali magna nigricante; 3 toto rufo; reliquis margine summo rufo. *Aculeus* abdominis trientis longitudine.

Feminam unicam cepi, mense Majo, in Crataego oxyacantha prope *Gottingam.* Mares quosdam accepi, circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* captos, unumque *pedemontanum*, statura minore, abdomine breviore et angustiore, alis fumatohyalinis, trochanteribus omnibus fere totis nigris, a reliquis distinctum.

2. *Segmento 2 basi et margine, 3 solo margine, rufis.* f. — *Longitudo* 2 linearum. *Caput* palpis testaceis. *Antennae* subtus articulo 1 ferrugineo, 2 et 3 testaceis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice albida.

Pedes rufi, coxarum basi nigra. *Abdomen* segmentis 2 et 3 summo margine tenuissimo, 2 vero etiam basi, rufis. *Aculeus* fere dimidii abdominis longitudine.

Hanc feminam cepi, die 28 Septembris, prope *Trajectum ad Viadrum*, in loco graminoso fruticoso aprico.

3. *Coxis rufis, posticis basi nigra; segmento 3 fulvo, 4—7 pallidemarginatis.* f. — *Longitudo* 2 linearum. *Caput* ore flavo. *Antennae* articulo 1 interdum subtus rufo. *Alae* ut in femina genuina, squamula vero albida. *Pedes* fulvorufi; coxis posticis basi nigricante, anterioribus interdum subtus flavis; trochanteribus flavis; tarsis posticis et tibiarum posticarum apice summo subfuscescentibus. *Abdomen* segmento 2 interdum lateribus fulvis; 3 fulvo, interdum macula dorsali nigra; 4 margine et lateribus fulvis, 5—7 pallidemarginatis. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine, vel paulo longior, niger, terebra fulva.

Unam feminam cepi circa *Gottingam;* alteram *genuensem,* eamque antennis totis nigris, abdomine paulo breviore, segmento 3 fulvo dorso nigro, *a Spinola* mihi transmisit.

4. *Coxis anterioribus et segmento 2 totis rufis; antennis basi nigra.* f. — Haec varietas segmento 1 paulo latiore, pedibus et antennis paulo crassioribus a femina genuina et a plurimis hujus familiae speciebus discedit. — *Longitudo* fere 2

linearum. *Caput* mandibulis medio rufis. *Antennae* articulo 3 subtus rufo. *Alae* hyalinae, sub stigmate fumatae, stigmate radio et squamula nigris, radice albida. *Pedes* rufi; postici coxis et trochanteribus supra nigris, tibiis apice subnigricante, tarsis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, orbiculatoovatum; segmento 1 parte antica transversa, longitudine duplo latiore, apice rufo; 2 toto rufo; 3 basi rufa. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine.

Unicam feminam, circa *Vindobonam* captam, *Dahl* mihi misit.

5. *Antennarum basi, coxis et trochanteribus, nigris; segmentis 2 et 3 totis rufis.* f. — *Statura* et proportio partium sicut in varietate 4; segmento 1 autem latiore crassiore, quemadmodum in *ridibundo*, a quo hic Hemiteles aculeo breviore differt, medium attamen tenens inter *ridibundum* et varietatem 4 hujus speciei. Affines quoque sunt *Cr. pullator*, n. 112, et quaedam individua *Cr. fumatoris*, n. 179; hic autem differt antennis paulo crassioribus, aculeo breviore, ille antennis gracilioribus, ambo areola quinqueangulari, segmento 1 paulo angustiore. — *Longitudo* 2 linearum. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice alba, squamula nigra, areolae quinqueangularis nervo exteriore tenui. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, tarsis posticis et summo apice tibiarum posticarum fuscis. *Abdomen* segmento 1 parte antica transversa, petiolo

plus duplo latiore; 2 et 3 rufis. *Aculeus* vix dimidii abdominis longitudine.

Unicam cepi feminam, mense Septembri, in prato prope *Reinerz*, in umbellatis.

245. H. MONOSPILUS. n.

Segmento 2 rufo, macula fusca, pedibus rufis. f.

Statura tota angustior est quam in varietate 4 speciei antecedentis, a qua haec femina insuper petiolo breviore et crassiore, aculeo longiore, differt, medium fere tenens inter illam varietatem et *H. inimicum*, n. 254.

Longitudo paulo ultra 1½ lineas. *Antennae* filiformes, involutae, corpore paulo breviores. *Thorax* gibbulus. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula albidis; areolae quinqueangularis nervo exteriore obsoletissimo. *Pedes* mediocres rufi. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, subfusiforme, apicem versus compressiusculum; segmento 1 parte antica subquadrata, profunde canaliculata, duplo latiore quam petiolus, hujus autem longitudine, petiolo basin versus sensim angustato; 2 rufo, macula dorsali fusca; 3 angulis baseos rufis. *Aculeus* longitudine abdominis.

Unicam feminam cepi die 2 Iulii domi ad fenestram.

246. H. RUFOCINCTUS. n.

Segmento tertio pedibusque rufis, coxis nigris, femoribus posticis nigricantibus, palpis stramineis. m.

Longitudo 1—2 linearum. *Caput* palpis stramineis. *Antennae* subfiliformes porrectae, corporis longitudine, articulo 3 subtus plurimis ferrugineo. *Thorax* subcylindricus aut gibbulus. *Alae* amplae aut mediocres, subfumatohyalinae aut hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula stramineis. *Pedes* rufostraminei, coxis nigris, anterioribus apice plerumque substramineis; postici femoribus nigricantibus, basin versus rufostramineis, rarius rufis externe fuscescentibus, tibiis apicem versus aut summo apice nigricantibus, tarsis fuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, fusiforme; segmento 1 parte antica latitudine longitudinis, vel paulo longiore, fere petioli longitudine; 2 margine rufo aut stramineo, interdum punctis duobus parvis castaneis obsoletis ante basin, rarius toto nigro; 3 rufo aut stramineo, rarius linea transversali nigra ante marginem; 4 interdum margine summo aut basi summa subrufescente.

Mares tres, circa *Sickershausen Niesky* et in *Regione Pedemontana* captos, accepi; pedemontanum differt a reliquis, segmento 2 toto nigro, 3 linea transversali nigra, trochanteribus totis nigris, femoribus posticis pallidioribus.

Varietas:

1. *Coxis rufis; abdomine nigro, segmentis 1 et 2 margine rufo.* m. — *Statura* et proportio partium individui gracilioris speciei genuinae. — *Longitudo* 1 ¾ linearum. *Antennae* articulo 1 fulvo. *Pedes* testaceorufi; postici coxarum basi femoribus tibiisque fuscis, his basi testaceostramineis. *Abdomen* capite thoraceque paulo brevius et paulo angustius, fusiforme, segmentis 1 et 2 margine rufo.

Marem unicum *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

247. H. LUTEIVENTRIS. n.

Segmentis 2 et 3 testaceis; femoribus anterioribus pro parte testaceis; tibiis testaceis, posticis apice nigro. m.

Statura et proportio partium omnino sicut in specie antecedente.

Longitudo 1 ½ linearum. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, radice exalbida, squamula nigra. *Pedes* colore variant: 1) Coxis et trochanteribus nigris, his apice testaceostramineis; femoribus anterioribus testaceis, superne basin versus nigris, posticis totis nigris; tibiis testaceis, posticis apice nigro; tarsis fuscis. 2) Coxis nigris; trochanteribus stramineotestaceis; femoribus nigris, mediis geniculo, anticis a medio ad apicem usque, pallidetestaceis; tibiis

anterioribus stramineotestaceis, mediis apice nigro, posticis fuscis basi testacea; tarsis rufescentibus. *Abdomen* segmentis 2 et 3, vel etiam basi quarti, testaceostramineis.

Unum marem varietatis 1 cepi mense Augusto, in fruticetis, circa *Warmbrunn*, alterum varietatis 2, mense Iulio in gramine prope *Vratislaviam*.

248. H. IMBECILLUS. n.

Segmentis 2 et 3 stramineo-pellucidis, apice nigris; femoribus anterioribus testaceis, basi fusca; tibiis testaceis, posticis apicem versus fuscis. m.

Statura angusta, linearis.

Longitudo 2 linearum. *Caput* mandibulis et labro badiis. *Antennae* tenues filiformes porrectae, corpore paulo breviores. *Thorax* cylindricus. *Alae* mediocres, hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula sordidestramineis; areolae quinqueangularis nervo exteriore tenerrimo. *Pedes* graciles; anteriores ferrugineostraminei, coxis et trochanterum basi nigris, femoribus a basi ultra medium fuscescentibus; postici nigri, summa femorum basi et trochanterum apice ferrugineostramineis, tarsis tibiisque fuscis, his basin versus stramineofuscescentibus. *Abdomen* vix capite thoraceque paulo longius et angustius, segmentis 2—6 aequilatis; segmento 1 sublineari, parte antica paulo latiore quam petiolus, latitudine duplo lon-

giore; 2 et 3 stramineis pellucentibus, lateribus et apice nigris; 4 summa basi substraminea.

Individuum unicum cepi die 14 Maji prope *Gottingam.*

Varietates:

1. *Segmento 2 rufo, margine nigro, 3 rufo, macula laterali nigra.* — *Statura* intermedia inter marem hujus speciei genuinum et *Hem. rufocinctum;* segmento 1 angusto sublineari, quemadmodum in mare genuino.

Longitudo 2 1/5 linearum. *Antennae* articulo 1 subtus rufo. *Pedes* sicut in mare genuino, colore autem illic stramineo hic rufo. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace vix paulo angustius, segmentis 2—6 sensim paulo latioribus; segmento 1 lineari, apicem versus vix paululum dilatato, canaliculato; 2 rufo, margine nigro; 3 rufo, macula laterali nigra. — Caetera sicut in mare genuino.

Unum cepi marem, die 5 Maji, in vallo *Gottingensi.*

2. *Femoribus anterioribus totis stramineo-testaceis; segmento 2 margine, 3 toto, stramineis.* m. — *Statura* maris genuini; affinis quoque *Phyg. teneriventri,* n. 181, segmento 1 autem breviore et latiore. — *Longitudo* parum ultra 2 lineas. *Caput* totum nigrum. *Alae* squamula nigra. *Pedes* stramineotestacei, coxis et trochan-

terum basi nigris; postici obscuriores, femoribus fuscis subtus basin versus testaceis, tarsis et tibiis fuscis, his basin versus testaceis. *Abdomen* segmento 2 summo margine stramineo, 3 toto stramineo. — Caetera mari genuino respondent.

Marem *genuensem* unicum *a Spinola* mecum communicavit.

249. H. OXYPHYMUS. n.

Segmentis 2—4 rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigris. m.

Hic mas ab omnibus hujus sectionis maribus, praeprimis a speciebus tribus antecedentibus, ad quas caeterum propius accedit, segmenti primi petiolo longiore lineari, parte antica latiore quadrata, tuberculis lateralibus acute prominentibus, differt.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ linearum. *Caput* palpis fusco-piceis. *Antennae* filiformes, corpore breviores. *Thorax* gibbulus. *Alae* fumatohyalinae; stigmate et radio fuscis, radice alba, squamula nigra. *Pedes* mediocres, coxis et trochanteribus nigris, his apice rufo; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro; tarsis fuscis, anticis articulo 1 rufo. *Abdomen* capite thoraceque paululum longius, at vix paululum angustius, depressiusculum fusiformi-oblongum; segmento 1 canaliculato, parte antica quadrata, paulo breviore et fere duplo latiore

quam petiolus linearis, tuberculis lateralibus acute prominentibus; 2—4 diluterufis.

Unicum cepi specimen, die 1 Augusti, in gramine prope *Warmbrunn.*

250. H. MELANOGONUS. n.

Segmentis 2 et 3 rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro. m.

Haec species affinis est sequenti et *floricolatori;* a sequente differt alis amplioribus, ab ambobus metathorace laevissimo, lineis duabus elevatis et tuberculis duobus acutis deficientibus. Vero etiam ad *Phygadeuontem speratorem,* n. 177 et ad *Phygadeuontem fumatorem,* n. 179 hic melanogonus adpropinquat.

Longitudo 2½—3 linearum. *Alae* subamplae, subhyalinae, stigmate radio et squamula nigris, radice flava; areola quinqueangulari vel omnino nulla, vel nervo exteriore obsoletissimo. *Pedes* subgraciles rufi, coxis et trochanteribus nigris; femoribus nonnunquam basi fuscescente, posticis apicem versus nigricantibus; tibiis posticis apice et summa basi nigricantibus; tarsis fuscescentibus. *Abdomen* vel capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel paulo longius et angustius, oblongum, subdepressum; segmento 1 rarius sublineari, plerumque petiolo apicem versus sensim latiore, parte antica subquadrata, breviore quam petiolus, interdum apice rufo, tuberculis lateralibus promi-

nulis; 2 vel rufo, punctis duobus dorsalibus fuscis subobsoletis, vel nigro, apice rufo; 3 vel toto rufo, vel margine aut angulis apicalibus nigris.

Individua quaedam, circa *Parisios* et *Genuam* capta, mihi transmissa sunt.

251. H. SCRUPULOSUS. n.

Metathorace bispino; segmentis 2 et 3 rufis; femoribus tibiisque rufis, posticis apice nigro; antennarum articulis 2—4 rufis. m.

Longitudo 2⅓ linearum. *Antennae* filiformes, corpore breviores, articulis 2—4 rufis. *Thorax* gibbulocylindricus, metathoracis tuberculis duobus minutis acutis. *Alae* mediocres, subfumato-hyalinae, disco subnubeculoso, stigmate et radio fuscis, radice straminea, squamula nigra. *Pedes* subgraciles rufi, coxis et trochanterum basi nigris; postici tarsis nec non femorum tibiarumque apicibus nigris; medii tarsis et tibiarum apice fuscescentibus. *Abdomen* depressiusculum, capitis thoracisque longitudine, vix thoracis latitudine, oblongoovatum; segmento 1 canaliculato sublineari, apicem versus sensim paulo latiore, latitudine triplo longiore; 2 et 3 rufis.

Marem unicum *genuensem a Spinola* mecum communicavit.

Varietas:

1. *Metathorace mutico, coxis rufis, femoribus posticis nigris.* m. — *Longitudo* 2⅓ linea-

rum. *Antennae* articulis 2 et 3 rufis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, radice straminea, squamula fulva. *Pedes* antici rufi, tarsis nigricantibus; medii rufi, femorum latere externo, tibiarum apice, tarsisque nigris; postici nigri, trochanteribus et coxis rufis, his macula nigra, tibiis basin versus ferrugineis. *Abdomen* segmentis 2 et 3 rufis, hoc fascia nigra ante marginem.

Marem *austriacum* unum *Dahlio* debeo.

Nota:

Hanc speciem, nisi areola careret, pro varietate *Phygadeuontis fumatoris*, n. 179, habere periculum facerem.

252. H. PALPATOR.

Segmentis 2 et 3, basi antennarum, pedibusque rufis; horum posticis apice femorum et tibiarum nigro. m. f.

Longitudo 2—3 linearum. *Caput* mandibulis plerumque medio rufis. *Antennae* subfiliformes; *maris* corpore breviores, apice subcurvatae, articulis 1—3 rufis, interdum supra nigris; *feminae* paulo breviores et crassiores, recurvatae, articulis 1—9—12 rufis, 1 interdum fusco. *Thorax* gibbulus aut cylindricogibbulus, metathorace feminae tuberculis 2 acutis armato. *Alae* mediocres, disco

plerumque fumatohyalinae seu nubeculosae, apice subhyalinae, plerumque macula hyalina pone stigma, hoc radioque nigris, radice testaceostraminea, squamula picea aut nigra, rarius rufa. *Pedes* mediocres aut subgraciles; postici tibiarum apice et geniculis, rarius femoribus fere totis, nigris, tarsis fuscescentibus aut nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, *maris* thorace paulo angustius, oblongum, *feminae* thoracis latitudine ovatum; segmento 1 canaliculato, *maris* sublineari, rarius nigro apice rufo, plerisque basin versus badio, medio nigro, apice rufo, parte antica latitudine duplo longiore, *feminae* nigro, apice rufo, parte antica quadrata, plus duplo latiore quam petiolus; 2 et 3, interdum quoque basi, vel etiam lateribus, quarti, rufis aut castaneis; 3 interdum disco fusco; 7 membrana exalbida terminato. *Aculeus* vel dimidio abdomine paulo longior vel abdominis longitudine.

Mares et feminas plures *austriacos*, feminasque nonnullas circa *Warmbrunn* et *Halam Saxonum* lectas, accepi. — Individuum marium minorum, articulis 1—3 antennarum supra nigricantibus, alis totis hyalinis, squamula rufa, segmento 1 nigro, apice rufo, 3 disco fusco, a reliquis maribus discedens, *Schummelio* prodibat, mense Iulio anni 1827, *e folliculo, ovis araneae cujusdam repleto.* Folliculi singuli teneri albosericei diaphani orbiculato-ovati rete laxissimo dilute-flavonitente circumneti erant. Copiam horum folliculorum, singulatim filo longitudine 2—6 linearum

suspensorum, Schummel invenit ad parietem horti prope *Vratislaviam*.

Varietates:

1. *Coxis posticis basi nigris*. m. — *Longitudo* 2⅓ linearum. *Caput* palpis sordidestramineis. *Antennae* rufae, apicem versus fusconigrae. *Alae* fumatohyalinae; stigmate, multo minore quam in mare genuino, radioque piceis, radice et squamula flavis. — Caetera sicut in maribus plurimis genuinis.

Marem unicum *Besser* e *Volhynia* mihi transmisit.

2. *Pedibus totis rufis*. f. — *Longitudo* 1½—2 linearum. *Antennae* vel articulo 1 fusco, subtus rufo, 2—4 fuscoferrugineis, reliquis fuscis, vel articulis 1—10 rufis. *Thorax* metathorace plurimis mutico. *Alae* ut in plurimis feminis genuinis, squamula autem interdum testacea. *Pedes* toti rufi. *Abdomen* segmento 1 vel apicem versus sensim dilatato, parte antica interdum angustiore quam in femina genuina, vel petiolo sublineari, parte antica transversali, breviore et duplo latiore quam petiolus, apice semper rufo aut castaneo; 2 et 3 rufis, 3 interdum linea transversali fusca; 7 membrana albida terminato. *Aculeus* vel abdomine paulo brevior, vel dimidii abdominis longitudine.

Feminae tres, circa *Warmbrunn Sickershausen* et *Parisios* captae, mecum communicatae sunt.

3. *Pedibus totis segmentisque 2—4 ruſis.* f. — *Longitudo* 2—2½ linearum. *Caput* palpis et mandibularum medio ut plurimum ferrugineis. *Antennae* plerumque paululum breviores et subcrassiores quam ſeminis genuinis, basin versus ferrugineis aut ruſis, articulis 1 et 2, vel 1 ſolo, subtus fulvis. *Alae* ut in ſeminis genuinis, ſquamula autem straminea aut fulva; areola alae sinistrae individui austriaci completa quinqueangulari. *Pedes* plerumque toti ruſi; in individuo austriaco autem coxis et trochanteribus pallidioribus, tibiarum posticarum apice subnigricante. *Abdomen* segmento 1 apice ruſo aut castaneo; 2—4 ruſis; 5—6 rarius margine castaneo; ultimo, vel etiam penultimo, membrana albida terminato. *Aculeus* dimidio abdomine longior.

Duas cepi feminas, mensibus Iunii et Iulii, in gramine circa *Vratislaviam* et *Pepelwitz;* aliae quaedam, circa *Warmbrunn Vindobonam Sickershausen* et *Genuam* captae, mihi missae sunt.

4. *Coxis omnibus et femoribus posticis nigris.* m. — *Longitudo* 2⅔ linearum. *Pedes* paulo graciliores quam in maribus genuinis, ruſi; anteriores coxis nigris apice ruſo; postici coxis femoribusque nigris, tibiis ferrugineis, apice et ante basin nigris. *Abdomen* segmento 1 basi ferrugineo, medio nigro, apice stramineo; 2 et 3 stramineis, 2 margine pallidiore, 3 vitta dorsali fusca; 4 fascia picea. — Caetera ut in mare genuino.

Marem unum *austriacum Dahl* mecum communicavit.

5. *Pedibus segmentisque 2 et 3 rufis, nigromaculatis.* f. — *Longitudo* 2½ linearum. *Antennae* articulo 1 fusco, subtus rufo, 2 toto rufo, 3—7 fuscis subtus ferrugineis, sequentibus totis fusconigris. *Alae* fuscohyalinae, apice et fascia discoidali subhyalinis, stigmate dimidiato-albo et nigro, radio fusco, radice alba, squamula nigra. *Pedes* antici rufi, femorum latere convexo nigro; medii rufi, femorum medio et tibiarum apice nigris; postici coxis rufis, supra nigris, trochanteribus rufis, femoribus nigris basi summa rufa, tibiis fuscoferrugineis apice nigro, tarsis fuscis. *Abdomen* segmento 2 rufo, macula dorsali nigra, 3 basi rufa. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior.

Unam feminam *a Steven* e *Tauria* transmisit.

Synonyma:

Ichn. palpator Müll. Prodr. n. 1832.

Nota:

Variat haec species antennarum longitudine et crassitie (var. 3), pedum proportione (var. 4), feminae segmenti primi parte antica vel quadrata (spec. genuin.) vel transversali vel latitudine longiore (var. 2), aculei longitudine etc. Areola quinqueangularis omnibus individuis plus minus incompleta est, prout vestigium nervi exterioris obsoletius aut distinctius se ostendit. Individua,

quibus areola minus incompleta est, ad familiam secundam hujus generis transeunt. Specimen genuense varietatis tertiae adeo cum *Cr. hortulano*, n. 107 familiae secundae, convenit, ut fere me invito ab hoc sejunxerim; specimen austriacum autem, areola quinqueangulari alae dextrae incompleta sinistrae completa, antea cum *Cr. perfusore*, n. 114 familiae secundae, a me conjunctum erat. Idem specimen austriacum quodammodo etiam medium tenet inter familiam secundam et tertiam, antennis enim gracilioribus terebraque longiore magis convenit cum familia secunda, pedibus crassioribus autem cum familia tertia. — Individuum warmbrunnense varietatis secundae, segmento 1 angustiore, medium tenet inter hujus speciei feminas genuinas et *Hem. melanopygum*, n. 263, cum hoc melius congruens ratione segmenti primi, cum *palpatore* melius ratione aculei.

253. H. VARITARSUS. n.

Segmentis 2—4 rufis; pedibus rufis, posticorum coxis, nec non apice summo femorum tibiarum et articulorum tarsi, nigris. f.

Longitudo parum ultra 2 lineas. *Caput* palpis rufis. *Antennae* filiformes subgraciles, corpore breviores, articulo 1 subtus ferrugineo. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice albida, squamula testacea. *Pedes* mediocres rufofulvi; postici coxis nigris, subtus

apice rufo, femorum tibiarum et articulorum tarsi summo apice nigro. *Abdomen* capitis thoracisque latitudine et longitudine, vel paulo longius, oblongum; segmento 1 sublineari canaliculato, apicem versus perparum latiore; 2—4 et basi quinti rufofulvis. *Aculeus* longitudine sextae partis abdominis.

Unam feminam *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

254. H. INIMICUS. n.

Abdomine ante basin pedibusque rufis. f.

Longitudo 2¼—3 linearum. *Caput* palpis testaceopiceis, mandibulis interdum macula rufa. *Antennae* filiformes, dimidio corpore paulo longiores, graciles, apice curvatae, articulo 1 subtus interdum obscuroferrugineo. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae, stigmate et radio nigris, radice alba, squamula alba aut flavescente, rarius fusca. *Pedes* mediocres rufi, tibiis posticis ut plurimum apice fusco. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum, apice compressiusculum; segmento 1 vel rufo, petiolo nigro, vel nigro, margine rufo, canaliculato, petiolo brevi, parte antica subquadrata aut latitudine paulo longiore, duplo latiore quam petiolus, hujus autem longitudine; 2 rufo, interdum scrobiculo dorsali ante basin, 3 rarius toto nigro, plerumque

rufo, a medio ad apicem usque nigro; 6 et 7 membrana marginali albida distinctiore aut obsoletiore; segmentis ultimis interdum compressis, 4 et 5 ventre acute prominentibus. *Aculeus* abdominis longitudine aut paulo brevior.

Unam feminam cepi mense Iunio in fruticeto prope *Scheidnich* eamque minorem, segmento 1 nigro, margine rufo, subcanaliculato, 2 absque scrobiculo, aculeo longiore; aliae quaedam, circa *Vratislaviam*, *Pless* (mense Septembri), *Hannoveram* et *Trajectum ad Moenum* (haec sola segmento tertio toto nigro) captae, mecum communicatae sunt.

255. H. DECIPIENS. n.

Segmentis 2—4 rufis, lateribus fuscis; pedibus rufis, tarsis fuscis. f.

Longitudo 2¼ linearum. *Caput* mandibularum medio badio. *Antennae* porrectae, corpore breviores. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, radio et stigmate nigris, squamula et radice stramineis. *Pedes* graciles, rufi; postici tarsis et summo apice tibiarum fuscescentibus. *Abdomen* ovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 subcanaliculato, apicem versus sensim paulo latiore, latitudine triplo longiore, apice rufo; 2 et 3 rufis, macula laterali fuscescente; 4 rufo, lateribus fuscis, apice

nigro; 5—7 marginibus summis albentibus. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior.

Hanc feminam *Roentgen* cepit circa *Niesky*.

256. H. LUTEOLATOR. n.

Segmentis 2 et 3 rufis, fuscomaculatis; femoribus anterioribus rufis, macula nigra aut fusca; tibiis anterioribus et posticarum basi testaceis. m. f.

A speciebus confinibus haec differt segmento primo exacte lineari. *Longitudo* 2—2⅓ linearum. *Caput* palpis, vel etiam clypeo, substramineis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore paululum longiores, apice subcurvatae. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres hyalinae; stigmate et radio fuscopiceis, radice et squamula stramineis, hac nonnunquam picea. *Pedes* mediocres, rufostraminei, tibiis pallidioribus; coxis et trochanteribus basi nigrofuscis, trochanteribus anterioribus rarius totis stramineis; femoribus posticis totis, anterioribus supra plus minus, nigris aut fuscis; tibiis posticis ut plurimum fuscis, basi sordidealbida aut straminea, rarius solo apice nigricante; tarsis posticis plerumque fuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel paulo longius et angustius, oblongum, rarius sublineare; segmento 1 exacte lineari, parte antica latitudine plus duplo longiore, petioli longitudine vel paululum longiore quam petiolus;

2 et 3 dilute rufis, macula laterali fusca aut fuscescente, rarius fascia nigra; 4 et 5 haud raro basi stramineis aut rufis. *Aculeus* dimidiae aut tertiae partis abdominis longitudine.

Plures mares et feminas, par quoque copula junctum, *Manger* legit circa *Warmbrunn*. Marem et feminam *Sturm* etiam circa *Norimbergam* cepit. Marem, prope *Trajectum ad Moenum* captum, *de Heyden* mihi transmisit.

Varietates:

1. *Segmentis 2—4 totis rufis.* f. — Caetera sicut in individuis speciei genuinae aculeo breviore.

Hanc feminam *pedemontanam Bonellio* debeo.

2. *Femoribus et segmentorum 2 et 3 dorso stramineis.* f. — *Longitudo* 1 ¾ linearum. *Caput* palpis albidis; clypeo et mandibulis stramineis, his basi apiceque obscuris. *Antennae* fuscoferrugineae. *Alae* hyalinae; stigmate radio radice squamula omnibusque nervis stramineis. *Pedes* straminei, femoribus posticis paulo obscurioribus; coxis omnibus fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, oblongum, fuscescens, segmentis 2 et 3 dorso stramineis. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine, subfuscus.

Hanc feminam, circa *Friburgum* in *Brisgovia* captam (forsan decoloratam) *Menzinger* mecum communicavit.

257. H. INUSTUS. n.

Limbo segmenti secundi pedibusque anterioribus rufis, coxarum basi nigra; pedibus posticis nigris, tarsis et basi femorum tibiarumque rufis. m.

Statura et proportio partium omnino varietatis quartae *H. palpatoris*, n. 252.

Longitudo 2½ linearum. *Alae* fumatohyalinae; stigmatis nigri apice summo albido, radio et squamula fuscis, radice albida; areola quinqueangulari pyramidata, nervo exteriore tenuissimo. *Pedes* antici rufi, coxarum basi fusca; medii rufi, coxis nigris apice rufo, femoribus superne macula fusca; postici nigri, trochanteribus et femorum basi rufis, tarsis et tibiis rufoferrugineis, his apice nigro. *Abdomen* segmento 2 rufo, macula magna dorsali nigra; 3 angulis baseos rufis.

Bonelli hunc marem *pedemontanum* mihi transmisit.

258. H. FRAGILIS. n.

Segmentis 2—4 dorso rufis; pedibus rufostramineis, posticorum tarsis et apice femorum tibiarumque nigris; antennis subtus basi rufis. f.

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis pallidestramineis, medio mandibularum castaneo. *An-*

tennae tenues, corpore breviores, subfiliformes, apice subrecurvatae, fuscae, subtus basin versus rufescentes. *Thorax* gibbulus. *Alae* subamplae, hyalinae, stigmate et radio piceis, radice et squamula albidis; areolae quinqueangularis nervi exterioris vestigio obsoleto. *Pedes* graciles; anteriores straminei, coxis et trochanteribus pallidioribus; postici testacei, geniculis tarsis nec non tibiarum apice et basi nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 sublineari, apicem versus sensim paulo dilatato, latitudine plus triplo longiore; 2 rufo, basi nigra; 3 rufo, macula laterali nigra; 4 nigro, dorso castaneo. *Aculeus* fere longitudine abdominis.

Unicam cepi feminam die 26 Maji in collibus *Gleichen* haud procul a *Gottinga*.

259. H. NECATOR.

Abdominis medio pedibus ore et antennarum basi subtus stramineis. m. f.

Statura et proportio partium maris sicut in *imbecillo*, n. 248 (an ejus varietas?); feminae sicut in *luteolatore*, n. 256, corpore paulo angustiore.

Longitudo 1 lineae. *Caput* ore stramineo. *Antennae maris* porrectae, filiformes, corpore paulo longiores; articulis 1—3, aut solo 1, sub-

tus stramineis; *feminae* fuscoferrugineae, articulo 1 subtus pallidiore (articulis ultimis deficientibus). *Thorax* gibbulus, maris interdum fuscoferrugineus. *Alae* subamplae, hyalinae, irideae, stigmate et radio stramineopiceis, radice et squamula pallidestramineis; areola quinqueangulari, nervo exteriore tenuissimo, individuo alteri masculo, in ala sinistra, transversa irregulari. *Pedes* graciles, toti straminei. *Abdomen* maris depressiusculum, feminae teres, capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, oblongoovatum; segmento 1 lineari, aut vix apicem versus latiore, latitudine fere quadruplo longiore, maris interdum apice piceo; 2 stramineo, maris rarius piceo; 3 feminae nigro basi straminea, maris vel stramineo vel fusco; sequentibus feminae nigris, maris vel totis fuscis, vel stramineis dorso ultimorum fusco. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine.

Marem unum cepi, mense Iunio, in gramine circa *Vratislaviam;* alterum, abdomine toto fusco, thorace fuscoferrugineo, *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen* cepit; feminam, circa *Warmbrunn* captam, *Manger* mecum communicavit.

Synonyma maris:

Ichn. necator Fabr. Gen. Mant. p. 246, n. 74—75 (habitant larvae in phalaenarum larvis, quas folliculis associatis albis obtegunt)
— Ent. p. 178, n. 185.
„ Villers p. 179, n. 133.

Ichn. necator Olivier p. 194, n. 151.
„ Gmelin ed. Linn. p. 2696, n. 161.
Cryptus necator Fabr. Piez. 88, n. 79.

Nota:

Ichn. necator Thunb. Ichn., n. 355 (abdomine sessili, segmentis 1 et 2 rufis, ano nigro, pedibus rufis) huc haud referri potest. — Forsan autem *Ichn. necator* auctorum laudatorum ad genus *Microgastrorum* redigendus est. — *I. necator* Scharfenbergii differre videtur.

260. H. TENERRIMUS. n.

Abdominis medio piceo; pedibus anterioribus stramineis, trochanteribus albis, coxis basi nigris; pedibus posticis fuscis, tibiarum basi straminea; antennarum articulo 1 subtus albo. m.

Longitudo 1 lineae. *Antennae* porrectae graciles filiformes, corporis fere longitudine; articulo 1 subtus albo. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula albidis. *Pedes* mediocres; anteriores coxis nigris apice albido, trochanteribus albidis, femoribus fuscis, interne stramineis, basi apiceque pallidioribus, tibiis et tarsis stramineis; postici coxis nigris, trochanteribus fuscis apice stramineo, femoribus fuscis, tibiis stramineis apicem versus fuscescentibus, tarsis fuscis. *Abdomen*

capitis thoracisque longitudine, thorace paululum angustius, fusiforme, subpetiolatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore; 2 et 3 fuscopiceis, incisura straminea; 4 basi fuscopiceo.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Hemiteles.

261. H. MICATOR.

Abdominis medio pedibus palpisque stramineis; antennarum articulo 1 subtus rufo. m. f.

Statura et proportio partium *maris* sicut in *imbecillo*, n. 248, sed abdomine breviore, segmento 1 paulo angustiore. *Femina* differt a specie sequente, statura graciliore et debiliore, praesertim capite minore et cellulae interioris nervi dividentis vestigio nullo; a *necatore*, n. 259, segmento 1 latiore.

Longitudo maris 1, feminae 1—1 ⅔ linearum. *Caput* palpis, vel etiam mandibulis, stramineo-pallidis. *Antennae* articulo 1 subtus rufo, hoc colore in feminis nonnullis obsoletiore; articulis reliquis interdum in femina ferrugineis. *Thorax* feminae rarius obscurobadius. *Alae* subhyalinae, maris hyalinae, irideae, stigmate et radio maris fuscis, feminae stramineis, rarius piceis, radice et squamula albidis, hac interdum testacea; cellulae interioris nervo inferiore exteriore leniter arcuato, absque omni vestigio nervi dividentis.

Pedes straminei, feminae interdum testacei aut coxis posticis superne fuscis. *Abdomen maris* sublineare, capite thoraceque paulo brevius et angustius; segmento 1 sublineari, parte antica paulo latiore et paulo breviore quam petiolus, latitudine paulo longiore; 2 stramineo; 3 basi substraminea; *feminae* segmento 1 apicem versus plus minus dilatato, rarius sublineari, latitudine plus duplo aut fere plus triplo longiore; 2 dorso testaceo aut stramineo; 3 rarius toto nigro, ut plurimum dorso, imprimis basin versus, testaceo aut rufo; 4 et 5 plerumque fuscis aut nigris, rarissime dorso subtestaceo; 6 et 7 nigris aut fuscis. *Aculeus* longitudine tertiae aut quartae partis abdominis.

Marem unicum cepi die 12 Iulii in fruticeto horti prope *Scheidnich*, feminam circa *Helmstadium* aut *Gottingam*. Feminas multas autem *Manger* circa *Warmbrunn* legit, unamque a *Steven* e *Tauria* transmisit.

Varietates:

1. *Pedibus rufis, posticis femorum et tibiarum apice nigro.* m. — *Longitudo* 1 ⅓ linearum. *Abdomen* oblongum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, segmento 2 stramineo, 3 margine summo subrufescente. — Caetera sicut in mare genuino.

Unicum individuum cepit *Manger* circa *Warmbrunn*.

2. *Abdomine toto fuscopiceo, antennis totis nigris.* f. — *Longitudo* 1 lineae. *Aculeus* longitudine quartae partis abdominis. — Caetera feminae genuinae respondent.

Hanc feminam *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen* cepit.

Synonyma feminae:

Ichn. micator Grav. Uebers., n. 3748.

Nota:

Feminae cum *meridionali* sequente et cum *necatore*, n. 259, arctissime cognatae sunt, ut facile cum eis conjungi possent. A *necatore* non nisi segmento 1 latiore differunt; sed etiam in his feminis forma et proportio illius segmenti haud semper eaedem sunt, quaedam enim segmento 1 lineari, quaedam eo apicem versus dilatato gaudent.

262. H. MERIDIONALIS. n.

Abdominis medio, pedibus, antennarum articulo primo subtus, rufis; ore stramineo. f.

Longitudo 1⅔ — 2 linearum. *Caput* palpis mandibulisque stramineis. *Antennae* graciles filiformes, corpore breviores, fuscae aut ferrugineae, supra obscuriores, articulo 1 subtus rufo. *Thorax* gibbulus, metathorace tuberculis duobus parvis acutis. *Alae* hyalinae, stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula albis; cellula

interiore nervi dividentis rudimento parvo. *Pedes* mediocres rufi; postici interdum tarsis et tibiarum apice, rarius etiam femorum summo apice, fuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine fere triplo longiore, margine, interdum parte antica fere tota, rufo; 2 et 3 rufis, 3 apice nigro. *Aculeus* vix abdominis quarta parte longior.

Plures feminas *genuenses a Spinola* mecum communicavit.

Nota:

Conferas notam ad speciem antecedentem.

263. H. MELANOPYGUS. n.

Abdomine rufo, apice nigro; pedibus et antennarum basi rufis. f.

Statura et proportione partium haec species omnino tenet medium inter feminas speciei antecedentis et sequentis, antennis pedibusque paulo gracilioribus quam in sequente, fortioribus autem quam in antecedente.

Longitudo 1 — 1⅔ linearum. *Caput* palpis rufis. *Antennae* rufae, apicem versus nigrae. *Thorax* interdum collo et metathoracis dorso castaneis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis aut substramineis, radice et squamula albidis; areola quinqueangulari regulari, nervo ex-

teriore tenui aut obsoleto. *Pedes* rufofulvi. *Abdomen* segmento 1 apicem versus perpaululum sensim dilatato, vel toto rufo, vel rufofusco apice pallidiore; 2 et 3 rufofulvis, 3 interdum apice fuscescente; 4 vel toto nigro, vel basi subtestaceo; sequentibus nigris aut fuscis, ultimo subtestaceo. *Aculeus* vel tantum quartae aut tertiae partis abdominis, vel hujus dimidii, longitudine, fuscus, terebra rufa compressa, vaginis apicem versus crassioribus.

Feminas quatuor, quarum duae majores, aculeo breviore, a minoribus differunt, *Manger* legit circa *Warmbrunn.*

Nota:

Conferas notam ad *Cr. palpatorem*, n. 252.

264. H. DUBIUS. n.

Segmento secundo, antennarum basi, pedibusque rufis, coxis posticis basi nigris. f.

Statura et proportione partium, praesertim antennis, *Hem. fulvipedis* feminae exacte respondet; segmento 1 autem angustiore differt. A *meridionali*, n. 262, hic pedibus abdomine et segmento primo brevioribus, nec non antennarum forma, discernitur. Quaedam individua *Phygadeuontis fumatoris*, n. 179, adpropinquant ad nostrum *dubium*, sed areola completa et aculeo paululum longiore distincta sunt.

Longitudo 1 ⅕ linearum. *Antennae* vel solo articulo 1 subtus rufo, vel articulis 1 — 5 totis rufis. *Alae* hyalinae; stigmate et radio piceis, pallidioribus aut obscurioribus, radice et squamula albis. *Pedes* diluterufi; postici coxarum basi, vel etiam latere supero femorum apicem versus fuscescentibus; tibiis apice subfuscescente. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 sublineari, apicem versus sensim paululum dilatato, latitudine fere triplo longiore; 2 rufo, interdum margine nigricante; 3 vel toto nigro, vel basi rufo. *Aculeus* tertiae partis abdominis longitudine.

Duas feminas *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

265. H. VARICORNIS. n.

Segmento secundo pedibusque fulvis, horum posticis apice femorum et tibiarum nigro; antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium omnino praecedentis; aculeo breviore.

Longitudo 1 lineae. *Antennae* articulis 1—5 testaceofulvis, 6—8 fuscis, 9—11 albis, sequentibus nigrofuscis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio stramineopiceis, illo basin versus pallido, radice et squamula pallidestramineis. *Pedes* testaceofulvi; postici apice femorum et tibiarum nigricante, tarsis fuscis. *Abdomen* segmento 2 toto,

3 summa basi, dilute fulvis. *Aculeus* longitudine sextae partis abdominis.

Feminam unicam *de Heyden* cepit circa *Trajectum ad Moenum*.

266. H. DORSALIS. n.

Segmentis 2 — 7 dorso testaceis; pedibus fulvis (maris) aut stramineis (feminae), coxis posticis basi fuscis; ore et antennarum articulo 1 subtus stramineis. m. f. (*Mas* macula faciali straminea).

Statura et proportio partium speciei insequentis; sed segmento primo angustiore.

Longitudo 1⅓ — 1¾ linearum. *Caput* ore pallidestramineo, maris macula faciali straminea. *Antennae* articulo 1 subtus pallidestramineo, sequentibus fuscis, subtus interdum fuscoferrugineis. *Alae* amplae, hyalinae, irideae, stigmate et radio pallidepiceis, radice et squamula albidis; areola maris quinqueangulari incompleta, feminae subtriangulari sessili. *Pedes* maris fulvi, feminae pallidestraminei; tibiis trochanteribusque omnibus, coxisque anterioribus, pallidioribus, coxis posticis basi fuscescentibus. *Abdomen* petiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel paulo latius, ovatum; segmento 1 sublineari, apicem versus sensim paululum dilatato, maris petiolo tenuiori quam feminae; 2 macula dorsali majore minoreve, interdum dorso toto, rufostra-

mineo; sequentibus dorso rufostramineo, ultimis feminae fere totis stramineis. *Aculeus* exsertus perbrevis subsursumerectus, fuscus.

Mares tres unamque feminam, circa *Warmbrunn* lectos, *Manger* ad me transmisit.

Nota:

Ob formam differentem areolae amborum sexuum quaeritur, numne mares a femina sejungendi sint.

267. H. CHRYSOPYGUS. n.

Abdominis apice pedibusque fulvis; coxis anterioribus facieque albis. f.

Statura micatoris, n. 261, sed corpore toto pedibusque crassioribus, segmento primo latiore.

Longitudo paulo ultra 1 lineam. *Caput* ore et facie albidis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore longiores. *Thorax* gibbulus. *Alae* amplae hyalinae irideae, stigmate et radio stramineis, squamula et radice albis. *Pedes* mediocres; anteriores coxis et trochanteribus albidis, caeterum fulvis aut pallidestramineis; postici fulvi aut straminei, trochanterum et coxarum apice, nec non tibiarum basi, pallidioribus, coxis interdum basi fuscescente. *Abdomen* ovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, petiolatum, nitidum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore; 4 apice fulvo; reli-

quis totis fulvis. *Aculeus* exsertus perbrevis niger.

Duo individua *Manger* circa *Warmbrunn* cepit.

268. H. CONTAMINATUS. n.

Margine segmentorum anteriorum et posteriorum testaceo, pedibus oreque stramineis, antennis tricoloribus. f.

Haec femina *habitu* magis congruit cum *Cr. seductorio* et *melanoleuco* e familia secunda; aculeum quoque gerit suberectum; sed nervis alarum et forma segmenti primi ab eis differt.

Longitudo fere 2 linearum. *Caput* ore stramineo. *Antennae* graciles filiformes curvatae, corpore paulo breviores, fuscae, medio late alboannulatae, basin versus testaceae, articulis cylindricis arctissime inter se junctis, vix distinctis. *Thorax* gibbulocylindricus. *Alae* amplae subfumatohyalinae irideae, stigmate et radio piceotestaceis, radice straminea pallida, squamula rufa. *Pedes* graciles stramineofulvi. *Abdomen* petiolatum, capitis thoracisque longitudine, thorace paulo angustius, fusiforme, apice compressiusculo truncato; segmento 1 lagenaeformi, parte antica longitudine petioli, latitudine duplo longiore, duploque latiore quam petiolus; 1 et 2 margine testaceorufo, ultimis margine stramineo.

Aculeus oblique erectus, vix dimidii abdominis longitudine.

Feminam unicam *pedemontanam Bonelli* mihi transmisit.

269. H. FLORICOLATOR.

Abdominis medio et pedibus rufis; articulo primo antennarum subtus ferrugineo. f.

Longitudo 2—2¾ linearum. *Caput* palpis fuscis, medio mandibularum nonnunquam castaneo. *Antennae* filiformes graciles, corpore breviores, apice incurvae, ferrugineae aut nigrofuscae articulo 1 subtus ferrugineo. *Thorax* gibbulo-cylindricus. *Alae* subamplae hyalinae; stigmate et radio vel stramineis vel piceis vel nigris, radice et squamula stramineis, hac interdum picea; areola quinqueangulari, nervo exteriore tenuissimo. *Pedes* mediocres rufi aut testaceorufi, tarsis posticis interdum fuscescentibus. *Abdomen* thoracis latitudine, eo autem paulo longius, oblongum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore, distinctius aut obsoletius canaliculato, apice ut plurimum rufo-fuscescente aut rufo; 2 et 3 rufis aut testaceis, 3 interdum margine nigricante, sequentibus fuscis aut nigris, 4 interdum basi rufa, 5 interdum lateribus rufis. *Aculeus* longitudine abdominis, aut paulo brevior, fuscus, terebra rufa.

Individuum unum cepi circa *Gottingam*, alterum, mense Iunio, in *Hercynia;* duoque accepi circa *Warmbrunn* et *Friburgum* capta.

Varietas:

1. *Coxis posticis, interdum etiam basi anteriorum, nigris.* m. — *Statura* et proportio partium *H. rufocincti*, n. 246. *Longitudo* 1⅔—fere 2 linearum. *Antennae* articulo 1 subtus interdum rufo. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscopiceis, squamula et radice albis. *Pedes* rufi; coxis anterioribus interdum nigris apice rufo, posticis nigris; femoribus posticis interdum apice fusco. *Abdomen* segmento 2 rufo, interdum macula laterali nigra; 3 vel rufo, apice nigro, vel toto badio; 4 interdum macula dorsali rufescente.

Mares duos *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Synonyma feminae:

Ichn. floricolator Gravenh. Uebers. n. 3750.

270. H. DISSIMILIS. n.

Segmento tertio tibiisque anterioribus rufis; metathorace subbispino. m.

Statura et proportio partium maris insequentis; pedibus autem antennisque paulo crassioribus et brevioribus, metathorace bispino.

Longitudo 3 linearum. *Antennae* porrectae, longitudine 2 linearum. *Thorax* metathoracis

tuberculis duobus acutis. *Alae* fumatohyalinae irideae, stigmate nigro basin versus stramineo, radio fusco, radice testacea, squamula nigra. *Pedes* antici tibiis et apice femorum rufis; medii geniculis tibiisque rufis, harum apice attamen nigro; postici tibiis extra ante basin obscuroferrugineis. *Abdomen* segmento 2 margine et punctis duobus dorsalibus contiguis castaneis; 3 rufocastaneo, angulis apicalibus nigris.

Specimen unicum a *Steven* e *Tauria* transmisit.

271. H. TENUICORNIS. n.

Segmentis 2—6, tibiis anterioribus et femorum apice castaneis. m. f. (*fem.* alarum nubecula fusca).

Longitudo maris 2¼— fere 3, feminae 2—3½ linearum. *Antennae* graciles, filiformes, corpore paulo breviores, porrectae, apice subincurvae, mari paulo breviores quam feminae. *Thorax* subgibbus, metathorace tuberculis duobus acutiusculis, in minoribus individuis obsoletis. *Alae* mediocres hyalinae, feminae sub stigmate fusco fumigatae, radio et squamula fuscis, radice exalbida; areola quinqueangulari, nervo exteriore tenui interdum obsoletissimo. *Pedes* graciles, rufi aut fuscocastanei; coxis et trochanteribus nigris; femoribus vel rufescentibus, supra versus basin nigricantibus, vel nigricantibus apice summo rufo; posteriores tibiis tarsisque fuscis aut nigricantibus.

Abdomen maris capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, fusiforme; segmento 1 sublineari aut apicem versus paululum dilatato, nigro; 2—6 rufis; 7 nigro; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum subsericeum; segmento 1 laeviusculo, apicem versus sensim dilatato, latitudine plus duplo aut triplo longiore, nigro, apice plerumque rufo aut castaneo; 2—6 rufocastaneis; 7 fuscescente, rarius castaneo. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine, aut paulo longior, fuscus, terebra rufa.

Nonnullos mares pluresque feminas *Manger* legit circa *Warmbrunn.* Ipse feminas cepi singulas circa *Gottingam*, mense Iunio prope *Scheidnich*, die 28 Septembris prope *Trajectum ad Viadrum*, in loco aprico herbaceo dumetoso; unam, circa *Niesky* captam, *Roentgen* mihi dedit.

Nota:

Haec eadem est species, quam in Uebers. n. 3774 pro *Ichneumone armatore* Fabricii receperam, qui autem, propter aculeum brevem, huc non spectat.

Hemiteles.

272. H. RIDIBUNDUS. n.

Abdominis medio, femoribus tibiisque, rufis; harum posticis apice nigricante. f.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* mandibulis interdum medio piceis. *Antennae* filiformes, cras-

siores quam in plurimis hujus familiae speciebus, dimidio corpore paulo longiores, apice incurvae; articulis 4—6 interdum fuscoferrugineis. *Thorax* gibbus aut gibbocylindricus, tuberculis duobus subacutis metathoracis. *Alae* fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice albostraminea; areola quinqueangulari, nervo exteriore tenui. *Pedes* mediocres rufi, trochanteribus et coxis nigris; postici tarsis et tibiarum apice subobscurioribus aut nigricantibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum; segmento 1 laevi, apicem versus sensim dilatato, apice rufo aut castaneo, parte antica breviore et triplo latiore quam petiolus, transversa; 2—4 rufis aut castaneis, 4 interdum margine nigro; reliquis nigris, interdum membrana albida marginatis. *Aculeus* vix dimidio abdomine paulo longior.

Unum individuum *genuense a Spinola* mecum communicavit; alterum vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

273. H. VICINUS. n.

Segmentis 2—4 castaneis; tibiis anterioribus totis, posticis et femoribus pro parte, rufis. f.

Statura et proportio partium feminae praecedentis, sed abdomine et segmento primo adhuc brevioribus et latioribus, thorace minus gibbo, antennis longioribus et gracilioribus.

Longitudo 2 linearum vel paulo ultra. *Antennae* graciles filiformes, corpore breviores. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice alba, squamula nigra. *Pedes* rufi aut castanei; anteriores trochanteribus coxis et femorum basi nigris, tarsis fuscis; postici coxis, trochanteribus, tibiarum femorumque apice, tarsisque, ut plurimum etiam femorum latere supero fere toto, nigris. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel paululum latius, ovatum, subpetiolatum; segmento 1 parte antica transversa, longitudine petioli, basin versus sensim angustati, margine summo castaneo; 2—4 castaneis subopacis, margine nitido, 4 interdum basi nigra. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior, terebra rufa; vaginis nigris, apicem versus sensim paululum incrassatis.

Quasdam cepi feminas, mense Octobri, circa *Vratislaviam.*

274. H. BIANNULATUS. n.

Segmentis 1—3 pedibusque rufis; antennarum annulo albo. f.

Statura, praecipue segmenti primi latitudine, haec species cum *H. ridibundo*, n. 272, convenit; antennis pedibusque gracilioribus autem differt.

Longitudo 2—2¾ linearum. *Antennae* filiformes curvatae, dimidio corpore longiores, articulis 7—10 totis albis. *Thorax* gibbulus, meta-

thorace subbispino. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice alba, squamula nigra. *Pedes* subgraciles rufi; postici plerumque tarsis et summo tibiarum apice fuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum, apice compressiusculum, segmentis 1—3 rufis. *Aculeus* dimidio abdomine paululum longior, terebra rufa.

Nonnulla individua, circa *Vratislaviam* capta, mecum communicata sunt.

275. H. CRASSICORNIS. n.

Incisuris tribus primis abdominis, pedibus et antennarum basi, rufis. f.

A reliquis speciebus minoribus, quibuscum comparari posset, haec imprimis antennis crassioribus differt; a sequente autem, cui antennis magis respondet (licet ei antennae adhuc paulo crassiores sint), aculeo et segmento primo longioribus, nec non cellulis alarum.

Longitudo paululum ultra 1 lineam. *Caput* ore rufo. *Antennae* filiformes curvatae, dimidio corpore paululum longiores, articulis 1—3 rufis. *Thorax* gibbulocylindricus, metathorace subspinoso. *Alae* mediocres subfumatohyalinae, radio et stigmate piceis, radice et squamula albis; areola quinqueangulari incompleta. *Pedes* mediocres, diluterufi. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, ovatum, petiolatum; segmento 1 nigro, apice

rufo, petiolo lineari, paulo angustiore at duplo longiore quam pars antica; 2 et 3 fuscis, rufolimbatis; sequentibus fusconigris. *Aculeus* abdominis trientis longitudine.

Unam feminam circa *Warmbrunn*, alteram in *Volhynia* captam, accepi.

Nota:

Habitu hic Hemiteles simillimus est *Mesolepto decipienti*, n. 71, qui autem petiolo paulo breviore et defectu aculei longe exserti differt. Quaeritur itaque, num forsan membrum, quod in *Mesolepto decipiente* pro aculeo habui, potius genitale masculum sit? tum Mesoleptus ille mas nostri Hemitelis esse posset.

276. H. INFUSCATUS. n.

Incisuris intermediis abdominis pedibusque anterioribus stramineis, femoribus macula fusca; pedibus posticis rufo nigroque alternantibus. f.

Haec species, facie magis tumida, nec non cellulae cubitalis intermediae vestigio nullo, nervisque exterioris fere omnino deletis, a cospeciebus hujus familiae facile distingui potest.

Longitudo vix paulo ultra 1 lineam. *Caput* subglobosum, facie protuberante, palpis stramineis. *Antennae* filiformes crassiusculae curvatae, dimidio corpore longiores. *Thorax* subcylindri-

cus. *Alae* mediocres, subhyalinae, irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula exalbidis; nervis cellulae exterioris basi tantum summa, ubi nempe a cellula interiore (nam areolae nullum est vestigium) oriuntur, conspicuis, deinde autem omnino extinctis. *Pedes* mediocres; anteriores pallidestraminei, femoribus extra fuscescentibus; postici coxis nigris, trochanteribus rufis, femoribus nigris basi rufa, tibiis rufis apice fuscescente, tarsis rufis. *Abdomen* subpetiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine; segmento 1 laevi, apicem versus sensim latiore, latitudine duplo longiore; 2—4 incisuris testaceis. *Aculeus* exsertus perbrevis.

Unicam feminam nescio ubi cepi.

SECTIO III.

Thorace nigro-rufoque.

Thorax plerumque lateribus vel totis vel pro parte rufis; rarius etiam dorso prothoracis (*Hem. areatori*) aut metathoracis (*H. maculipenni*) rufo. *H. cingulator* variat thorace fere toto nigro, solo collo rufo, indeque (segmentis 1 et 2 castaneomarginatis) inter sectiones 1, 2 et 3 medium tenet.

E sectione 2, H. necatoris micatoris et *melanopygi* individua quaedam, thorace plus minus ferrugineo aut castaneomaculato, propius ad hanc sectionem accedunt.

277. H. INSIGNIS. n.

Fasciis alarum tribus fuscis; capite thoraceque rufis, nigromaculatis; antennis pedibus et segmento primo rufis.

Statura et proportio partium omnino speciei sequentis (sed apex antennarum et abdominis tarsique postici desunt).

Longitudo 5½ linearum. *Caput* rufum, genis nigris. *Antennae* rufae. *Thorax* rufus; regione circa scutellum, macula pectorali, alteraque dorsali ante collum, nigris. *Scutellum* rufum. *Alae* hyalinae, omnino sicut in sequente specie, fasciis tribus ferrugineofuscohyalinis, stigmate ferrugineo, radio et squamula fuscis, radice albida. *Pedes* rufi, coxis subtus fuscis. *Abdomen* segmentis 1—3 confertim aciculatis, marginibus laevibus nitidis; 1 rufo, petiolo nigro; 2 et 3 fuscis; 4 et 5 fuscis, dorso castaneo, margine summo albente (reliquis deficientibus).

Individuum unicum *pedemontanum Bonellio* debeo.

Nota:

Haec species et insequens, nervorum alae dispositione et cellularum forma, omnino cum familia prima *Xoridarum* congruunt, sed capitis forma differunt, medium quasi tenentes inter hanc Cryptorum et illam Xoridarum familiam.

278. H. MACULIPENNIS, n.

Fasciis alarum tribus nigris; antennis annulo rufo; thorace sanguineo-nigroque maculato; tibiis anticis totis, posticis et femoribus pro parte, ferrugineis; segmentis 1 et 2 sanguineomaculatis. f.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* oculis prominulis. *Antennae* filiformes recurvatae, dimidio corpore longiores, nigrae, articulis 2—4 et 7—9 sanguineis. *Thorax* gibbulus rubricosus; collo, puncto dorsali ante collum, pectore et regione circa scutellum, nigris. *Scutellum* rubricosum. *Alae* mediocres, hyalinae; fascia media, maculisque duabus, una apicem versus altera basin versus, nigris; stigmate radio et squamula nigris, radice albida; nullo vestigio areolae, sed ejus loco e puncto communi nervi duo cellulae radialis magnae triangularis, nervus inferior cellulae exterioris et nervus inferior externus cellulae interioris oriuntur. *Pedes* graciles nigri; femoribus anticis apice et interne, mediis subtus apicem versus, posticis subtus totis, ferrugineostramineis; tibiis anterioribus ferrugineis, posticis fuscis basi summa ferruginea; tarsis fuscis, anticis pallidioribus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine longiore, rubricoso, punctis duobus dorsalibus nigris; 2 angulis baseos rubri-

cosis; 6 et 7 membrana albida marginali. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine, fuscus, terebra rufa.

Feminam unicam *austriacam Dahlio* debeo.

Nota:

Affines esse videntur *Ichn.* (*Cryptus*) *umbratus* Fabr. *rubidus* Rossii, *decorator* et *cephalator* Villersii; omnes autem quibusdam notis a nostro differunt. — Conferas quoque notam ad praecedentem speciem.

279. H. RUFICOLLIS. n.

Abdominis basi, pedibus, prothorace, oreque rufis. f.

Statura crassiore, capite et segmento primo latioribus, thorace gibbosiore, haec species a sequente et omnibus hujus sectionis speciebus distincta est.

Longitudo 1 ½ linearum. *Caput* transversum, thorace fere paululum latius, ore rufo. *Antennae* filiformes curvatae, corpore breviores, fuscae, articulo 1 subtus rufo. *Thorax* gibbus rufus; macula ante scutellum et metathoracis valde declivi dorso nigris. *Scutellum* nigrum. *Alae* hyalinae irideae, macula disci nubeculosa, radio stigmate et squamula fuscis, radice albida; areola quinqueangulari, nervo exteriore tenuissimo. *Pedes* mediocres, diluterufi; postici apicibus summis femorum

et tibiarum fuscescentibus. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, petiolatum ovatum; segmento 1 testaceorufo, parte antica subtransversa, breviore et fere duplo latiore quam petiolus; 2 testaceorufo, apice fuscescente; 3 angulis baseos testaceorufis. *Aculeus* fere dimidii abdominis longitudine, fuscus.

Unam feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Hemiteles.

280. H. PULCHELLUS. n.

Rufus, maculis thoracis nec non abdominis basi et apice nigris; tibiis basi exalbidis; fasciis duabus alarum fuscis. f.

Statura et proportio partium sicut in feminis gracilioribus *cingulatoris,* n. 283; primo segmento autem paulo breviore.

Longitudo 1 ½ linearum. *Caput* oculis et ocellis nigris. *Antennae* apice fuscae. *Thorax* lineis tribus longitudinalibus abbreviatis dorsi prothoracis, nec non dorso toto metathoracis, nigris. *Alae* hyalinae irideae, fasciis duabus fuscis; stigmate et radio fuscis, radice albida, squamula badia; areolae quinqueangularis nervo exteriore obsoleto. *Pedes* rufi, tibiarum basi exalbida. *Abdomen* segmento 1 nigro, apice rufo; 2 et 3 rufis; 4 nigro, margine castaneo; reliquis nigris. *Aculeus* dimidio abdomine vix paulo longior.

Hanc feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

281. H. AREATOR.

Alarum fasciis tribus fuscis; capite thorace et segmento secundo rufomaculatis; pedibus rufis, tibiarum posticarum basi albida. f.

Statura et proportio partium *H. orbiculati*, n. 285, abdomine ut plurimum paulo longiore.

Longitudo $1\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{5}$ linearum. *Caput* rarius nigrum, facie rubricosa macula nigra, aut oculorum orbitis, internis et externis, latis, rufis, in supera occipitis parte confluentibus, plerumque rufum aut rubricosum, oculis, vertice seu stemmatibus, plerumque clypeo et puncto faciali, nigris; mandibulis fulvis aut rufis, basi apiceque nigris, palpis stramineis. *Antennae* testaceae aut ferrugineae; articulo 1 ut plurimum pallidiore, ultimis fuscis aut nigricantibus. *Thorax* niger; collo, lateribus et lineis duabus dorsalibus, fulvis aut rubricosis, infra alas maculis nigris. *Scutellum* vel totum rufum, vel basi nigrum. *Alae* hyalinae, fasciis tribus fuscis, duabus anterioribus in disco alae confluentibus; radio et stigmate nigris aut piceis, hoc basin versus albido, radice albida, squamula picea aut rufescente aut nigra; areola quinqueangulari, plurimis incompleta absque nervo exteriore. *Pedes* testacei aut rufocastanei; trochanteribus et femoribus interdum supra subfuscescentibus; tibiis anterioribus plerumque summa basi albidis, posticis externe interdum nigricanti-

bus, basi summa semper exalbida. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine et latitudine, ovatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore, summo margine interdum castaneo; 2 vel nigro, basi et lateribus fuscis, aut margine lateribusque rufis, vel rufo aut castaneo, macula aut fascia centrali, rarius fere obsoleta, nigra; 3 interdum, rarius etiam 4, margine castaneo. *Aculeus* dimidio abdomine vel paulo longior vel paulo brevior, fuscus aut niger.

Individua nonnulla accepi, circa *Warmbrunn, Hirschberg, Sickershausen, Trajectum ad Moenum, Vindobonam*, nec non in *Regione Pedemontana* et in *Fennia*, capta.

Varietas maris?

1. *Alarum fasciis obsoletis.* m. — *Longitudo* 1⅔—2⅕ linearum. *Caput* nigrum, mandibulis rufis, palpis pallidestramineis. *Antennae* filiformes porrectae, corpore paulo breviores, fuscae, subtus ferrugineae articulo 1 rufo. *Thorax* gibbulus rubricosus; metathorace nigro, plerumque macula laterali castanea. *Scutellum* rubricosum. *Alae* mediocres, hyalinae, vestigiis macularum duarum subfumatarum, unius sub stigmate, alterius in medio alae; stigmate et radio fuscis aut piceis, radice et squamula albidis; areolae nervo exteriore omnino extincto. *Pedes* subgraciles rufi; tibiis posticis apice subnigricantibus, basi summa exalbida. *Abdomen* longitudine thoracis, eo autem

paulo angustius, oblongum; segmento 1 laeviusculo, parte antica aequilata, latitudine longiore, paulo aut duplo latiore quam petiolus, margine rufo; 2 vel rufo, macula dorsali nigra, vel nigro, margine summo castaneo.

Quaedam individua, circa *Sickershausen Dresdam* et *Parisios* lecta, mihi missa sunt.

Synonyma feminae:

Ichn. areator Panzer Fauna fasc. 94, tab. 14; habitat in Carduis nutante lanceolato, inter aphides (icon nostris individuis paulo pallidior est).

Nota:

Forsan etiam ad hanc speciem, vel ad *cingulatorem*, n. 283, adhibendus est *Ichneum. petiolatus* Fourcroy p. 428, n. 104, et Villers p. 191, n. 182, qui autem haud cum ejusdem nominis Ichneumone Fourcr. n. 9 et Villers n. 165 confundendus est.

De maris varietate descripta dubius adhuc haereo, num eam cum hoc *areatore*, num potius cum *cingulatore*, n. 283, conjungam, nam alis convenit cum hoc, thorace scutello pedibusque autem cum illo.

282. H. MODESTUS. n.

Pedibus et prothoracis lateribus rufis; segmento secundo castaneolimbato. f.

Statura et proportio partium omnino *areatoris*, n. 281, *orbiculati*, n. 285, et *aestivalis* n. 244 e sectione secunda; forsan mera varietas *aestivalis*, aculeo paulo longiore.

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis fuscopiceis. *Antennae* fuscoferrugineae, articulo 1 supra nigro. *Thorax* prothoracis lateribus pone collum (haud infra alas) rufis. *Alae* hyalinae, nubecula discoidali fumatohyalina, stigmate radio et squamula fuscis, radice albida. *Pedes* rufi. *Abdomen* segmento 1 margine castaneo; 2 castaneo, macula transversa nigra; ultimo membrana albida terminato. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine.

Feminam unicam, circa *Sickershausen* captam, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit.

Hemiteles,

283. H. CINGULATOR. n.

Segmentorum 1 et 2 margine, collo, prothoracis lateribus, ore et antennarum basi, rufis; pedibus testaceis, femoribus posticis fuscis. f.

Longitudo $1\frac{2}{3}$—$2\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* nigrum, rarius fuscum, ore rufescente (Descriptionem partium oris nota, huic speciei subjuncta, exhibet).

Antennae graciles filiformes, corpore vix paululum breviores, apice incurvae, testaceae aut rufae, apicem versus obscuriores. *Thorax* gibbulus aut subcylindricus; collo et prothoracis lateribus pone collum, ut plurimum etiam infra alas, rufocastaneis, rarissime scutello et metathoracis dorso castaneis; metathorace tuberculis duobus acutiusculis. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae aut hyalinae, sub stigmate fuscofumatae; stigmate et radio fuscis aut testaceis, radice albida, squamula rufescente aut albida; areolae nervo exteriore vel obsoletissimo vel in lineam albohyalinam dissoluto; cellula interiore nervi divisorii initio. *Pedes* subgraciles, testacei; coxis posticis interdum basi nigris; femoribus posticis plerumque fuscis, anterioribus vel piceostramineis vel in medio fuscescentibus; tibiis posticis apice fuscescente aut nigricante. *Abdomen* thoracis longitudine et latitudine, ovatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine triplo longiore, parte antica vel subquadrata vel latitudine paulo longiore, tuberculis lateralibus interdum subprotuberantibus; 1 et 2 vel nigris castaneomarginatis, vel rufis aut testaceis fascia fuscescente; sequentibus ut plurimum marginibus castaneis aut obsoletepiceis, ultimo plerumque rufo aut piceostramineo. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine, aut paulo brevior, niger aut fuscescens terebra rufa.

Multas cepi feminas passim in *Silesia*, nec non in *Oedelem*, mensibus Iunii Iulii et Augusti, semper autem in aedibus ad fenestras, aut in plantis,

ante fenestras positis, praesertim in talibus, quae aphidibus et Syrphorum larvis obsessae erant. Plures etiam e *Warmbrunn Sickershausen* et *Hala Saxonum* ad me transmissae sunt.

Varietates:

1. *Thorace toto nigro, solo collo rufo.* — Caetera sicut in plurimis individuis genuinis.

Ipse hanc varietatem cepi, nescio autem ubi.

2. *Abdomine ferrugineo, segmentis 1 et 2 stramineomarginatis.* f. — Caetera sicut in individuis genuinis pallidioribus.

Duae feminae, *Friburgi* et *Norimbergae* captae, mihi sunt transmissae.

Nota:

Conferas notam ad *H. areatorem*, n. 281. — Etiam *Ichneum. stigma* Gmel. ed. Linn. p. 2717, n. 365, huic speciei aut sequenti affinis esse videtur.

Descriptio accuratior antennarum et oris, auctore *Neesio ab Esenbeck*, haec est:

Antennae filiformes, dimidii corporis longitudine, articulis 25 compositae: radicula brevissima subovata, scapo brevi et crasso, extrorsum obliquo, subpateraeformi; pedicello subexserto disciformi; articulo accessorio tenuissimo annuliformi; tum articulis 5 et 6 longissimis, basin versus paulisper angustatis, subaequalibus, reliquis deinceps longitudine decrescentibus, cylindricis, extremis

pluribus subaequalibus, longitudine diametrum parum excedente, ultimo brevi ovato obtuso.

Clypeus parvus suborbiculatus, sursum utrimque linea obliqua discretus, margine infero rotundato, planiusculus punctulatus. — *Labrum* e basi semicirculari recondita cornea, in appendicem triangulum brevem membranaceum, extenuatum. — *Mandibulae* breves incurvae trigono-conicae, basi latae, facie exteriori convexiuscula laevi, interiori carinata; apice bidentata, dentibus brevibus aequalibus acutis. — *Maxillae* labium includentes et illo paulo longiores: *Stipes* obtriangulus compressus subincurvus membranaceus; superficie infera obliqua linearilanceolata acuminata convexa laevi glabra cornea: *Mala* stipite dimidio brevior, membranacea bipartita; lobis subaequalibus suborbiculatis ciliatis, inferi margine interiori sursum replicato, supero paulo altiore, prope basin linea obscuriori transversali secto. — *Palpi maxillares* mala plus triplo longiores, subsetacei recurvi, parum hirti, quinquearticulati; articulo 1 clavato truncato, 2 obtusecultrato, seu introrsum gibbo, modice compresso, crassiori, 3 et 4 cylindricis tenuioribus, 5 filiformi obtuso; ratio longitudinis 3. $\overset{1.}{\frac{2}{5}}$. 4. — *Labium* omnino ut in Ophione vulneratore. — *Palpi labiales* lingua duplo longiores, filiformes recti pilosuli quadriarticulati; articulo 1 longo clavato, 2 subquadrato, 3 minimo, 4 basin versus parum angustato, obtuso; ratio longitudinis 1. 4. 2. 3.

Hemiteles.

284. H. BICOLORINUS. n.

Maculis duabus fuscis alarum, prothoracis lateribus, ore et antennarum basi, rufis; pedibus testaceis, femoribus tibiisque posticis fuscescentibus. m. f.

Haec species a reliquis hujus sectionis cospeciebus eo recedit, quod petiolus brevior et latior sit sensimque in partem anticam transeat.

Longitudo 1¼—2⅓ linearum. *Caput* ore fuscorufescenti, maris pallidiore. *Antennae* fuscae, basin versus testaceae aut ferrugineae, filiformes; feminae dimidio corpore paululum longiores incurvae, maris corporis longitudine tenuiores. *Thorax* gibbocylindricus; collo et lateribus pone collum, interdum quoque macula laterali metathoracis et latere toto prothoracis, rarius prothoracis dorso ante collum, rufis aut castaneis. *Alae* mediocres hyalinae; macula magna sub stigmate, fasciaque nervum interiorem cellulae interioris obtegente, interdum obsoleta, fuscofumatis seu atrohyalinis; stigmate et radio fuscis, radice albida aut straminea, squamula colore variabili. *Pedes* mediocres aut subgraciles, testacei aut straminei; tibiis posticis et femoribus posterioribus, rarius quoque femoribus anticis, superne fuscis aut subfuscescentibus, tibiis basi summa pallida. *Abdomen* maris capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, sublineare, feminae capitis et thoracis longitudine, vel paulo brevius, thorace

vix paulo angustius, ovatum seu suboblongum; nigrum, nitidum; segmento 1 apicem versus sensim latiore, lineis duabus elevatis obsoletis, interdum margine badio; 2 nonnunquam basi castaneo; rarius 1—3 disco piceofuscescente. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior aut paulo brevior.

Quosdam mares et feminam *a Steven* e *Tauria* transmisit. Alias mares feminis multo rariores esse videntur, nam, praeter tauricos, non nisi unum vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*, alterum *a Spinola* e *Genua* transmisit, tertium ipse cepi, sed nescio ubi. Feminam unam cepi cum pluribus feminis *cingulatoris*, n. 283, in plantis ante fenestram, mense Iunio; eodem mense *ab Uechtritz* feminam cepit circa *Lobenstein;* aestate *Nees ab Esenbeck* unam cepit in umbellatis circa *Sickershausen.* Plures alias accepi singulas, circa *Vratislaviam*, *Warmbrunn*, *Halam Saxonum*, *Norimbergam*, *Brunsvigam*, *Gottingam*, *Trajectum ad Moenum*, nec non in *Volhynia*, *Etruria*, *Regione Pedemontana* et *Gallia*, lectas; unam *lusitanicam* vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

Varietates:

1. *Macularum alae altera extincta.* m. f. — *Longitudo* maris 1 lineae, feminae 2 linearum vel paulo infra. *Caput* ore testaceo, facie maris castanea. *Antennae* maris fuscae, basin versus testaceae; feminae testaceae aut ferrugineae, articulo primo fulvo. *Thorax* prothoracis lateribus vel

totis, vel tantum pone collum, testaceis. *Alae* hyalinae; macula fuscescente aut fulvescente sub stigmate; radice radio et stigmate fulvis aut piceis, squamula picea. *Pedes* testacei aut rufi; femoribus posterioribus interdum fuscescentibus, apice et basi pallidioribus, tibiis posticis interdum apicem versus fuscis. *Abdomen* vel piceum, segmento 1 margine, 2 basi et margine, 7 toto, stramineis; vel nigrofuscum, segmento primo margine testaceo aut rufo. *Aculeus* vel dimidii abdominis longitudine, vel paulo longior, rufus aut testaceus.

Marem unicum cepi, mense Augusto, *Cudovae,* domi ad fenestram. Feminas duas, *Friburgi* captas, *Menzinger* ad me transmisit, quasdam vidi in musco *Comitis de Hoffmannsegg.*

2. *Femoribus anterioribus supra fuscescentibus.* f. — *Statura* paulo longior et gracilior quam in femina genuina. *Longitudo* 2½ linearum. *Caput* palpis rufis. *Antennae* basi rufa. *Thorax* collo et prothoracis antica parte rufis, maculis duabus lateralibus metathoracis castaneis. *Scutellum* nigrum. *Alae* sicut in specie genuina, squamula fusca. *Pedes* rufi; tibiis basi pallidiore, posticis apicem versus supra fuscis; femoribus anterioribus supra fuscescentibus, posticis geniculo fusco; tarsis posticis fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paululum angustius, apice compressiusculum; segmento 2 basi summa rufescente. *Aculeus* fere abdominis longitudine, terebra rufa.

Unam feminam *de Heyden* cepit circa *Trajectum ad Moenum.*

3. *Alis subtrifasciatis, femoribus anterioribus supra nigris.* f. — *Longitudo* 1½ linearum. *Antennae* a basi ad medium usque rufae. *Thorax* collo et lateribus pone collum rufis. *Alae* exacte sicut in *areatore,* n. 281. *Pedes* rufi; tibiis posticis externe apicem versus fuscis; femoribus anterioribus supra nigris. *Abdomen* segmento 2 summo margine rufo. *Aculeus* abdominis fere longitudine, terebra rufa.

Hanc feminam *Sahlberg* cepit circa *Aboam.*

4. *Antennis totis rufis, tibiis femoribusque posticis testaceis immaculatis, alis immaculatis.* f. — Caetera sicut in plurimis individuis genuinis.

Nota:

De *synonymia* hujus speciei nil certi eruere potui. Forsan *Ichn. cinctus* Linnei reliquorumque auctorum (Geoffroii Ichn. n. 85, *Cryptus cinctus* Fabr. Piez. p. 86) ad hanc speciem adhiberi posset, sed omnes de colore rufo laterum thoracis tacent. — Etiam *Ichn. stigma* Gmel. ed. Linn. p. 2717, n. 365 huc spectat, auctor vero maculae seu fasciarum alae nullam fecit mentionem. — In museo *Comitis de Hoffmannsegg* huic speciei nomen *Ichneumonis bicolorini* praefixum est, quod, sicut par est, retinui.

Hemiteles.

285. H. ORBICULATUS. n.

Alarum fasciis tribus fuscis; pedibus castaneis, tibiis posticis obscurioribus; thoracis lateribus et orbitis oculorum internis castaneis. f.

Longitudo $1\frac{2}{3}$—$2\frac{1}{5}$ linearum. *Caput* palpis fuscis, mandibulis medio fulvis; orbitis oculorum internis, nonnunquam etiam parte externarum et puncto faciali, rubricosis. *Antennae* filiformes, dimidio corpore paulo longiores, recurvatae, fuscae, articulo 1 subtus castaneo. *Thorax* gibbulus; collo et lateribus, interdum quoque macula dorsali ante collum, castaneis. *Scutellum* interdum lateribus obsoletissime rubricosis. *Alae* subamplae, hyalinae, fasciis tribus fuscis aut subfuscohyalinis; stigmate radio et squamula fuscopiceis, radice straminea. *Pedes* mediocres castanei, tibiis posticis obscurioribus aut fuscis, basi summa pallidiore. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine aut paulo longius, thorace paulo latius; vel suborbiculatum, latitudine paulo longius (haud computato petiolo), vel oblongoovatum; segmento 1 parte antica subquadrata, fere quadruplo latiore quam petiolus. *Aculeus* vel abdominis dimidii longitudine, vel paulo longior, fuscus aut castaneus, compressiusculus.

Duae feminae, circa *Warmbrunn* et *Norimbergam* captae, mecum communicatae sunt.

F A M I L I A VII,

seu subgenus:

P E Z O M A C H U S,

a πεζομάχος, qui pedestri proelio pugnat — quia hae species, alarum defectu aut exiguitate, haud volatu erucas investigare possunt.

Corpore parvo; abdomine petiolato; alis nullis aut perexiguis; (aculeo exserto brevi aut mediocri).

Corpus parvum. — *Caput* transversum, collum versus sensim paulo angustatum, thorace latius. — *Oculi* ovales aut suborbiculato-ovales, subprominentes. *Antennae* filiformes, mediocres aut graciles. — De antennis et *oris partibus* conferre velis notam ad P. cursitantem. *Thorax* gibbulus aut gibbulo-cylindricus, abdomine angustior, maribus interdum latitudine abdominis. Suturae, quibus collum a prothorace, hic autem a metathorace, sejungitur, multo distinctiores et profundiores sunt in speciebus apteris et exscutellatis quam in pseudopteris et scutellatis. His metathorax interdum bispinus est, semper autem scabrior quam in exscutellatis. — *Scutellum* individuis alatis et pseudopteris triangulare subgibbulum, sensim eo magis evanescens quo magis alae decrescunt; individuis, quibus sola alarum rudimenta supersunt, minutum subquadratum aut graniforme; tandem, quibus nullum alarum vestigium mansit, plane nullum. — *Alae* multis omnino desunt, reliquis autem perbreves aut breves, nec volatui idoneae, sunt. Mares fere omnes, multaeque feminae, alis brevibus, aut saltem rudimentis earum, gaudent; multae feminae autem, nonnullique mares, alis omnino carent, at locus insertionis earum tuberculo minuto indicatur. Ubi nil nisi alarum rudimentum, interdum vix conspicuum,

superest, omne cellularum vestigium evanescit; quibusdam speciebus autem alarum structura satis explicata est, ut forma cellulae interioris, cum forma ejus in reliquis Ichneumonidibus genuinis congruens, perspicue distingui possit; areola omnibus deest, vel incomplete quinqueangularis se ostendit, sicut in Hemitelibus. *Pez. longipennis* alis gaudet, si eum comparas cum reliquis hujus subgeneris cospeciebus, longissimis. — *Pedes* mediocres. — *Abdomen* ovatum aut oblongum, fere capitis thoracisque longitudine, thorace latius, maribus tamen plerisque angustius et gracilius quam feminis. Segmentum primum petiolatum est, apicem versus sensim dilatatum, maribus interdum sublineare; parte antica breviore quam petiolus. — *Aculeus* exsertus, nunquam abdomine longior.

De transitu hujus subgeneris in antecedens conferre velis quae sub hoc monui.

Nota:

Sunt auctores qui contendunt, mares harum feminarum apterarum volatiles esse, quod tamen cum meis observationibus haud congruit. Consule ad haec quae in Monogr. Ichn. ped. pag. 22 scripsi.

Catalytus

286. P. LONGIPENNIS. n.

Alis fere longitudine corporis; prothorace, abdominis medio, pedibusque rufis. f.

Statura et proportio partium speciei sequentis; abdomine autem paulo longiore.

Longitudo vix paululum ultra 2 lineas. *Caput* subglobosum, thorace paulo latius, palpis rufis. *Antennae* filiformes graciles, corpore breviores; articulo 1 subtus rufo, articulis ultimis obscuroferrugineis. *Thorax* collo, nec non prothoracis dorso et lateribus, rufis. *Alae* fere corporis longitudine, fumatohyalinae, nervis fuscis; cellula interiore hyalina, areola nulla. *Pedes* rufi; postici geniculis et summo tibiarum apice nigris. *Abdomen* ovatum depressiusculum, capitis thoracisque longitudine, thorace paulo latius; segmentis 2—4, nec non margine primi, rufis. *Aculeus* niger, quartae partis abdominis longitudine.

Unicam feminam *Hartlieb* cepit, die 29 Martii, in arundine prope *Vratislaviam*.

Nota:

Conferas notam ad *P. Mangeri*, n. 288.

Catalytus

287. P. FULVEOLATUS. n.

Alis fere longitudine corporis; antennarum basi, prothorace, scutello, abdominis medio, pedibusque rufis. m. f.

Longitudo maris 1 ⅓ — 1 ⅔, feminae 1 ⅔ — 2 linearum. *Caput* subglobosum, thorace latius, palpis fuscis, mandibulis rufis. *Antennae* fuscae, basin versus rufae, maris rarius totae rufae, feminae rarius ferrugineae, articulo 1 subtus fulvo; filiformes graciles, longitudine corporis, aut paulo breviores. *Thorax* gibbulus, prothorace rufofulvo, mari quoque pectore plerumque rufo. *Scutellum* rufofulvum. *Alae* corporis longitudine, vel paulo breviores, fumatohyalinae, apice et cellula interiore hyalinis; stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula fulvis; cellulis exacte cum cellulis *Hemit. maculipennis*, n. 278, convenientibus. *Pedes* rufi; postici femorum apicibus nigris aut fuscis aut fuscescentibus. *Abdomen maris* oblongum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, segmentis 2 et 3, nec non margine primi, fulvis aut diluterufis; *feminae* ovatum, depressiusculum, capite thoraceque paulo longius et latius; segmentis 2—4 rufis aut fulvis, plerumque segmenti 1 margine fulvo; mari et feminae segmento 1 parte antica subquadrata, petioli longitudine, eo autem latiore, sequentibus transversis. *Aculeus* quartae partis abdominis longitudine.

Nonnullos mares et feminas, circa *Warmbrunn* lectos, unamque feminam, circa *Sickershausen* captam, accepi; feminam etiam vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

Nota:

Conferas notam ad speciem sequentem.

Catalytus,

288. P. MANGERI.

Alis thoracis longitudine. Rufus; capite, metathorace, abdominis basi et apice, nigris. f.

Longitudo 1⅔—2 linearum. *Caput* plerumque ore rufo. *Antennae* graciles, corpore paulo breviores; articulis 1—4 rufis, 1 interdum supra fusco. *Thorax* cylindricus, collo et prothorace rufofulvis, interdum pectore et puncto laterali prothoracis nigris. *Scutellum* rufofulvum. *Alae* angustae; anticae thorace paulo longiores, fuscohyalinae, apice basi et cellula interiore albidohyalinis, radice et squamula piceoalbidis; caeterum alis speciei sequentis similes, areola autem deficiente. *Pedes* mediocres rufi; medii nonnunquam femorum et tibiarum apice subfuscescente; postici geniculis nigris aut nigricantibus, tibiis plerumque obscurioribus, interdum fuscescentibus basi rufescente. *Abdomen* ovatum, capite thoraceque longius et paulo latius, interdum eorum longitudine; segmento 1 nigro, apicem versus sensim paulo latiore, parte antica latitudine paulo lon-

giore, pauloque latiore quam petiolus, margine rufo; 2 et 3 rufis aut rufofulvis, 3 interdum margine obscuriore; 4 rufo aut rufofulvo, interdum margine obscuriore aut lateribus nigris, rarius vel toto nigro vel solo margine summo subrufescente; 6 et 7 membrana sordidealbida, interdum obsoleta, terminatis. *Aculeus* niger, longitudine tertiae quartae aut quintae partis abdominis.

Individua quaedam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*, unumque *berolinense* vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

Varietas:

1. *Femoribus pro parte fuscis.* f. — *Longitudo* $\frac{5}{6}$—$1\frac{1}{2}$ linearum. *Antennae* rarius totae fuscae aut articulis 1—3 testaceopiceis; ut plurimum articulo 1 subtus rufo aut rufescente, 2 et 3 rufis aut fulvis. *Thorax* collo et prothorace fulvis, interdum macula dorsali fuscescente ante collum. *Scutellum* nigrum, rarius ferrugineum. *Alae* sicut in femina genuina. *Pedes* coxis et trochanteribus fulvis aut rufis, rarius testaceis; femoribus anticis vel fulvis aut testaceis, plerumque latere convexo toto aut basin versus piceo aut fusco, vel fusconigris subtus piceis, mediis vel fulvis, latere convexo plerumque toto, rarius solo apice, fusco, vel fusconigris subtus piceis, posticis fusconigris aut fuscis, basin versus plerumque rufis, rarius rufis apice nigro; tibiis fulvotestaceis, anticis interdum apice aut externe fuscescentibus, posterioribus vel totis vel externe

vel apice fuscis. *Abdomen* segmento 1 plerisque margine fulvo aut testaceo; 2 fulvo; 3 vel fulvo, vel nigro basi summa fulva; 4 interdum summa basi aut summo margine fulvescente. *Aculeus* quartae aut quintae partis abdominis longitudine.

Plura individua, circa *Pless*, *Warmbrunn* et *Sickershausen* capta, ad me transmissa sunt.

Synonyma:

Ichn. Mangeri Gravenh. Pedestr. p. 31, n. 5 (varietates 1 et 2 nunc speciem genuinam constituunt; varietates 3 et 4 autem in unam comprehensae sunt).

Nota:

Haec species cum praecedente, statura et proportione partium, ipsoque colore, omnino convenit, nec nisi alis brevioribus differt, indeque vix pro specie peculiari agnosci potest. Forsan etiam *P. longipennis*, n. 286, cum ambabus conjungi deberet.

Aptesis

289. P. HEMIPTERUS.

Alis longitudine thoracis. Niger; antennarum basi, segmentis 2 et 3, pedibusque, rufis; geniculis posticis nigris. f.

Longitudo paulo ultra 2 lineas. *Caput* transversum. *Antennae* curvatae, dimidio corpore paulo longiores, basi rufa. *Thorax* gibbulocy-

lindricus, nitidus, metathoracis dorso bispino scabriculo. *Scutellum* parvum triangulare subgibbulum. *Alae* breves angustae; anticae thorace paulo longiores, fuscohyalinae, macula albidohyalina sub stigmate; hoc ipso dimidiato-fusco et albo, radio fusco, radice albida, squamula nigra; areola quinqueangulari incompleta. *Pedes* mediocres rufi; postici apice femorum et tibiarum nigro. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace paulo latius, ovatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, lineis duabus elevatis longitudinalibus, parte antica longitudine paulo latiore, paulo breviore quam petiolus, apice rufo; 2 et 3 rufofulvis; 6 et 7 exalbidomarginatis. *Aculeus* badius, fere abdominis longitudine.

Unicam feminam *a Stillfried* cepit circa *Hirschberg*.

Synonyma:

Ichn. hemipterus Fabr. Ent. p. 190, n. 238; segmentis 1 — 3 totis, 4 basi, rufis. Habitat in terra sicca sabulosa *Galliae*. Paulo major quam *Ichn. cursitans*, et forte varietas alata sexus.

„ Gravenh. Pedestr. p. 25, n. 1.

Cryptus hemipterus, Fabr. Piez. p. 91, n. 94.

Ichneumon hemipterator Thunb. Ichn., n. 373.

Aptesis

290. P. BRACHYPTERUS.

Alis longitudine thoracis. Segmentis 1—3 pedibusque rufofulvis, prothorace rufomaculato, antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium sicut in *microptero*, n. 292.

Longitudo 2 linearum. *Caput* genis mandibulisque castaneis, palpis piceoalbidis. *Antennae* articulis 1—5 rufis, 6 et 7 fuscescentibus, 8—11 albentibus, sequentibus fuscis subtus ferrugineis. *Thorax* prothoracis maculis duabus dorsalibus duabusque pectoralibus rufis. *Alae* perangustae, thorace fere breviores, fumatohyalinae; cellulis incompletis. *Pedes* fulvi, postici interdum geniculis fuscis. *Abdomen* segmentis 1—3 rufis, 4 lateribus et summa basi rufo, 6 et 7 margine albente. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine, niger, terebra rufa.

Individua duo, circa *Trajectum ad Moenum* et *Norimbergam* capta, ad me transmissa sunt.

Varietas:

1. *Scutello rufo, geniculis posticis nigris.* f. *Statura* paulo angustior quam in femina genuina. *Longitudo* fere 2 linearum. *Caput* vel totum nigrum, vel palpis et mandibulis rufis. *Antennae* articulis 1—7 fulvis aut rufofulvis, 8—11—12 albis, subtus ferrugineis aut ferrugineofulvis, sequentibus fuscis subtus fuscoferrugineis. *Tho-*

rax vel solo prothoracis dorso rubricoso, vel collo fuscorufo, prothorace rubricoso, metathorace nigro, supra rubricoso. *Scutellum* rufum aut rubricosum. *Alae* cellulis incompletis. *Pedes* vel rufi, geniculis posticis nigris; vel testacei, femoribus posticis apice fusco, tibiis posticis apice subfuscescente. *Abdomen* segmentis 1—3 rufis, 7 vel 6 et 7 membrana albida terminatis; 1 apicem versus sensim dilatato, parte antica latitudine paulo longiore, pauloque latiore quam petiolus. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior.

Individua duo *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

Synonyma:

Ichn. brachypterus Gravenh. Pedestr. p. 29 (varietas 1 et species genuina; var. 2 et 3 in varietatem jam descriptam conjunctae sunt).

Ichn. abbreviator Panzer Faun. fasc. 71 tab. 17; habitat in arenosis. (De *Ichneum. abbreviatore* Fabr. conferas speciem sequentem).

Nota:

Varietas descripta quodammodo medium tenet inter hanc speciem et duas insequentes; statura nec non partium forma et proportione melius congruit cum *micropterο*, n. 292, segmento secundo forsan paulo angustiore; colore scutelli et abdominis cum *abbreviatore* sequente; colore abdomi-

nis et thoracis cum *brachyptero* genuino; sed prothoracis dorso toto rufo ab omnibus differt; crassitie pedum et antennarum medium tenet inter *brachypterum* genuinum et *abbreviatorem*, segmento 1 angustiore autem ab utroque recedit.

291. P. ABBREVIATOR.

Alis thorace brevioribus. Niger; segmentis 1—3 pedibusque rufis; tibiis posticis basi albidis, geniculis posticis nigris. f.

Statura et proportio partium speciei insequentis, sed antennis pedibusque gracilioribus.

Longitudo $2\frac{1}{5}$ — $2\frac{3}{4}$ linearum. *Antennae* graciles curvatae, dimidio corpore paulo longiores; articulis 1—6 rufis, 7 fusco, 8—11 albis subtus fuscis, sequentibus fuscis, interdum subtus ferrugineis. *Thorax* metathorace subspinoso. *Scutellum* nonnunquam rufescens. *Alae* brevissimae, cellulis plurimis obsoletis. *Pedes* subgraciles rufi, femoribus posticis apice nigro aut fusco, tibiis posterioribus basi albidis. *Abdomen* capite et thorace vix paulo longius, thorace latius, oblongoovatum seu oblongum; segmentis 1—3 totis, 4 lateribus, interdum quoque basi, rarius toto, rufis, 7 membrana albida terminato. *Aculeus* abdominis dimidii longitudine, vel paulo longior.

Specimina quaedam, circa *Warmbrunn* et *Hirschberg* capta, mecum communicata sunt; unum vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

Synonyma:

Ichn. abbreviator Fabr. Ent. Supl. p. 222, n. 89; in Kiliae muris.
„ Gravenh. Pedestr. p. 28, n. 3.
Cryptus abbreviator Fabr. Piez. p. 84, n. 55.

Nota:

Ichn. abbreviator Panzeri huc haud spectat, sed ad speciem antecedentem. *Ichn. abbreviator* Fabr. Ent. p. 153 n. 83, et Thunb. Ichn., n. 100, tarsis albis, alatus est.

Caeterum conferas notam ad speciem antecedentem.

292. P. MICROPTERUS.

Alis thorace brevioribus. Niger, abdominis medio pedibusque rufis; antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium sicut in *hemiptero*, n. 289, sed alis et aculeo brevioribus. Species antecedens, huic affinis, antennis pedibusque gracilioribus, nec non colore abdominis et pedum, differt.

Longitudo fere 2 — 2¾ linearum. *Caput* ore ferrugineo. *Antennae* articulis 1 — 6 rufis; 7 — 11 albis, plerumque subtus rufis; reliquis nigris aut fuscis, subtus interdum ferrugineis. *Thorax* metathoracis spinis obtusioribus quam in Pez. hemiptero. *Alae* sordidehyalinae; anticae angustae, thorace breviores, stigmate obsolete-

fusco, radice et squamula sordide piceis, interdum cellulis omnibus subobsoletis. *Pedes* rufi, trochanteribus et coxis interdum paulo dilutioribus; postici apice femorum, plerumque etiam tibiarum, nigro aut fuscescente. *Abdomen* segmento 1 canaliculato, apice ut plurimum rufo; 2 et 3 rufis, 3 interdum margine summo fuscescente; 4 rarius toto nigro, plerumque rufo margine nigro; 7 vel 6 et 7 membrana albida terminatis. *Aculeus* fuscus, abdominis dimidii longitudine, vel paulo longior.

Quaedam individua, circa *Warmbrunn* capta, *Manger* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. micropterus Grav. Pedestr. p. 26, n. 2.

Nota:

Conferas notam ad *Pez. brachypterum*, n. 290.

Aptesis

293. P. NIGROCINCTUS.

Alis subnullis. Niger; antennis tricoloribus; prothorace, abdominis basi et apice, pedibusque, rufis, femoribus posticis apice nigro. f.

Statura et proportio partium *Pez. brachypteri*, n. 290, alis autem minoribus et abdomine crassiore.

Longitudo 2 — fere 3 linearum. *Caput* palpis piceoalbidis. *Antennae* articulis 1 — 5 — 7 rufis; interdum 6 — 8 — 9 obscurioribus; 10 — 13

aut 8—11 aut 9—11, albidis aut pallide-fulvis, subtus obscurioribus; reliquis fuscis, subtus plerumque fuscoferrugineis, interdum totis ferrugineis. *Thorax* prothorace rufo aut fulvo; metathorace tuberculis duobus acutiusculis obsoletis, rarius maculis duabus dorsalibus castaneorubricosis. *Scutellum* rufum aut fulvum. *Alae* partis quartae thoracis longitudine, angustissimae, pilosellae, radio ciliato, nervis haud conspicuis. *Pedes* rufi aut fulvi aut testacei; postici femoribus apice, ad medium usque, nigris, tarsis apice nigricante. *Abdomen* subtilissime punctum, ovatum, capitis thoracisque longitudine; segmentis 1 et 2 rufis; 3 basi et lateribus rufo, apice nigro; 4 nigro, interdum margine laterali fulvo; reliquis rufis aut ferrugineis. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine, aut paulo brevior, niger, terebra rufa.

Plura accepi individua, circa *Vratislaviam, Warmbrunn, Hirschberg, Sickershausen, Trajectum ad Moenum, Parisios* et *Aboam* capta.

Synonyma:

Ichn. nigrocinctus Grav. Ped. p. 35, n. 7.
Ichn. pedicularius Panzer Faun. fasc. 81, tab. 13; habitat Norimbergae.
Mutilla acarorum Schrank Austr. n. 840; habitat in Austria.

Nota:

Ichneumon allegatus Panz., et Mutilla Schrankii, omnino quidem apteri delineati et descripti

sunt; caeterum autem optime cum hac nostra specie congruunt. Conspicitur etiam, in icone Panzeriana, scutellum bene distinctum rufum, quod reliquis horum Pezomachorum individuis apteris vel omnino deesse, vel minutissimum et obsoletum esse, solet. Sine dubio alae perbreves, forsan arctissime thoraci adpressae, visum pictoris et descriptoris fugerunt; saltem icon illa et descriptio nec ad *Ichn. pedicularium* Fabr. (quem sub hoc nomine recepi) nec ad ullam *Pezomachi vagantis* varietatem, inter quas forsan *Ichn. pedicularius* aliorum quorundam auctorum latet, referri potest. De vero *Ichneumone acarorum* autem conferas nostrum *Pez. acarorum.*

Theroscopus

294. P. PEDESTRIS.

Alarum vestigio. Niger; abdominis medio pedibusque rufis, geniculis posticis nigris. f.

Longitudo $1\frac{1}{5}$—2 linearum. *Antennae* curvatae, dimidii corporis longitudine vel paulo longiores, basin versus rufae. *Thorax* elongatogibbulus, metathoracis parte postica decliva scabricula. *Alarum* rudimenta albida, vix conspicua. *Pedes* mediocres, postici femorum et tibiarum apicibus summis nigricantibus. *Abdomen* ovatum aut oblongoovatum, capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, thorace latius; segmento 1 apicem versus dilatato, nigro, rarius macula apicali rufa; 2 et 3 rufis, 3 interdum margine fusco; reli-

quis nigris, ultimis plerumque margine sordidealbido. *Aculeus* abdominis trientis longitudine, vel paulo brevior paulove longior, niger, terebra castanea.

Individua plura, circa *Warmbrunn*, *Hirschberg*, *Sickershausen* et *Trajectum ad Moenum* capta, mihi transmissa sunt.

Synonyma:

Ichn. pedestris Fabr. Syst. p. 344, n. 100. — Ent. p. 192, n. 245; habitat in *Suecia*.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2717, n. 218.
„ Villers p. 217, n. 273.
„ Christ p. 377.
„ Olivier p. 204, n. 200.
„ Schrank Boic. n. 2132; mas alatus; in larvis Curculionis plantaginis; circa *Amberg*.
„ Grav. Pedest. p. 38, n. 10.
Cryptus pedestris Fabr. Piez. p. 92, n. 101.

295. P. ESENBECKII.

Alarum vestigio. Niger; thorace, abdominis basi, pedibusque, rufis, femoribus posticis nigris aut fuscescentibus. f.

Statura et proportio partium *Pez. nigrocincti*, n 293.

Longitudo fere 2 linearum. *Caput* palpis sordidealbidis, mandibulis obscurorufis. *Antennae* articulis 1—6 rufis. *Thorax* saturate rufus, sub-

tus nigricans. *Scutellum* rufum. *Alarum* rudimenta brevissima, sordidealbida. *Pedes* anteriores testacei, femoribus mediis interdum supra fuscescentibus; postici rufi, femorum lateribus tribus nigris aut fuscoferrugineis, apice tibiarum fuscescente. *Abdomen* segmentis 1 et 2 rufis, 2 puncto dorsali fusco aut nigro; 3 nigro, basi rufa; reliquis nigris, ultimo membrana albida terminato. *Aculeus* fuscus, dimidii abdominis longitudine.

Duo individua, circa *Sickershausen* capta, *Nees ab Esenbeck* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. Esenbeckii Grav. Ped. p. 37, n. 9.

Aptesis.

296. P. SUDETICUS.

Alarum vestigio. Rufus; capite, nec non segmentorum 3 et 4 disco, nigris, antennis tricoloribus. f.

Statura et proportio partium *Pez. nigrocincti*, n. 293, corpore autem paulo graciliore.

Longitudo fere 2 linearum. *Antennae* mediocres, apice curvatae; articulis 1—6—7 rufis aut fulvis; 7—10 vel 8—10 albis aut dilute fulvis, subtus obscurioribus; reliquis fuscis. *Thorax* subcylindricus, prothorace fulvo, metathorace rufocastaneo aut rufo. *Scutellum* fulvum. *Alarum* rudimenta sicut in Cr. nigrocincto. *Pedes*

mediocres fulvi, femoribus posticis apicem versus obsolete fuscescentibus. *Abdomen* oblongum aut oblongoovatum, vel capite thoraceque paulo latius, eorum autem longitudine, vel capite thoraceque paulo longius, eorum autem latitudine, fulvum; segmento 3 nigro, lateribus et basi fulvis; 4 nigro, lateribus fulvis; reliquis fulvis. *Aculeus* fuscus, abdominis dimidii aut trientis longitudine.

Individua duo, circa *Hirschberg* et *Warmbrunn* capta, ad me transmissa sunt.

Synonyma:

Ichn. sudeticus Grav. Ped. p. 37, n. 8.

Stibeutes

297. P. BONELLII.

Alarum rudimentis. Niger, prothorace rufo; pedibus, abdominis cingulis, antennarumque basi, testaceis. f.

Statura et proportio partium *Pez. nigrocincti*, n. 293.

Longitudo 1½ linearum. *Caput* palpis mandibulisque rufescentibus. *Antennae* mediocres, corpore breviores, curvatae; articulis 2—7 testaceis, 1 rufo. *Thorax* gibbulus, prothoracis dorso rufo. *Scutellum* rufum. *Alarum* rudimenta brevissima. *Pedes* mediocres testacei. *Abdomen* ovatum, capitis thoracisque longitudine, thorace latius; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, nigro, macula apicali rufocastanea, parte antica

latitudine paulo longiore, paulo breviore quam petiolus; 2 et 3 testaceis, fascia lata nigra ante marginem; sequentibus nigris, 5—7 margine testaceo. *Aculeus* trientis abdominis longitudine, niger, terebra rufa.

Unicam feminam *pedemontanam Bonellio* debeo.

Synonyma:

Ichn. Bonellii Grav. Ped. p. 34, n. 6.

Theroscopus

298. P. DROMICUS.

Alarum rudimentis. Niger, nitidus; antennarum basi, pedibus, segmento 3 toto, 4 basi, rufis. f.

Longitudo $1\frac{1}{3}$ linearum. *Caput* subtransversum, thorace latius. *Antennae* articulis 1—7 diluterufis, 8—11 nigris (reliquis deficientibus). *Thorax* cylindrico-gibbulus; parte decliva metathoracis subscabricula opaca. *Scutellum* parvum. *Alarum* rudimenta albida, vix conspicua. *Pedes* mediocres; anteriores straminei; postici rufi, coxis et trochanteribus pallidioribus. *Abdomen* oblongoovatum, capite thoraceque vix paulo longius, thorace angustius; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, nigro, apice subaciculato; 2 fusco, basi rufescente; 3 rufo; sequentibus nigrofuscis. *Aculeus* fere quintae abdominis partis longitudine.

Hanc feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

Synonyma:

Ichneum. dromicus Gravenh. Pedestr. p. 39, n. 11.

299. P. SUBZONATUS.

Alarum rudimentis. Niger; segmentorum 2 et 3 basi summa castanea; pedibus testaceis, femoribus fuscis. f.

Longitudo 1¼ linearum. *Antennae* articulo 1 fusco, subtus ferrugineotestaceo, 2—4 testaceis, (reliquis deficientibus). *Thorax* elongatogibbulus. *Scutellum* subrufescens. *Alarum* rudimenta sordidealbida, vix conspicua. *Pedes* mediocres, piceo-testacei; femoribus anterioribus superne subfuscescentibus, posticis nigricantibus aut fuscis, basi rufescente; tibiis apice fuscescentibus, posticis fere totis fuscis basi testacea. *Abdomen* ovatum, capite thoraceque paulo longius, thorace latius, apice compressoclavatum (an vi externa ita compressum?); segmento 1 apicem versus sensim paulo dilatato, incisuris duabus anterioribus castaneo-rufis. *Aculeus* suberectus, dimidii abdominis longitudine, fuscus, terebra rufescente.

Specimen unicum *Nees ab Esenbeck* cepit circa *Sickershausen.*

Synonyma:

Ichn. subzonatus Grav. Pedestr. p. 40, n. 12.

300. P. ATRICAPILLUS.

Alarum rudimentis. Stramineus; capite antennarumque apice nigris; abdominis apice fusco, segmento primo lineari. f.

Longitudo 3/5—4/5 lineae. *Antennae* corporis longitudine, fuscae, basin versus stramineae, interdum corpore paulo breviores. *Thorax* gibbus stramineus; interdum metathorace fere toto, vel parte ejus decliva ante petiolum, obscuriore. *Scutellum* parvum triangulare. *Alarum* rudimenta brevissima exalbida. *Pedes* mediocres. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace latius, depressiusculum, suborbiculatum aut ovatoorbiculatum, laevissimum, nitidissimum; segmento 1 lineari, aut apicem versus paululum dilatato, stramineo, parte antica latitudine paulo longiore, paulo breviore quam petiolus, marginibus lateralibus plerumque fuscescentibus; 2 stramineo, interdum lateribus fuscis; 3 rarius toto fusco, ut plurimum disco stramineo; reliquis fuscis. *Aculeus* quintae partis abdominis longitudine.

Individua quaedam, circa *Warmbrunn* et *Trajectum ad Moenum* lecta, mihi missa sunt.

Synonyma:

Ichn. atricapillus Grav. Pedestr. p. 41, n. 13.

301. P. FASCIATUS.

Apterus, rufus; capite et abdominis fascia nigris. f.

Longitudo 1—2 linearum. *Caput* mandibulis interdum rufis. *Antennae* tenues filiformes, corpore breviores, rufae, apice fuscae. *Thorax* elongatus; prothoracis, interdum quoque metathoracis, canalicula aut scrobiculo dorsali, distinctiore aut obsoletiore. *Scutellum* minutum. *Pedes* mediocres rufi; femoribus interdum ferrugineis basi pallidiore, posticis plerumque apice, rarius ad medium usque, fuscis aut nigris, mediis quoque interdum apice fusco; tibiis posterioribus apice obscuriore aut nigricante. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace latius, plerisque ovatum, rarius subglobosum (latitudine paulo longius); segmento 1 apicem versus sensim paulo dilatato, tuberculis lateralibus in medio sitis, rarius puncto nigro aut petiolo ferrugineo; segmento 3 rarius toto nigro, aut rufo, basi vel maculis duabus baseos nigris, plerumque nigro, margine aut parte antica tota rufo. *Aculeus* abdominis trientis longitudine, niger.

Multa individua accepi, circa *Hirschberg*, *Warmbrunn*, *Berolinum*, *Trajectum ad Moenum*, *Parisios*, et in *Tauria*, capta.

Synonyma:

Ichn. fasciatus Fabr. Ent. p. 191, n. 242.
„ Panzer Faun. Fasc. 79, t. 14; habitat raro in floribus syngenesiae.
„ Grav. Pedest. p. 42, n. 14.
Ichn. melanocephalus Villers, p. 216, n. 269.
Mutilla melanocephala Schrank Austr. n. 841.
„ Villers p. 344, n. 10.
Cryptus fasciatus Fabr. Piez. p. 92, n. 98; habitat Halae.

Nota:

Ichn. fasciatus Gmelini, Villersii et Fourcroyi, alatus, cum hac specie haud confundendus est.

302. P. VAGANS.

Apterus, scutellatus, thorace longiore angustiore. Niger, prothorace rufomaculato; segmentis 1 et 2, basi antennarum, pedibusque, rufis, femoribus fuscis. f.

Longitudo 1 — fere 2 linearum. *Antennae* basin versus rufae aut ferrugineae, articulo 1 supra plerumque fusco. *Thorax* collo vel toto, vel solo margine supero, rufo; prothorace vel rufo aut castaneo, macula dorsali et laterali nigra, vel nigro, macula aut puncto laterali rufo. *Pedes* rufi; coxis plerumque supra fuscis; femoribus posticis fuscis, anterioribus rarius totis rufis, plerumque supra fuscis, subtus rufis rarius piceotestaceis;

tibiis posterioribus apice, ut plurimum quoque ante basin, fuscis. *Abdomen* segmento 1 rufo, rarius disco fuscescente; 2 rufo; 3 plerumque basi aut lateribus rufis. *Aculeus* quartae aut quintae, rarius sextae, partis abdominis longitudine.

Individua quaedam cepi circa *Gottingam* in gramine; alia, circa *Warmbrunn*, *Hirschberg*, *Norimbergam* et *Genuam* lecta, mihi transmissa sunt.

Varietates.

1. *Segmenti secundi dorso aut fascia fusca vel nigra.* f. — Caetera feminae genuinae respondent. *Tibiae* anticae interdum testaceae.

Feminae nonnullae, circa *Warmbrunn*, *Hirschberg*, *Trajectum ad Moenum* et *Sickershausen* captae, mecum communicatae sunt.

2. *Prothorace toto rufo.* m. f. — *Feminae* caeteris cum specie genuina congruunt: *Antennae* interdum totae fuscae. *Thorax* interdum metathoracis dorso ferrugineo, interdum quoque ipsius prothoracis dorso aut lateribus subfuscescentibus. *Abdomen* vel solo segmento 1 rufo aut testaceo, vel segmentis 1 et 2, saepe etiam 3, rufis, 3 attamen plerumque margine nigro. — *Mares*: *Longitudo* 1 lineae. *Corpus* gracilius quam feminis. *Caput* ore ferrugineo. *Antennae* fere corporis longitudine, paulo graciliores quam feminis, articulis 2 et 3 ferrugineis. *Thorax* collo et prothorace rufis. *Scutellum* distinctius quam in femina. *Ala-*

rum vestigium obsoletum. *Pedes* rufi, femoribus posterioribus medio fuscis. *Abdomen* depressiusculum, fusiforme, thoracis latitudine, eo autem paulo longius; segmento 1 rufo, disco fusco; 2 nigro aut fusco, basin versus subferrugineo.

Mares duos *de Heyden* cepit circa *Trajectum ad Moenum;* feminas quasdam legi in gramine circa *Gottingam*, quaedam, circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* lectae, mihi missae sunt.

3. *Thorace toto nigro.* m. f. — *Longitudo* maris vix 1 lineae, feminae paululum ultra 1 lineam. *Antennae* maris totae nigrae, feminae articulo 1 fusco (articulis reliquis deficientibus). *Thorax* feminae scrobiculo dorsali prothoracis obsoleto. *Scutellum* maris parvum, feminae obsoletum. *Alarum* rudimenta albida perexigua. *Pedes* coxis feminae nigris, maris fuscis; trochanteribus stramineis; femoribus feminae nigrofuscis, apice summo substramineo, maris fuscopiceis, apicem et basin versus stramineis; tibiis stramineis, posticis feminae apice et ante basin subfuscescentibus; tarsis stramineis. *Abdomen* segmento 1 rufescente aut piceostramineo, disco fusco; 2 margine summo piceo aut rufescente. *Aculeus* quartae partis abdominis longitudine.

Par hujus varietatis *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

4. *Thorace longo exscutellato; prothorace et abdominis basi rufomaculatis, pedibus rufis aut*

ferrugineis. f. — *Longitudo* 1—2 linearum. *Antennae* rarius rufae apice nigro; plerumque nigrae, articulo 2 vel articulis 2—4 subtus rufis. *Thorax* collo et prothorace rufomaculatis, rarius etiam metathoracis dorso ferrugineo. *Pedes* vel fere toti fusci; vel trochanteribus et tibiarum anteriorum latere interno stramineis; vel rufi, femoribus posticis geniculo nigro, tibiis posterioribus apice fusco. *Abdomen* vel segmenti primi margine testaceo aut ferrugineo; vel segmento 1 rufo macula fusca, 2 rufolimbato. *Aculeus* quartae partis abdominis longitudine.

Unum individuum cepi in gramine circa *Gottingam*; alia quaedam, circa *Warmbrunn* et *Monspessulanum* capta, ad me transmissa sunt.

Synonyma:

Ichn. vagans Olivier p. 204, n. 199.
„ Walckenaer p. 67, n. 87; habitat Parisiis (ad speciem genuinam spectant).
Ichn. agilis Grav. Pedestr. p. 45 var. 8—12 (ad spec. genuinam), 13—16 (ad var. 1), 1—7 (ad var. 2), 17 (ad var. 3), 36—38 (ad var. 4).

Nota:

Conferas notam ad *Pez. hortensem* n. 305.

303. P. AGILIS.

Thorace breviore latiore, maribus scutellato, feminis exscutellato. Niger, pedibus et antennarum basi rufis. m. f.

Longitudo maris 1⅓—2, feminae ⅘—1½ linearum. *Corpus* maris gracilius quam feminae, eadem statura et proportione partium ac in varietate 2 speciei antecedentis. *Antennae* vel rufae, apicem versus fuscae, vel fuscae, basin versus rufae, rarius solo articulo 2 rufo. *Thorax* feminae interdum tuberculo parvo laterali rubricoso. *Scutellum* maris exiguum. *Alarum* rudimenta exalbida minuta in mare. *Pedes* rufi aut fulvi aut straminei; marium femoribus posticis apice nigris aut fuscis, rarius fere totis fuscis; feminarum femoribus rarissime fuscescentibus. *Abdomen* segmento 1, interdum etiam 2, piceo- aut rufo-marginato; 6 et 7, vel 7 solo, in femina interdum subpiceis. *Aculeus* quartae partis abdominis longitudine.

Mares feminasque plurimos *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* feminae quaedam, circa *Hirschberg, Trajectum ad Moenum* et *Genuam* captae, masque circa *Habelschwerdt* captus, mihi transmissae sunt.

Varietates:

1. *Segmento septimo stramineo.* f. — *Longitudo* 1 lineae. — Caetera sicut in feminis genuinis.

Quaedam specimina, circa *Warmbrunn* et *Hirschberg* capta, ad me transmissa sunt.

2. *Antennis nigris, femoribus fuscomaculatis.* m. f. — *Longitudo* maris 1 ⅔, feminae 1 ⅓ linearum. *Antennae* articulo 2 rufo aut ferrugineo. *Pedes maris* straminei; femoribus piceostramineis, posticis fuscis, basin versus stramineis, tibiis posticis apice summo fusco; *feminae* fulvi, femoribus anterioribus superne macula fusca. — Caetera sicut in maribus et feminis genuinis.

Marem cepit *Manger* circa *Warmbrunn*, feminam ipse cepi in gramine prope *Gottingam*.

3. *Prothorace ferrugineofusco.* f. — *Longitudo* paulo ultra 1 lineam. *Antennae* fulvae, apice fusco. *Thorax* fuscus, praecipue circa suturas et ad latera prothoracis subferrugineus; collo subferrugineo. *Pedes* fulvi. *Abdomen* segmento 1 rufo, macula disci fusca; 2 marginibus omnibus rufis; reliquis margine summo subpiceo. *Aculeus* tertiae aut quartae partis abdominis longitudine.

Unicum individuum *a Stillfried* cepit circa *Hirschberg*.

4. *Thorace longo exscutellato.* — *Color* variabilis:

a) Niger, pedibus totis rufis.

Haec varietas a reliquis differt antennis paulo brevioribus et crassioribus, abdomine paulo magis

elongato. — *Longitudo* 1 $^2/_3$ linearum. *Antennae* totae nigrae, dimidio corpore vix paulo longiores, apice curvatae. *Pedes* rufi. *Abdomen* oblongoovatum, capite thoraceque paulo longius et latius, totum nigrum. *Aculeus* quarta abdominis parte brevior.

Unicam feminam *de Heyden* cepit circa *Trajectum ad Moenum.*

b) Niger; segmento 1 *margine rufo; pedibus rufis, fuscomaculatis.* f.

Longitudo 1 — 2 linearum. *Antennae* plerumque articulis 2 et 3, rarius etiam 4, rufis. *Thorax* interdum tuberculo laterali rufo aut castaneo. *Pedes* rufi; coxis supra fuscis; femoribus plus minus colore fusco imbutis, rarius fere totis rufis; tibiis posterioribus apice, plerumque etiam ante basin, rarius latere externo toto, basi excepta, fuscis. *Abdomen* segmento 1 margine, nonnunquam etiam petiolo, rufo; 2 plerumque margine, interdum etiam basi et lateribus, rufis aut badiis. *Aculeus* tertiae aut quartae partis abdominis longitudine.

Individua plura capta sunt circa *Warmbrunn, Hirschberg, Vratislaviam* (in gramine), nec non circa *Sickershausen, Norimbergam, Trajectum ad Moenum, Parisios, Taurinum, Aboam* et in *Tauria.*

c) Niger; segmentis 1 *et* 2 *pedibusque rufis, femoribus fuscescentibus.* f.

Longitudo 1 lineae. *Antennae* articulis 2 et 3 subtus rufis. *Pedes* rufi; femoribus, imprimis

posticis, fuscescentibus; tibiis posticis apice et ante basin fuscis. *Abdomen* segmento 1 vel toto rufo, vel petiolo nigro; 2 rufo; 3 vel toto nigro, vel basi et lateribus rufis. *Aculeus* partis quintae abdominis longitudine.

Feminae duae, circa *Trajectum ad Moenum* et *Sickershausen* captae, mihi transmissae sunt.

5. *Thorace sublongo, plerumque exscutellato.* *Color* variabilis est:

a) *Niger, pedibus testaceis fuscomaculatis.* f.

Haec varietas colore quidem *Pezomacho festinanti*, n. 314 affinis est, differt autem statura graciliore, imprimis abdomine et segmento primo paulo angustioribus, medium tenens inter varietatem 4, *b*) et *festinantem*. — *Longitudo* 1⅕ linearum. *Antennae* articulo 2 subtus rufo. *Pedes* straminei; coxis superne fuscis; femoribus fuscis, apicem et basin versus stramineis, posticis obscurioribus; tibiis posterioribus apice et ante basin fuscescentibus aut fuscis. *Aculeus* vix tertia parte abdominis paulo longior.

Individuum unicum *pedemontanum Bonelli* ad me transmisit.

b) *Niger; antennarum basi, segmentorum* 1 *et* 2 *margine, tibiisque, rufis.* f.

Longitudo vix paulo ultra 1 lineam. *Antennae* articulis 2 et 3 rufis. *Thorax* tuberculo mi-

nuto laterali prothoracis rubricoso. *Pedes* testacei, coxis fuscis; femoribus anterioribus medio, posticis fere totis, fuscis; tibiis posterioribus apice fusco. *Abdomen* segmento 1 apice, 2 margine tenui, ferrugineorufis. *Aculeus* quarta parte abdominis vix paulo longior.

Hanc feminam *de Heyden* circa *Trajectum ad Moenum* cepit.

c) *Niger, pedibus testaceis.* m. f.

Longitudo maris paululum ultra 1 lineam, feminae ⅔ — 1 lineae. *Antennae* nigrae; feminis plerumque subtus basin versus, aut solo articulo 2, rufescentes. *Scutellum* maribus parvum; feminis ut plurimum omnino nullum, in uno tantum individuo minutum. *Alarum* rudimenta albida minutissima in mare. *Pedes* vel testacei aut straminei, interdum femoribus anterioribus basin versus subfuscescentibus, aut femoribus posticis apice obsoletefuscescente; vel rufi, coxis interdum superne fuscescentibus, femoribus vel totis vel superne, imprimis basin versus, fuscescentibus, tibiis posticis interdum externe, aut apice et ante basin, fuscescentibus. *Abdomen* nigrum, rarius nigropiceum; segmento 1 *feminae* rarius toto, plerumque solo margine, subpiceo, *maris* angustiore quam feminae, interdum fere lineari; 1 et 2 maris interdum fuscopiceis. *Aculeus*, longitudine variabili, nec ultra tertiam nec infra sextam partem abdominis longus.

Mares duo circa *Warmbrunn* capti sunt; feminam semel prope *Gottingam* cepi; plures feminas autem accepi, circa *Warmbrunn, Sickershausen, Trajectum ad Moenum* et *Genuam* lectas.

d) Niger, pedibus testaceis, femoribus fuscis. f.

Longitudo vix 1 lineae. *Antennae* articulis 2 et 3, seu 2—5, interdum subrufescentibus aut ferrugineofuscis. *Thorax* nonnunquam fuscus, prothorace ferrugineo-fusco. *Scutelli* vestigium in nonnullis. *Pedes* coxis et femoribus fuscis, his apice et basi plus minus stramineis; tibiis posticis apice et ante basin, rarius latere externo fere toto, fuscis, rarius quoque apice anticarum et fere latere toto externo mediarum fuscis. *Abdomen* nigrofuscum; segmentis 1 et 2 vel totis piceostramineis vel margine distinctiore aut obsoletiore piceo. *Aculeus* tertiae aut quartae partis abdominis longitudine.

Quaedam individua Manger legit circa *Warmbrunn.*

e) Niger, pedibus fuscis. f.

Longitudo ¾ lineae. *Corpus* totum nigrum. *Pedes* nigrofusci; trochanteribus, tarsis, tibiis anticis totis nec non posteriorum basi, geniculisque femorum anteriorum, testaceostramineis. *Aculeus* sextae partis abdominis longitudine.

Unicam feminam *de Heyden* cepit circa *Trajectum ad Moenum.*

Synonyma:

Ichn. agilis Fabr. Syst. p. 344, n. 97. — Ent. Syst. p. 190, n. 239; habitat in larvis Ichneumonis aphidum *Sueciae*.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2716, n. 214.
„ Christ. p. 376.
„ Olivier p. 204, n. 196.
„ Schrank Boic., n. 2131; mas, circa *Gern*.
„ Walckenaer p. 66, n. 85.
„ Gravenh. Pedest. p. 45, var. 18, 19, 26, 27 (ad speciem genuinam), 20, 34 (ad var. 1), 23, 24 (ad var. 2), 25 (ad var. 3), 28, 30, 31 (ad var. 4, *b.*), 22 (ad var. 5, *a.*), 21, 33 (ad var. 5, *c.*), 32, 47 (ad var. 5, *d.*).

Cryptus agilis Fabr. Piez. p. 91, n. 95.

Ichn. cursor Schrank Schr. berl. Ges. I, p. 308. — Boic., n. 2121; mas, circa Amberg in Palatinatu (ad var. 5, *c.*).
„ Gmel. ed. Linn. p. 2717, n. 220 (haud confundendus cum *Ichn. cursore* Thunb. Ichn., n. 102.

Ichn. De Geer II, 2, p. 903 — 906, n. 17, tab. 31, fig. 18; femina ova deponit in larvas, quae in Aphidibus mortuis latent.

Ichn. fuscicornis, Retz, n. 288.
„ Villers p. 215, n. 266; in aphidibus Galliae australis (hic et Ichn. De Geeri laudatus ad var. 5, *c.* spectant).

Insectum apterum Brünniche Siaell. p. 30, n. 20 (ad var. 4, *b.*).

Nota:

Ichn. agilis Christ tab. 39, fig. 4, alatus est, nec cum hac specie confundi debet. — *Ichn. agilis* Rossi Mant. II p. 113, n. 96, vix huc referri potest, praecipue ob caput, thorace duplo latius, et aculeum dimidii abdominis longitudine.

Ichn. fuscicornis Gmelinii et Schrankii alatus est, nec ad hanc nostram speciem referri potest.

Insectum apterum Brünnichii laudatum forsan etiam femina speciei genuinae est, cui ratione coloris optime respondet. Sed ejusdem auctoris *insectum apterum* n. 21 huc non spectat, potiusque e hac Cryptorum familia (forsan e tota Ichneumonidum genuinorum tribu) removendum est, ob aculeum fere corporis longitudine.

Ichn. celer Olivier p. 205, n. 205, optime cum nostro *P. agili* genuino congrueret, nisi 2¼ lineas longus esset; forsan quoque cum varietate 29 (Grav. Pedestr. p. 67), speciei genuinae valde affini, conjungi posset, quae solo tuberculo minuto rubro laterali thoracis (alias variabili et obsoleto) a descriptione *Ichn. celeris* discedere videtur. — Idem monendum est de *Ichn.* Geoffroyi p. 362, n. 91 (*Ichn. aptero* Fourcroy, Villers, Walckenaer).

Caeterum ad haec conferre velis notam ad *Cr. hortensem*, n. 305.

304. P. BICOLOR.

Thorace breviore latiore, exscutellato. Niger; antennarum basi, thorace, segmento 1, pedibusque, rufis. f.

Longitudo 1⅓ — fere 2 linearum. *Antennae* fuscae, basin versus distinctius aut obsoletius rufae, articulo 1 semper fusco. *Thorax* macula nigra laterali metathoracis, rarius macula fusca dorsali prothoracis. *Scutelli* interdum rudimentum obsoletum. *Pedes* rufi, rarius femoribus ferrugineis, tibiis posticis interdum apice fusco. *Abdomen* segmento 1 rufo; 2 ut plurimum marginibus ferrugineis aut rufescentibus, obsoletis, lateribus semper rufis; ultimis interdum pallidemarginatis. *Aculeus* quartae aut quintae partis abdominis longitudine.

Quaedam individua, circa *Warmbrunn, Trajectum ad Moenum, Genuam* et in *Regione Pedemontana*, lecta, mecum communicata sunt. Pedemontanum est minimum, femoribus ferrugineis, macula dorsali prothoracis fuscescente.

Varietates:

1. *Femoribus obscuris; segmento secundo plerumque rufomarginato aut toto rufo.* f. — *Longitudo* 1 — 1⅔ linearum. *Antennae* basin versus rufoferrugineae, articulo 1 supra plerumque fusco. *Thorax* interdum puncto dorsali prothoracis, aut parte decliva metathoracis, nigricante. *Pedes* fe-

moribus fuscis aut fuscoferrugineis, posticis ut plurimum obscurioribus basi summa et apice summo ferrugineis; tibiis externe obscurioribus, posticis apice et ante basin fuscis. *Abdomen* segmento 1 rufo aut ferrugineo, interdum macula dorsali fusca; 2 rarius toto nigro aut rufo, ut plurimum nigro, basi marginibusve omnibus rufis aut ferrugineis. *Aculeus* quartae partis abdominis longitudine.

Quaedam individua cepi in gramine circa *Gottingam;* alia nonnulla, circa *Warmbrunn, Sickershausen, Trajectum ad Moenum* et in *Regione Pedemontana,* capta, mihi missa sunt.

2. *Segmento 2 toto rufo, 3 lateribus rufis.* f. — *Longitudo* 1 lineae. *Antennae* fuscae; articulis 1—6 rufis, sensim obscurioribus. *Thorax* plerisque puncto laterali metathoracis fusco. *Pedes* femoribus anterioribus plerumque superne subfuscescentibus, posticis nigrofuscis, basin versus stramineis; tibiis apice fuscescente, posticis ante basin fuscis. *Aculeus* quarta abdominis parte vix paulo longior.

Individua 2 circa *Warmbrunn,* 1 circa *Trajectum ad Moenum,* capta, (hoc metathorace femoribusque anterioribus totis rufis) ad me transmissa sunt.

3. *Antennis et segmento 2 rufis.* f. — *Longitudo* 1—fere 2 linearum. *Antennae* articulo 1 rufo, plerumque supra fusco aut ferrugineo;

sequentibus ut plurimum omnibus, rarius tantum basi proximis, rufis. *Thorax* puncto aut lineola laterali metathoracis, punctoque aut macula pectorali, nigris, interdum pectore, thoracis lateribus, parteque decliva metathoracis ante petiolum, nigris; prothorace plerumque scrobiculo seu canalicula longitudinali dorsali. *Pedes* rufi, postici rarius geniculis subfuscescentibus. *Abdomen* segmentis 1 et 2 rufis, 2 rarissime macula discoidali nigra; lateribus tertii, ut plurimum etiam quarti, rufis; rarissime 3 — 5 margine summo subferrugineo, ultimis interdum pallidesubmarginatis. *Aculeus* tertiae partis abdominis longitudine, vel quarta ejus parte vix paulo longior.

Specimina nonnulla legi in gramine circa *Gottingam* et *Vratislaviam;* plura, circa *Warmbrunn*, *Hirschberg*, *Trajectum ad Moenum*, *Parisios* et in *Volhynia*, capta, ad me transmissa sunt.

4. *Segmenti secundi disco fusco.* f. — *Longitudo* 1 lineae. *Antennae* rufae, apice fusco. *Thorax* rufus; metathorace paulo obscuriore, rarius ferrugineo; prothorace macula fuscescente laterali, scrobiculo parvo dorsali. *Scutelli* vestigium obsoletum. *Pedes* testacei, femoribus interdum basin versus subfuscescentibus, tibiis posticis apice et ante basin plerumque obsoletefuscescentibus. *Abdomen* segmento 1 testaceo; 2 vel fusco, margine pallido, vel stramineo, disco fuscescente; sequentibus obscurofuscis, margine

distinctius aut obsoletius pallescente. *Aculeus* quartae aut quintae partis abdominis longitudine.

Individua quaedam, circa *Hirschberg*, *Warmbrunn* et *Trajectum ad Moenum*, capta, accepi.

5. *Metathorace antennis femoribusque fuscis, segmento secundo rufo.* f. — *Longitudo* $^2/_3$ — 1 lineae. *Antennae* vel totae fuscae, vel articulis 2 — 4 subferrugineis. *Thorax* prothorace rufo aut ferrugineo, interdum dorso fusco; metathorace fusco, dorso ferrugineo. *Pedes* rufi, femoribus fuscis, basin versus stramineis; tibiis apice vix subfuscescente, posterioribus interdum fuscis basi pallidiore. *Abdomen* segmentis 1 et 2 rufo- aut piceo-stramineis, 2 interdum disco aut lateribus fuscis. *Aculeus* quarta abdominis parte vix paulo longior.

Unam feminam, eamque minimam, *de Heyden* cepit circa *Trajectum ad Moenum*, tres alias *Manger* legit circa *Warmbrunn*.

6. *Thorace subelongato.* f. — *Longitudo* 1 lineae, vel paulo major aut minor. *Antennae* interdum basin versus sordidestramineae. *Thorax* rarius fuscus aut testaceus, ut plurimum ferrugineus aut rufus, metathorace plerisque obscuriore, individuis minoribus interdum scrobiculo dorsali prothoracis. *Scutelli* vestigium, plus minus distinctum, in speciminibus nonnullis, praecipue in minoribus. *Pedes* testacei; femoribus interdum medio aut latere externo fuscis; tibiis posticis

saepe apice et ante basin, rarius latere toto externo, fuscis, interdum quoque anterioribus apice et ante basin fuscis. *Abdomen* segmento 1 plerumque ferrugineo aut rufo, interdum fusco, rarius fulvo aut stramineo; 2 nigro aut fusco, interdum margine stramineo, rarissime toto rufo aut fulvo; sequentibus nigris, rarius fuscis; 6 et 7, vel 7 solo, interdum subtestaceis. *Aculeus* quartae aut quintae partis abdominis longitudine.

Individua quaedam capta sunt circa *Vratislaviam* in gramine; multa circa *Warmbrunn, Hirschberg* et *Trajectum ad Moenum;* singulum, idque minimum, circa *Sickershausen.*

Synonyma:

Ichn. bicolor Villers p. 218, n. 275; sub ponte vulgo de la Guillotière (Lugduni?) captus (haud confundendus cum *Ichn. bicolore* Vill. n. 226, Oliv. et Gmel., alato).

Ichn. agilis Grav. Pedestr. p. 45, var. 56 (ad spec. genuin.), 55 (ad var. 1), 42 (ad var. 2), 57 (ad var. 3), 48 (ad var. 4), 41 (ad var. 5), 44, 45, 46 (ad var. 6).

Cryptus pulicarius Gravenh. Uebers. n. 3778 (ad var. 1. — *Cr. pulicarius* Fabricii autem est nostra sp. 309. *Ichneum. pulicarius* Panzeri aculeo, abdominis longitudinem excedente, ab ambobus distinguitur).

Nota:

Conferas notam ad speciem sequentem.

305. P. HORTENSIS.

Thorace breviore latiore, maribus scutellato, feminis exscutellato. Niger; thorace, antennarum basi, segmentis 1—3, pedibusque rufis, femoribus posticis apice nigro. m. f.

Longitudo maris $1\frac{1}{5}$—2, feminae $1\frac{1}{6}$—fere 2 linearum. *Antennae* nigrae aut fuscae, basin versus plus minus rufae, interdum articulo 1 solo rufo, interdum autem hoc articulo fusco; *feminae* dimidio corpore paulo longiores, *maris* paulo graciliores pauloque longiores quam feminae. *Thorax feminae* plerumque canalicula subobsoleta dorsali prothoracis; *maris* interdum puncto fuscescente dorsali prothoracis, punctoque nigricante laterali metathoracis. *Scutellum* feminae nullum, mari parvum aut minutum, interdum subobsoletum. *Alarum* nullum vestigium. *Pedes* rufi; femoribus posticis apicem versus nigris aut fuscis, maris interdum fere totis nigris, mediis rarius, anticis rarissime, apice subfuscescente; tibiis posticis apice, interdum etiam ante basin, fuscis aut nigricantibus, mediis plerumque apice fuscis. *Abdomen* segmentis 1—3 rufis, 3 interdum margine nigro; 4 ut plurimum lateribus, interdum quoque margine, rufescentibus; ultimis subpallide-marginatis. *Aculeus* quartae partis abdominis longitudine.

Mares nonnulli et feminae, circa *Warmbrunn*, *Hirschberg*, *Vratislaviam*, *Trajectum ad Moe-*

rum, lecti, feminaeque singulae, circa *Sickershausen, Genuam* et *Parmam,* captae, mecum communicati sunt.

Varietates:

1. *Segmentis* 1—4 *rufis.* m. f. — *Longitudo* maris 2, feminae 1⅓—2 linearum. *Abdomen maris* oblongum, vix thorace paulo latius; segmento 1 rufo, angustiore quam feminae, tuberculis lateralibus distinctioribus; 2—4 rufis, 4 lateribus nigris; reliquis nigris; *feminae* segmentis 1—4 rufis, 4 plerumque margine nigro; 5 vel toto nigro, vel rufolimbato; sequentibus nigris, plerumque margine pallescente. — Caetera individuis plurimis genuinis respondent.

Unicum marem *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* ibidem, nec non circa *Sickershausen,* plures feminae lectae sunt, unam in gramine prope *Gottingam* cepi.

2. *Antennis ante basin rufis, geniculis omnibus obscurioribus.* m. f. — *Longitudo* maris 1¾, feminae 1—1½ linearum. *Antennae* articulo 1 nigro aut fusco, sequentibus rufis, ultimis fuscis. *Thorax* rufus; plerumque puncto laterali metathoracis, nonnunquam altero prothoracis, nigro. *Scutellum* parvum et *alarum* rudimenta obsoletissima in mare. *Pedes* rufi; femoribus anticis geniculo plus minus fusco, mediis apice nigricante aut fuscescente, posticis vel apice vel fere totis nigris; tibiis mediis, interdum quoque anticis, apice fus-

cis, posticis apice nigricante, interdum etiam ante basin fuscis. *Abdomen* segmentis 1—3 rufis, interdum 1 petiolo, 2 puncto dorsali, fuscescente, 3 interdum margine nigricante, aut nigro lateribus et basi rufis; ultimis feminae ut plurimum subpallidemarginatis. *Aculeus* tertiae aut quartae partis abdominis longitudine.

Mas unicus, at plures feminae, circa *Warmbrunn* et *Hirschberg* captae sunt; feminam unicam, thorace toto rufo, *Hartlieb* cepit circa *Vratislaviam*.

3. *Rufofulvus, capite et antennis nigris, abdominis apice fusco aut nigro.* f. — *Longitudo* 1—1⅓ linearum. *Antennae* totae nigrofuscae. *Thorax* et *pedes* fulvi aut rufi, rarius ferruginei; canaliculo dorsali prothoracis distinctiore aut obsoletiore. *Scutellum* minutum aut obsoletum. *Abdomen* segmento 1 rufo aut fulvo, rarius ferrugineo; 2 rarius toto rufo aut fulvo, ut plurimum fusco, margine pallidiore, rarius fere toto nigrofusco; 3 rarissime fulvo, margine subfusco, plerumque nigro aut fusco, interdum margine subpallidiore; sequentibus fuscis aut nigris, 6 et 7 autem plerumque testaceis. *Aculeus* quartae partis abdominis longitudine.

Plures feminae, circa *Hirschberg* et *Warmbrunn* captae, mecum communicatae sunt.

4. *Testaceostramineus, capite et abdominis apice fuscis.* f. — *Longitudo* vix 1 lineae. *Caput*

ferrugineofuscum, oculis nigris. *Antennae* stramineae, apice fuscescente. *Scutellum* nullum; sed loco ejus canalicula transversa obsoleta. *Abdomen* fuscum, segmentis 1 et 2 sordiderufis. *Aculeus* fuscus, quarta parte abdominis vix paulo longior.

Feminae duae, circa *Vratislaviam* et *Norimbergam* captae, mihi transmissae sunt.

5. *Rufus, capite et abdominis apice nigris.* f. — *Longitudo* 1 ¾ linearum. *Antennae* rufae, articulis ultimis fuscescentibus. *Thorax* et *pedes* toti rufi. *Abdomen* segmentis 1 et 2 diluterufis; 3 et 4 nigris, lateribus et margine rufis; 6 et 7 subtestaceis.

Feminam unicam cepit *de Heyden* circa *Trajectum ad Moenum.*

6. *Thorace subelongato rufo, metathorace obscuriore; abdominis et antennarum basi, pedibusque, rufis aut testaceis, femoribus fuscis.* f. — *Longitudo* 1 — 1 ¾ linearum. *Antennae* articulo 1 fusco, sequentibus ferrugineis aut substramineis, ultimis plerumque fuscis. *Thorax* prothorace rufo, interdum puncto aut macula dorsali nigra, metathorace vel toto nigrofusco, vel dorso rufo, vel rufo macula seu puncto laterali fusco. *Pedes* rufi aut piceostraminei, coxis interdum subfuscescentibus; femoribus fuscis, basin versus substramineis; tibiis apice, posticis etiam ante basin, fuscis. *Abdomen* segmentis 1 et 2 rufis aut stra-

mineis, 2 ut plurimum disco aut basi fusco; 3 plerumque lateribus subrufis, ultimis plerumque testaceomarginatis. *Aculeus* tertiae aut quartae partis abdominis longitudine.

Nonnulla individua, circa *Vratislaviam Warmbrunn* et *Hirschberg* capta, accepi.

Synonyma:

Ichn. hortensis Christ p. 375; longitudo 2½ linearum; antennae et abdomen motu sunt continuo.

Ichn. agilis Grav. Pedest. p. 45, n. 15, var. 52, 53 (ad spec. genuinam), 61 (ad var. 1), 54 (ad var. 2), 51 (ad var. 3), 64 (ad var. 4), 40, 43 (ad var. 6).

Nota:

Sunt entomologi, quos magna copia varietatum *Ichneumonis agilis*, in Monographia Ichn. pedestrium descriptarum, graviter offendit, existimantes, plures species genuinas sub varietatibus illis latere. Quo commotus, omnia harum varietatum individua, quae coram habeo, examini reiterato, eique rigorosissimo, subjeci. Sed hoc quoque denuo obfirmavit sententiam meam de mutabilitate et transitu gradario atque insensibili omnium illarum varietatum. Nullibi limites stabiles existunt, quibus plures aut singulae varietates a reliquis sejungantur et inter se coarceantur. —

Primo omnes illas varietates et individua colligebam, quae scutello carent; deinde autem, observans, harum varietatum plurimas thorace quoque latiore et breviore, nec non incisura transversali, qua prothorax a metathorace sejungitur, minus profunda, et in dorso thoracis magis arcuata, a caeteris, scutellatis, quibus incisura ista dorsalis magis recta est, discrepare, jam notas invenisse credebam certas et immutabiles, quibus saltem duas species, diagnosi exacta, discernere possem; sed eheu, omnibus individuis attentissime recontemplatis, multa erant, quae his notis medium quasi tenebant, sensimque huc in scutellata, illuc in exscutellata, transibant. Idem etiam de aliarum partium forma et proportione, nec non de coloribus et magnitudine, se probabat. Ubique transitus insensibiles manifestantur; nulloque modo commotus sum, quidpiam de eo revocare, quod in prooemio ad Monographiam Ichn. pedestr. de Ichneumonis agilis variabilitate fusius pronuntiavi. — Duae sunt rationes, quae hic admitti possunt, scilicet: vel species una originaria assumenda est, quae, quasi mutabilitatis indole quadam innata, varietatibus illimitatis propagatur: vel duae aut plures species originariae statui debent, quarum copula spuria nascitur progenies, forma magnitudine et coloribus multiplex. Ratione prima nixus, in Monographia magnam horum Pezomachorum turbam in unam speciem redegi, quia illius turbae individua sensim sensimque mutantur et inter se transeunt. Cum autem haec mutabilitas indivi-

duorum etiam e copula spuria plurium specierum oriri possit, nunc illam speciem in quatuor species originarias (*vagantem*, *agilem*, *bicolorem* et *hortensem*) dissolvere conatus sum, quarum nothi autem ita inter se transeunt, ut nullibi fines stabiles et firmi designari possint, quod jam in Monographia, quam conferas, uberius exposui.

De varietatibus 29, 35, 39, 49, 50, 58, 59, 60, 62 et 63, in Monographia sub *Ichn. agili* descriptis, haud rationem reddere possum, cum plurimas earum jamdudum remiserim, quaedam autem casu infelici perditae sint.

306. P. STEVENII. n.

Niger; segmento primo, antennis ante basin, thoracisque dorso, castaneis; pedibus fuscis. f.

Statura et proportio partium *Pez. vagantis* var. 4; sed magnitudine et colore ambae species differunt nec inter se transeunt,

Longitudo 2—2⅓ linearum. *Antennae* articulo 1 fusco, subtus castaneo; 2 et 3 vel totis castaneis vel supra fuscis; sequentibus fuscis, in altero individuo subtus ferrugineis, sensim obscurioribus, ultimis totis fuscis. *Thorax* prothorace colloque castaneis, subtus nigris, metathorace nigro, dorso castaneo. *Pedes* coxis et trochanteribus castaneis, superne nigris; femoribus nigris, anticis, vel etiam mediis, apicem versus testaceis;

tibiis rufoferrugineis, posterioribus apice et ante basin nigrofuscis, posticis, in altero individuo, latere externo toto, excepta basi summa, nigrofusco; tarsis ferrugineis aut fuscoferrugineis. *Abdomen* nigerrimum; segmento 1 castaneo, basi petioli nigra. *Aculeus* quartae partis abdominis longitudine.

Duas feminas a *Steven* e *Tauria* ad me transmisit.

307. P. VULPINUS.

Rufus, capite nigro. f.

Statura et proportio partium *P. hortensis*, n. 305; aculeo autem breviore, interdum quoque abdomine latiore.

Longitudo 1½—2 linearum. *Antennae* fuscae, basin versus rufae rarius testaceostramineae. *Thorax* rarius metathoracis lateribus obsolete nigronotatis, interdum scrobiculo dorsali prothoracis. *Pedes* rufi aut rufofulvi; femoribus posticis interdum medio aut apice nigrofuscis aut subfuscescentibus. *Abdomen* vel capite thoraceque paulo longius et latius, ovatum, vel capitis thoracisque longitudine, thorace latius, orbiculato-ovatum; segmento 1 parte antica quadrata aut subquadrata; interdum segmentorum 2 et 3 margine, aut segmentorum 4 et 5 basi, nigricante aut fusco. *Aculeus* brevissimus, sextae abdominis partis longitudine, interdum autem vix subexsertus.

Individua quaedam circa *Warmbrunn Hirschberg* et *Brunsuigam* capta sunt.

Synonyma:

Ichn. vulpinus Grav. Pedestr. p. 96, n. 16.

308. P. FORMICARIUS.

Niger, thorace, pedibus, segmento primo, oreque, rufis. f.

Statura et proportio partium *Pez. hortensis,* n. 305; sed petiolo et aculeo longioribus.

Longitudo 2 linearum. *Caput* ore obscuroferrugineo. *Antennae* ferrugineae, apicem versus subfuscescentes, articulo 1 supra nigro. *Thorax* rufus, dorso metathoracis subfuscescente. *Abdomen* segmento 1 rufo, apicem versus sensim dilatato; 2, 3 et 4 nigris, margine rufo obsoleto, in 2 distinctiore; sequentibus nigris, margine rufo distincto. *Aculeus* trientis abdominis longitudine, niger, terebra rufa.

Unicum individuum, prope *Parisios* captum, *Desmarest* mecum communicavit.

Synonyma:

Ichn. formicarius Fabr. Species p. 441, n. 130. — Ent. p. 192, n. 246; habitat in *Sueciae* hortis.

„ Gmel. ed. Linn. p. 2717, n. 219.

„ Christ p. 376.

Ichn. formicarius Olivier p. 205, n. 201.
„ Grav. Pedest. p. 98, n. 17.
Cryptus formicarius Fabr. Piez. p. 92, n. 102.
Mutilla formicaria Linn. Faun. n. 1728. — Syst. XII, pag. 968, n. 10; habitat rarissime apud nos.
„ Villers p. 342, n. 4.

Nota:

Quaeritur, nonne synonyma plurimorum auctorum eodem jure ad *Pez. Hoffmannseggii*, n. 310, adhibenda sint, cum diagnosi auctorum, *apterus rufus, capite abdomineque pubescente nigris*, descriptio fusior haud subjuncta sit. Si *Ichn. formicarius* auct. pedibus rufis gauderet, hic noster Pezomachus forsan varietas ejus esse posset, segmentis 2—7 rufomarginatis; si autem femora fusca haberet, noster *Pez. Hoffmannseggii* optime ad eum quadraret. Interim autem eum cum hac nostra specie conjungo, existimans, auctores femorum fuscorum, sin ea vidissent, etiam mentionem fecisse.

Caeterum autem haec species haud confundenda est cum *Mutilla formicaria* Fabricii Gmelinii et Christii, quae est vera Mutilla, at Novae Hollandiae indigena.

309. P. PULICARIUS.

Niger; thorace, segmento primo, pedibusque, rufis, femoribus fuscis. f.

Statura et proportione partium haec species medium tenet inter *P. acarorum*, n. 311, et *hortensem*, n. 305. Antennis crassioribus differt a *Pez. acarorum*, congruit cum *hortensi*; petiolo et aculeo paulo longioribus autem differt ab hoc, congruit cum illo.

Longitudo 1 ¾ — 2 ⅕ linearum. *Antennae* fuscae, articulo 1 subtus rufo. *Pedes* trochanteribus supra fuscis; femoribus nigris, anterioribus apice summo ferrugineis aut apicem versus testaceis; tibiis plerumque latere altero obscuriore, apice nigro aut fusco. *Abdomen* segmento 1 rufo, interdum macula dorsali fusca; 6 et 7, individuo taurico, subtestaceis. *Aculeus* tertiae aut quintae partis abdominis longitudine.

Individua tria, circa *Hirschberg Warmbrunn* et in *Tauria* capta, mecum communicata sunt; tauricum, femoribus anterioribus apicem versus testaceis, segmentis 6 et 7 subtestaceis, a silesiacis differt.

Synonyma:

Ichn. pulicarius Fabr. Ent. p. 191, n. 241.

Cryptus pulicarius Fabr. Piez. p. 91, n. 97; habitat *Halae Saxonum*. (De *Ichn. pulicario* Panz. et *Cr. pulicario* Grav. conferas Synonyma *Pez. bicoloris*, n. 304).

310. P. HOFFMANNSEGGII.

Niger, thorace et petiolo rufis. f.

Longitudo 2 linearum. *Caput* ore fusco. *Antennae* subcrassiusculae, corporis dimidii longitudine vel paulo longiores, fuscae, subtus pallidiores, interdum articulis 1 — 3 testaceorufis. *Thorax* elongatogibbulus, metathorace bispino. *Pedes* mediocres, vel picei femoribus fuscis, vel fusci coxis ferrugineis. *Abdomen* oblongoovatum, capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, thorace latius; segmento 1 apicem versus sensim latiore. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior.

Duo individua *lusitanica* vidi in Museo *Comitis de Hoffmannsegg.*

Synonyma:

Ichn. Hoffmannseggii Gravenh. Pedestr. pag. 100, n. 19.

Nota:

Conferas notam ad *Pez. formicarium*, n. 308.

311. P. ACARORUM.

Niger; thorace, abdominis basi, pedibusque rufis, femoribus nec non tibiarum basi apiceque nigris. f.

A *Pez. hortensi*, n. 305, hic differt antennis paulo crassioribus, petiolo paulo breviore et crassiore, aculeo paulo breviore. Adpropinquat etiam *pulicario*, n. 309, quem ad hunc conferre velis.

Longitudo 2 ⅕ linearum. *Antennae* filiformes curvatae, dimidio corpore paulo longiores; articulo 2 et sequentibus basi apiceque rufis, sensim obscurioribus, ultimis totis fuscis. *Thorax* laevis, glaber, nitidus, subelongatogibbulus. *Pedes* mediocres rufi; femoribus totis, nec non tibiarum basi et apice, nigris. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius, thorace latius, ovatum; segmento 1 rufo, apicem versus sensim dilatato, tuberculis lateralibus obsoletis, in medio sitis; 2 rufo; 3 basi rufa. *Aculeus* trientis abdominis longitudine, niger.

Unicam feminam *pedemontanam Bonelli* mihi misit.

Synonyma:

Cryptus acarorum Fabr. Piez. p. 92, n. 99.
Ichn. acarorum Fabr. Syst. p. 344, n. 99. — Ent. Syst. p. 191, n. 243; habitat in *Europa boreali*.
„ Gmel. ed. Linn. p. 2716, n. 216.

Ichn. acarorum Christ, p. 376.
„ Olivier p. 204, n. 198; in *Gallia.*
„ Cederhielm p. 165, n. 513.
„ Walckenaer p. 66, n. 86.
„ Grav. Pedest. p. 101, n. 20.
Ichn. De Geer II, p. 907—909, n. 19, tab. 31, fig. 19 et 20; in larvis curculionum.
Ichn. nigricornis Retz n. 290, (haud confundi debet cum *Ichneum. nigricorne* Gmel. et Fabr.).
Mutilla acarorum Linn. Faun. n. 1729. — Syst. XII, p. 968, n. 9; tibiis posticis nigris; habitat cum acaris, quibus victitat.
„ Müll. F. Friedr. n. 659.
„ Müll. Prodr. n. 1938.
„ Villers p. 341, n. 3, (sed *Mutilla acarorum* Schrankii ad nostrum *Pez. nigrocinctum*, n. 293, redigenda est).

Nota:

Marem hujus speciei nunquam vidi. *Linneus* autem, in Faunae sueciae loco citato, post speciei descriptionem, addit *femina simillima, aculeo exserto abdomine breviore,* e quibus patet Linneum tam marem quam feminam vidisse, marem vero apterum esse. — *Olivier,* loco allegato, marem descripsit his verbis: *Caput ferrugineum, verticis macula nigra; antennis totis ferrugineis, paulo tenuioribus quam in femina. Thorax ferrugineus, postice nigrovarius. Alae anteriores*

obscurae, medio et apice hyalinae. Pedes ferruginei. Abdomen nigrum, segmento primo ferrugineo. — *De Geer* dicit de mare hujus speciei: *Alatus est, paulo major quam femina; abdomine rufo, petiolo et apice nigris; pedibus ferrugineis, hinc inde nigricantibus; antennis longitudine corporis; alis hyalinis, nervis et stigmate nigris; habitat cum femina in unius ejusdemque curculionum speciei larva.* — Ego autem, verbis Linnei assentiens, nec marem, ab Oliviero descriptum, nec alterum, quem De Geer descripsit, pro mare hujus nostri Pezomachi agnoscere possum, nam 1) uterque colore nimis a femina differt; 2) mares hujus familiae, quotquot eorum vidi, nunquam alis gaudent perfectis; 3) saepius larvae plurium specierum e tribu Ichneumonidum in unius ejusdemque speciei larvis degunt.

Licet ad hanc speciem omnes *Ichneumones* (et *Mutillas*) *acarorum*, quos auctores descripserunt, adhibuerim, attamen nonnullae descriptiones quadrant etiam ad *Pez. hortensem*, n. 305; mihique persuasum est, auctores plures, sub nomine *Ichn. acarorum*, nostrum *hortensem* descripsisse, cum noster *Pez. acarorum* rarissime occurrere videatur (nam ipse unicum tantum individuum, idque pedemontanum, vidi), *hortensis* autem multo frequentior, etiamque apud nos, occurrat.

312. P. PEDICULARIUS.

Niger; prothorace, pedibus, basique antennarum et abdominis, rufis. f.

Statura et proportio partium speciei insequentis, antennis autem brevioribus.

Longitudo 2 linearum. *Caput* palpis et mandibularum basi rufescentibus. *Antennae* dimidio corpore longiores, rufae, apicem versus fuscae. *Thorax* prothorace rufoferrugineo. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace latius, ovatum; segmentis 1 et 2, nec non summa basi segmenti 3, rufis; 5, 6 et 7 margine summo pallido. *Aculeus* trientis abdominis longitudine, fuscus.

Unicum individuum cepit *Bonelli* prope *Taurinum*, die 22 Maji.

Synonyma:

Ichn. pedicularius Fabr. Ent. pag. 192, n. 244; habitat *Halae Saxonum.*
„ Grav. Pedestr. p. 103, n. 21.
„ Latreille Crust. XIII, p. 183, n. 15.
Cryptus pedicularius Fabr. Piez. p. 92, n. 100.
Ichn. mutillarius Fabr. Mant. p. 271, n. 152.
„ Villers p. 217, n. 274.
Ichn. mutillatus Gmel. ed. Linn. pag. 2716, n. 217.

Nota:

Ad hanc speciem haud adhiberi debet *Ichneum. pedicularius* Panzeri, sed ad nostrum *nigrocinctum*, n. 293. — *Ichn.* Schaefferi Icon. tab. 246, fig. 4, quem Panzer pro *Ichn. pediculario* habet, magnitudine et colore differt a notsro.

Ichn. mutillarius Fabr. (Ent. p. 183, n. 205), Gmelinii, Villersii (n. 215) Christii et Olivieri, (*Cryptus mut.* F. Piez.) ad genus *Braconum*, nec vero ad hanc speciem, pertinet.

313. P. CURSITANS.

Niger, pedibus et abdominis basi rufis. f.

Statura et proportio partium *Pez. hortensis*, n. 305.

Longitudo 1¾—2⅓ linearum. *Caput* plerumque ore castaneo. *Antennae* subgraciles, corpore paulo breviores, vel rufae apice fusco, vel fuscae basin versus rufae. *Thorax* elongatogibbulus. *Pedes* mediocres rufi, postici apicibus femorum et tibiarum subfuscescentibus. *Abdomen* oblongoovatum seu ovatum, capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, thorace latius; segmento 1 rufo, apicem versus paulo dilatato; 2 rufo; 3 vel nigro, basi summa aut angulis baseos rufis, vel rufo, marginem versus fusco; reliquis nigris. *Aculeus* trientis abdominis longitudine, niger, terebra rufa.

Individua quaedam, circa *Vratislaviam Niesky* et *Aboam* lecta, mecum communicata sunt.

Synonyma:

Cryptus cursitans Fabr. Piez. pag. 91, n. 96; in Sueciae hortis.

Ichn. cursitans Fabr. Syst. p. 344, n. 98. — Ent. p. 191, n. 240.

„ Gmel. ed. Linn. p. 2716, n. 215.

„ Christ. p. 376.

„ Olivier p. 204, n. 197.

„ Gravenh. Pedest. p. 104, n. 22.

Nota:

Fabricius, in Spec. Ins. p. 441, n. 127, cum hac specie conjunxit Ichn. De Geeri II, 2, p. 906, n. 18, qui autem his verbis describitur: *Niger; antennis rufis, dimidii corporis longitudine; pedibus rufis; abdomine petiolato ovato nigro; aculeo longo exserto.* Hanc De Geeri speciem Retz *Ichneum. ruficornem* nuncupavit, Villersque (p. 215, n. 267) sub eodem nomine recepit. Sed *Ichn. ruficornis* Gmel. ed. Linn. p. 2719, n. 383, diversa est species, alis instructa perfectis.

Descriptionem accuratiorem antennarum et oris partium *Nees ab Esenbeck* his verbis mecum communicavit:

Antennae rectae filiformes glabrae, extrorsum paulo crassiores; radicula brevi angusta obconica; scapo crassiusculo ovato, apice extrorsum obliquo excavato, pedicellum excipiente cylindricum bre-

vem semiexsertum; articulo accessorio minuto annuliformi tenuiori; reliquis articulis cunctis cylindricis, apicem versus longitudine decrescentibus, diametro paulisper crescentibus, deinde longitudine et diametro subaequalibus; quinto praelongo, sexto plus dimidio longiore (ultimis deficientibus).

Clypeus distinctus, ab oculis remotus, transversus, circumscriptione ovali, convexus, subtilissime punctulatus, margine supero linea arcuata impressa descripto, margine infero rotundato, arcu magis curvo. — *Labrum*, e basi coriacea transversa rotundata, in processum triangulari-acuminatum membranaceum inflexum excurrens. — *Mandibulae* breves arcuatae compressae, triangulum apice truncatum referentes, facie exteriori convexa laevi pubescente, interiori concaviuscula, obtuse carinata, marginibus supero et infero acutiusculis, non discretis, apice inciso, dentibus subaequalibus brevibus, supero paulo majori obtusiusculo, infero acuto. — *Maxillae* labii longitudine, idque arcte amplectentes: *Stipes* compressus, facie infera cornea lineari-lanceolata, introrsum obliqua, convexa glabra laevi: *Mala* membranacea, stipite parum brevior, biarticulata, articulo infero subquadrato, introrsum in lobum ascendentem rotundatum abeunte, supero semicirculari ciliato minore. — *Palpi maxillares* mala duplo longiores, filiformes reflexi ciliati quinquearticulati; articulo 1 valido obconico; 2 pariter obconico, introrsum magis prominulo, primo vix

crassiori; 3 tenuiori, basin versus leniter angustato; reliquis cylindricis; ratio longitudinis 3. ½. 5. 4. — *Labium: Mentum* corneum obconicum compressum convexum laeve glabrum, apice inter palpos tenuissime emarginatum, infra singulum denticulo parvo acuto armatum: *Lingua* membranacea, menti longitudine, eodemque latior, rectiuscula, apicem versus sensim dilatata, lateribus decurvis, unde superficies supera convexa, infera concava, margine antico integerrimo rotundato, in medio lenissime retuso, subciliato, angulis itidem rotundatis. — *Palpi labiales* linguam vix ¼ longitudinis superantes et, dum incurvantur, sub eadem plane latitantes, filiformes subpilosi incurvi quadriarticulati; articulo 1 clavato, obliquetruncato; 2 brevi obconico, apice obliquo subcompresso; 3 subovato, secundo minori; 4 ovali oblongo obtuso, tertium crassitie superante, primique longitudine, aut paulo longiore; ratio longitudinis 4/1. 2. 3.

314. P. FESTINANS.

Niger, tibiis tarsisque piceotestaceis. f.

Haec species a varietate 5 *Crypti agilis*, cum qua confundi posset, statura differt paulo crassiore, imprimis autem segmento primo latiore.

Longitudo fere 1 lineae. *Scutellum* plerisque nullum, interdum minutum obsoletum. *Pedes* nigrofusci; trochanterum et femorum apicibus sor-

didestramineis; tibiis fuscescentibus aut fuscis, introrsum et basi tota stramineis. *Abdomen* ovatum. *Aculeus* tertiae aut quartae partis abdominis longitudine.

Individua tria, circa *Gottingam* et *Sickershausen* capta, accepi; quartum vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

Synonyma:

Ichn. festinans Fabr. Ent. Supl. p. 232, n. 247; niger, pedibus cinerascentibus (?); habitat *Halae Saxonum*.

„ Grav. Pedest. p. 106, n. 23.

Cryptus festinans Fabr. Piez. p. 92, n. 103.

F A M I L I A VIII,

seu subgenus:

PHYTODIETUS,

a verbis φυτὸν, planta, et δίαιτα, vitae ratio — qui in plantis degit.

Abdomine subpetiolato aut subsessili; areola vel nulla vel triangulari; pedibus et antennis subgracilibus sublongis; (aculeo exserto).

Caput transversum breve, collum versus subangustatum, *Phyt. corvino* fere subglobosum. — *Oculi* ovales. — *Antennae* plurimis longae, graciles aut subgraciles, rectae aut curvatae, interdum corpore longiores. — *Oris partes* descriptae sunt sub Ph. calceolato. — *Thorax* gibbus. — *Scutellum* triangulare, plus minus convexum apice obtuso. — *Alae* mediocres aut subamplae; areola vel triangulari, saepius irregulari, vel nulla. — *Pedes* graciles, elongati aut subelongati. — *Abdomen* subpetiolatum aut subsessile, convexum, oblongum aut oblongo-ovatum, thoracis latitudine vel paulo angustius, eo autem longius, interdum apicem versus paulo compressiusculum. Segmentum primum laeve, rarius canaliculatum, v. c. *Ph. microtamio*, apicem versus sensim dilatatum; petiolo breviore quam pars antica, quae tamen, in *microtamio*, ejusdem longitudinis cum petiolo est. — In speciebus sectionis secundae segmentum quintum ventre in valvulam prolongatur, anum versus hiantem, pro exsertione *terebrae*, interdum ante apicem compresso-dilatatae. Vaginae terebrae dimidio abdomine breviores, aut paulo longiores, esse solent; in sectione secunda autem longitudine sunt abdominis.

Affinitatis hujus subgeneris cum *Tryphonibus* et *Cryptis* supra jam mentionem feci. — Inter

Orthocentros species quaedam, areola triangulari, quales sunt *Ort. hortorum* similesque, transitum designant ad Phytodietos, qui solo segmento primo paulo longiore, basin versus paulo magis angustato, differunt. — *Phyt. chrysostomus* autem, segmento primo breviore et latiore, transit in subgenus *Pimplarum*, proximeque accedit ad *Pimp. abdominalem*. — *Phyt. astutus* et *plantarius* transeunt ad *Exetastas*. — Species maxima hujus familiae, *Ph. plantarius*, propius accedit ad *Leptobatos*, qui tamen ventre subcompresso, areola majore rhomboidali, differunt. — *Phyt. astutus* autem, abdomine compressiusculo, a quibusdam speciebus *Campoplegum*, segmenti primi forma et proportione, satis differt. — *Phyt. corvinus*, capite fere subgloboso, *Xoridis* quodammodo respondet, caeterum autem ab his satis discrepat.

SECTIO I.

Thorace scutelloque nigris.

Ph. plantarius, n. 324, unicus est, guttis duabus albidis, in dorso thoracis, ante collum; proxime itaque a *sectione 2* collocandus.

---

315. P. BLANDUS. n.

Abdomine rufo, apice nigro; pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque fuscis; antennis ferrugineis, basi apiceque nigricantibus. f.

Longitudo 3 — 4 linearum. *Antennae* graciles filiformes, corpore breviores, apice recurvatae, ferrugineae, apicem versus fuscescentes, articulis 1 et 2 nigris. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres fumatohyalinae; stigmate radio et squamula fuscis; radice ferrugineorufa; areola irregulari subsessili. *Pedes* graciles, rufocastanei, coxis interdum fuscis; postici tarsis tibiis et femorum apice fusconigris. *Abdomen* subpetiolatum, apicem versus sensim paulo incrassatum, capite thoraceque paulo longius et angustius; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore, subcanaliculato, rufo; 2 — 4 rufis, 4 interdum apice nigro; 5 vel toto nigro vel basi rufo; reliquis nigris. *Aculeus* vix tertia parte abdominis paulo longior, niger, terebra rufa.

Unam feminam cepi, mense Iunio, circa *Scheidnich* in gramine; alteram *Roentgen* cepit circa *Niesky*, eamque majorem, segmento 4 toto, 5 basi, rufo.

316. P. ERRABUNDUS. n.

Abdomine rufo, apice nigro; pedibus anterioribus rufis, coxis anticis trochanteribus et femorum basi nigris; pedibus posticis nigris, coxis rufis. f.

Statura et proportio partium speciei antecedentis; sed pedibus antennisque longioribus. An illius varietas?

Longitudo 3½ linearum. *Antennae* corporis longitudine, totae nigrae. *Alae* subhyalinae, stigmate stramineo, radio fusco, radice albidostraminea, squamula nigra; areola triangulari petiolata, nervo exteriore abbreviato. *Pedes* anteriores rufi, antici coxis trochanteribus et basi femorum nigris, medii trochanteribus et femorum basi nigris; postici nigri, coxis nec non tibiarum spinis apicalibus et annulo obsoleto ante basin rufis. *Abdomen* rufum, segmentis 5—7 nigris. *Aculeus* trientis abdominis longitudine, niger, terebra rufa.

Unicum cepi individuum circa *Vratislaviam.*

317. P. MICROTAMIUS. n.

Abdominis medio pedibusque rufis, coxis et trochanteribus nigris. f.

Longitudo 4—4⅕ linearum. *Antennae* filiformes recurvatae, dimidii corporis longitudine.

Thorax gibbocylindricus. *Alae* vix mediocres, fumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice picea aut ferruginea; areola vel irregularitriangulari petiolata, vel longepetiolata minutissima. *Pedes* mediocres subgraciles rufi, coxis et trochanteribus nigris, his apice plus minus rufis, tarsis posticis nigris. *Abdomen* petiolatum aut subpetiolatum, oblongoovatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, vel perpaulo angustius, apice incrassatum; segmento 1 subcanaliculato subaciculato nigro, apice interdum castaneo, petiolo vel lineari vel apicem versus sensim paulo latiore, longitudine partis anticae, hac longitudine latitudinis, petiolum versus sensim angustata, fere triplo latiore quam petiolus; 2—4 rufis aut castaneis, 4 interdum fascia nigra; reliquis nigrofuscis, margine summo subpallidioribus. *Aculeus* abdominis longitudine vel paulo longior, niger, terebra rufa.

Feminae duae, circa *Gottingam* et *Warmbrunn* captae, mecum communicatae sunt; gottingensis areola minutissima, abdomine subpetiolato, segmento 1 toto nigro, segmentis 2—4 castaneis, aculeo paulo breviore, a warmbrunnensi differt.

318. P. NIGER.

Pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris, posticorum tibiis et tarsis fuscis; areola nulla. f.

Statura et proportio partium antecedentis; sed antennis gracilioribus, segmento 1 latiore, petiolo breviore.

Longitudo 3 — fere 5 linearum. *Antennae* graciles filiformes, fere corporis longitudine. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate radio et squamula fuscis, radice fusca aut sordidestraminea. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tibiis et tarsis fuscis, tibiis nonnunquam introrsum castaneis. *Abdomen* vel thorace duplo longius, vel capitis thoracisque longitudine, thoracis latitudine, subsessile, elongatofusiforme aut subcylindricum. *Aculeus* abdominis longitudine eove longior, niger, terebra rufa.

Quaedam individua accepi, circa *Warmbrunn* et in *Regione Pedemontana* capta; minora a majoribus differunt radice alarum pallidiore; unicum, tibiis posticis introrsum castaneis, longitudine 4 linearum, e pedemontanis est.

319. P. CALIGATUS. n.

Pedibus rufis, posticorum tibiis tarsisque nigris, areola nulla. m. f.

Statura et proportio partium antecedentis, sed antennis et aculeo brevioribus; a *calceolato* hic satis differt, cellula cubitali intermedia nulla, abdomine sessili, segmento primo latiore.

Corpus maris gracilius quam feminae. *Longitudo* 3—fere 4 linearum. *Antennae* filiformes, maris fere corporis longitudine, feminae dimidio corpore paulo longiores. *Alae* fumatohyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula piceis aut testaceis. *Pedes* rufi, posticorum tibiis et tarsis nigris. *Abdomen* subsessile subcylindricum; mari capitis thoracisque longitudine, vix thorace paulo angustius; feminae capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine; segmentorum marginibus summis interdum castaneis. *Aculeus* vel abdomine brevior, vel fere ejus longitudine, niger, terebra rufa.

Marem unicum *Besser* e *Volhynia* transmisit. Feminam cepi, mense Augusto, in fruteto prope *Salzbrunn*; duas alias, circa *Warmbrunn* captas, *Manger* mecum communicavit.

320. P. CORVINUS. n.

Pedibus rufis, coxis omnibus tarsisque posticis nigris; areola triangulari. f.

A reliquis hujus familiae speciebus haec differt capite majore, vertice subquadrato, fere sicut in genere *Xoridarum;* a specie sequente, cui caeteris propius accedit, praeter capitis formam, etiam segmento primo, basin versus minus angustato.

Longitudo 4 linearum. *Caput* genis subbuccatis, palpis et mandibularum medio stramineis. *Alae* subfumatohyalinae, radio stigmate et squamula fuscis, radice straminea; areola triangulari irregulari sessili. *Pedes* rufi, coxis nigris; tarsis posterioribus fusconigris; tibiis posticis apice nigro. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace vix paulo angustius, fusiforme, apicem versus compressiusculum, segmento 1 basin versus sensim angustato, latitudine duplo longiore. *Aculeus* fere abdominis longitudine.

Unicam feminam *Besser* e *Volhynia* mihi misit.

321. P. CALCEOLATUS. n.

Pedibus rufis, posticorum tarsis et tibiarum apice nigris, areola triangulari. f.

Longitudo 3 — 3 ½ linearum. *Caput* clypeo ferrugineo. *Antennae* subfiliformes curvatae, dimidio corpore longiores. *Thorax* gibbulus. *Alae*

mediocres subhyalinae aut subfumatohyalinae, radio stigmate et squamula piceofuscis, radice straminea; areola triangulari irregulari subsessili. *Pedes* subelongati graciles rufi; postici tarsis et tibiis nigris, his basin versus rufis aut ferrugineis. *Abdomen* subpetiolatum, capite thoraceque paulo longius, thorace vix paulo angustius, oblongosubclavatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine duplo longiore. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior, terebra rufa.

Feminas tres, circa *Genuam* lectas, *a Spinola* transmisit.

Nota:

Descriptio *partium oris*, auctore *Nees ab Esenbeck*, haec est:

Clypeus discretus brevis convexiusculus punctatus, marginibus supero et lateralibus rectis impressis, infero rotundato. *Labrum* reconditum rotundatum breve. *Mandibulae* infirmes arcuatae planiusculae, facie exteriore aequali, vix basin versus dilatata, pubescente; apice excisae, dentibus brevibus inaequalibus, supero majore obtusiusculo, infero minore acuto. *Maxillae* labio paulo longiores, idque amplectentes: *Stipes* corneus, linearilanceolatus, apice obliquo convexiusculo, laevis glaber: *Mala* stipite vix brevior, membranacea bipartita, lacinia infera introrsum vix prominula, triangulari-rotundata, supera fere quadrata, basin versus paulo angustiori, margine supero rotundato ciliato. — *Palpi maxillares*

mala triplo longiores, filiformes reflexi pilosi quinquearticulati; articulo 1 obconico clavato truncato; 2 obconico, introrsum magis prominente, paulo crassiori; 3—5 filiformibus subspongiosis, 3 subcompresso, 5 obtusiusculo; longitudinis ratio: $\frac{3}{5}$. 4. $\frac{1}{2}$. — *Labium*: *Mentum* corneum obconicum compressiusculum convexum laeve, apice inter palpos rotundatum, dente minutissimo utrinque infra singulum palpum: *Lingua* membranacea ascendens, dimidio mento brevior, truncata subrectangula, angulis acutis, lateribus deorsum complicatis, hinc superne visa linearis, acute bifida. — *Palpi labiales* lingua vix duplo longiores, recti cornei pubescentes quadriarticulati; articulo 1 subclavato truncato; 2 triangulo compresso latiori; 3 obconico; 4 ovali obtuso, basin versus angustiori; longitudinis ratio 1. 4. $\frac{2}{3}$.

322. P. ASTUTUS. n.

Pedibus rufis, coxis et trochanteribus nigris; posticorum tarsis et tibiis fuscis; areola irregulari. f.

Longitudo $2\frac{2}{3}$ linearum. *Antennae* filiformes porrectae, fere corporis longitudine. *Thorax* gibbulus. *Alae* mediocres subhyalinae irideae, stigmate et radio piceo-stramineis, radice et squamula stramineis; areola irregulari subtransversa subpetiolata. *Pedes* mediocres subgraciles, fulvo-rufi, coxis et trochanteribus nigris; postici tarsis

fuscis, tibiis nigricantibus, basin versus fuscorufis. *Abdomen* subsessile, capitis thoracisque longitudine et latitudine, apice subcompressum, oblongum; segmento 1 laevi, apicem versus sensim latiore, latitudine duplo longiore. *Aculeus* dimidio abdomine longior, terebra fulva.

Unicum individuum cepi die 12 Iulii in umbellatis *Barterodae*.

Nota:

Haec species, abdomine apice compresso, *Ophionibus* familiae primae adpropinquare videretur, sed forma segmenti primi differt; propius autem accedit ad familiam secundam *Banchorum*.

323. P. CHRYSOSTOMUS, n.

Abdominis apice rufo; pedibus rufis, coxis et trochanterum basi nigris, posticorum tarsis tibiarum apice et femorum basi fuscis; ore et antennarum latere infero flavis. f.

Statura praecedentis; sed antennis brevioribus et crassioribus, segmento primo breviore et basin versus minus angustato, aculeo breviore.

Longitudo 2½ linearum. *Caput* facie argenteosericea, mandibulis palpisque flavis, illis apice nigro. *Antennae* porrectae, dimidio corpore paulo longiores, subtus subtestaceae; articulo ultimo oblongoovato et penultimo totis testaceis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice

et squamula flavis; areola sessili irregulari. *Pedes* rufi, coxis et trochanteribus nigris, his apice flavo; anteriores tibiis diluterufis; postici femorum basi nigra, tarsis et tibiarum apice summaque basi fuscis. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, thorace paulo angustius, sessile; segmento 1 subcanaliculato, apicem versus sensim paulo dilatato; 2—4 aequilatis, marginibus summis castaneis; insuper 2 et 3 angulis apicalibus, 4 lateribus, rufis; 5 rufo, macula dorsali, majore minoreve, nigra; 6 et 7 totis rufis; 5 ventre acute prominente. *Aculeus* quintae partis abdominis longitudine.

Feminas duas vidi *Berolini*, in Museo *Klugii*.

Nota:

Haec species adpropinquat ad familiam sextam *Pimplarum*, et quidem proxime ad *Pimplam abdominalem*, quae vero, praeter colorem, pedibus crassioribus et aculeo longiore, satis differt.

324. P. PLANTARIUS. n.

Femoribus rufis; tibiis rufis, basi summa albis; tarsis posticis nigris, medio albis. f.

Statura et proportio partium *Exetastae albitarsi*, e familia 2 Banchorum; segmento 1 basin versus paulo angustiore.

Longitudo 4½ linearum. *Caput* interdum labro badio. *Antennae* filiformes porrectae, cor-

pore paululum breviores; articulis circa 7 — 20 subtus fuscoferrugineis. *Thorax* gibbus, punctis duobus albidis ante collum. *Scutellum* subelevatum. *Alae* mediocres, subfumatohyalinae, stigmate et radio nigrofuscis, squamula et radice castaneis; areola triangulari subregulari subpetiolata. *Pedes* mediocres, castaneorufi, coxis et trochanteribus nigris, tibiis puncto albido basali; postici geniculis, tibiarum apice summo, tarsisque, nigris, his articulis 2 — 4 albis. *Abdomen* subpetiolatum, capitis thoracisque longitudine et latitudine, oblongoovatum; segmento 1 canaliculato aut subcanaliculato, vix latitudine duplo longiore, basin versus sensim angustato, tuberculis lateralibus inter medium et basin sitis. *Aculeus* abdominis longitudine, terebra rufa.

Individua duo, circa *Vindobonam* et *Hannoveram* capta, mihi transmissa sunt.

SECTIO II.

Thorace scutelloque variegatis.

E *sectione* 1 *P. plantarius*, n. 324, punctis duobus albidis dorsalibus thoracis, ad hanc sectionem adpropinquat.

---

325. P. SEGMENTATOR. n.

Marginibus segmentorum albidis; pedibus rufis, anticorum trochanteribus et coxis flavis, posticorum tarsis et tibiarum apice nigris. m. f. (*mas* coxis trochanteribusque posticis nigro-flavoque-variis, facie tota flava; *fem.* coxis posticis rufis, facie flavonotata).

Statura maris gracilior quam feminae. *Longitudo* maris $2\frac{1}{2}$—3, feminae fere 3—$3\frac{1}{5}$ linearum. *Caput* maris facie ore genis et orbitis oculorum frontalibus flavis; feminae ore, punctis duobus faciei, clypeo et orbitis oculorum frontalibus, flavis. *Antennae* porrectae graciles filiformes, corpore paulo longiores; maris nigrae, articulo 1 subtus flavo; feminae supra fuscoferrugineae, basin versus fuscae, subtus ferrugineae, articulis 1 et 2 nigris subtus albidis. *Thorax* gibbus; macula subangulata, seu linea apice subhamata, ante alas, colli marginis lateralis parte infera, in mare fere collo toto, suturis inter prothoracem et metathoracem, punctis dorsalibus duobus prothoracis, linea transversali infra scutellum, puncto laterali supra coxas anticas, alteroque, interdum obsoleto, supra coxas medias, in mare plus minus cum colore flavo pectoris confluentibus, fascia seu linea transversali, medio interdum interrupta, in mare solis punctis duobus, in decliva parte metathoracis, pectoreque toto maris, flavis. *Alae* mediocres subhyalinae, irideae, stigmate et radio testaceis

aut pallidepiceis, radice et squamula flavis aut subalbidis; areola irregulari, triangulari aut transversa, petiolata. *Pedes* graciles, subelongati, rufofulvi; antici, in mare quoque medii, coxis et trochanteribus flavis; trochanteribus posterioribus feminae interdum apice flavo basi summa nigra; postici tarsis et tibiarum apice nigricantibus, mari coxis superne nigris inferne flavis, trochanteribus vel nigris apice flavo, vel flavis basi superne nigra. *Abdomen* feminae capitis thoracisque longitudine et latitudine, sessile, oblongoovatum, clavatum; mari thorace paulo angustius, subcylindricum, nec apice incrassatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, interdum subcanaliculato, latitudine longitudinis, mari paululum angustiore; segmentis omnibus margine albido, 5—7 obsoletius marginatis; 3—5 feminae ventre prominentibus. *Aculeus* abdominis longitudine, paulove brevior, vaginis nigris, apice summo stramineis, terebra rufa.

Mares duo, circa *Warmbrunn* et *Aboam*, feminaeque tres, circa *Warmbrunn Sickershausen* et *Vindobonam* captae, ad me transmissae sunt.

326. P. CORYPHAEUS. n.

Pedibus rufis, coxis anterioribus, nec non tarsis tibiisque posticis, nigris; ore et punctis duobus verticis flavis. f.

Statura et proportio partium omnino feminae antecedentis, sed antennis paulo longioribus, aculeo paulo breviore.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ — fere 3 linearum. *Caput* facie subtuberculata; ore, punctoque ad orbitas verticis, flavis. *Antennae* filiformes graciles porrectae, corpore paulo longiores; subtus ferrugineae, basin versus nigrae. *Thorax* puncto, seu lineola, infra scutellum, plerumque puncto infra alas anticas, altero infra posticas, suturis dorsalibus inter prothoracem et metathoracem, interdum etiam linea ante alas, flavis. *Scutellum* punctis duobus mediis, apicisque margine, flavis. *Alae* amplae hyalinae irideae, stigmate et radio testaceostramineis, radice et squamula albidoflavis; areola irregulari, triangulari aut obliqua, petiolata aut subpetiolata. *Pedes* rufi; coxis posticis interdum puncto nigro, anterioribus nigris, plerumque apice flavo; trochanteribus flavis aut rufis, posticis, ut plurimum etiam anterioribus, basi nigra; femoribus posticis interdum geniculo fusco; tarsis et tibiis posticis nigris, his plerumque summa basi pallidiore. *Abdomen* segmentis 3—7, rarius quoque 1, marginibus summis obsolete-albentibus. *Aculeus* abdomine paulo brevior.

Duas feminas *Manger* circa *Warmbrunn* cepit; unam ipse cepi circa *Vratislaviam*, eamque thorace, praeter lineolam flavam infra scutellum, toto nigro.

Varietates:

1. *Tibiis posticis rufis, apice nigro.* f. — Caetera respondent feminis genuinis circa Warmbrunn captis; cellula cubitalis intermedia autem deest.

Duo individua cepi die 1 Iunii circa *Scheidnich*, in gramine et frutetis.

2. *Orbitis internis oculorum flavis, tibiis posticis rufis apice nigro.* f. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* palpis, orbitis oculorum internis et verticis, nec non puncto ad orbitas oculorum externas, stramineis. *Antennae* subtus totae sordide-stramineae. *Thorax* suturis dorsalibus inter prothoracem et metathoracem pallidestramineis. *Scutellum* basi stramineum. *Alae* subhyalinae irideae, stigmate radio radice et squamula pallide-stramineis; areola irregulari transversali subpetiolata. *Pedes* rufi; coxis anterioribus nigris, mediis puncto basali rufo, apice flavescente; trochanteribus basi nigricante; postici tarsis, tibiarum apice et trochanterum basi nigris. *Abdomen* segmento 1 basin versus angustiore quam in specie genuina, latitudine duplo longiore, subpetiolato, tuberculis lateralibus paulo ante medium sitis; 4—7 margine summo albente. *Aculeus* dimidio abdomine paululum longior.

Unicam feminam *Besser* e *Volhynia* transmisit.

3. *Coxis omnibus totis fulvis.* f. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* sicut in femina genuina, punctoque minutissimo faciei flavo. *Antennae* nigrae, subtus apicem versus fuscoferrugineae articulo 2 exalbido. *Thorax* puncto et linea lata ante alas, puncto altero infra alas, linea transversa infra scutellum, puncto laterali ante coxas medias,

punctisque duobus in decliva metathoracis parte, flavis, metathoracis lateribus rufis. *Scutellum* lateribus et apice flavis. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio testaceis, radice et squamula flavis; areola irregulari triangulari subsessili. *Pedes* fulvi; coxis anticis flavis, trochanteribus flavis, posticis basi nigra; tibiis posticis piceofuscescentibus, summa basi pallidiore, apice nigro; tarsis posticis nigris, articulo 1 basi albida. *Abdomen* segmentis 3—6 marginibus summis obsolete-glaucescentibus. *Aculeus* abdomine paulo brevior.

Feminam unicam *austriacam Dahl* mihi misit.

F A M I L I A IX,

seu subgenus:

ISCHNOCEROS,

a verbis ἰσχνὸς, gracilis, et κέρας, cornu — qui cornua gerit gracilia.

Abdomine petiolato oblongo laevi nitido; areola nulla; rarius parva triangulari; antennis gracillimis; pedibus mediocribus; (aculeo mediocri).

Caput transversum, *Ischnoceroti microcephalo* collum versus angustatum. — *Oculi* huic, nec non *rustico*, ovales. — *Antennae* gracillimae, longitudine mediocri, apice incurvatae. — De his et *oris partibus* fusius relatum est in nota ad Ischn. rusticum. — *Thorax* cylindricus, *microcephalo* gibbosus. — *Scutellum* triangulare, apice obtuso, *rustico* planiusculum, *microcephalo* convexius. — *Alae* mediocres aut subamplae; areola nulla. — *Pedes* mediocres. — *Abdomen* petiolatum oblongum convexum laeve nitidum, thorace longius, hujusque latitudine aut paulo angustius; mari angustius quam feminae. Segmentum primum petiolo longitudine mediocri; parte antica vel apicem versus sensim dilatata, vel, idque in *I. microcephalo*, subquadrata, latiore quam petiolus, sed hujus longitudine. Segmentum quartum ventre acute prominet. — *Aculeus* vel abdominis totius vel abdominis dimidii longitudine est.

De affinitatibus hujus familiae cum *Mesoleptis* et *Cryptis*, hos conferre velis.

---

327. I. RUSTICUS.

Metathorace bispino; pedibus rufis, posticorum tarsis tibiisque nigricantibus, his basi pallida. m. f.

Longitudo maris $4\frac{1}{2}$—$5\frac{1}{4}$, feminae 5—$6\frac{3}{4}$ linearum. *Partes oris* in nota descriptae sunt. *Antennae* graciles subfiliformes, dimidio corpore paulo longiores, fuscae aut nigrae, maris porrectae, feminae apice incurvatae, articulis 3 et sequentibus subtus interdum ferrugineis. *Thorax* cylindricus; metathorace spinis quatuor validis erectis, apice obtusis, duabus superis longioribus. *Alae* mediocres, fumatohyalinae, stigmate et radio nigris aut fuscis, radice ferruginea aut stramineopicea, squamula fusca aut ferruginea. *Pedes* mediocres rufi; postici tarsis nigris, tibiis plerumque nigris, interdum nigrorufis apice nigro, semper autem annulo basali sordide-stramineo. *Abdomen maris* thorace duplo longius et paulo angustius, fusiforme; segmento primo apicem versus sensim latiore, basi canaliculata, interdum aciculato; *feminae* capite thoraceque vix paulo longius, thoracis latitudine, oblongoovatum; segmentis 5 et 6 ventre prominentibus. *Aculeus* vel abdominis longitudine vel eo brevior.

Marem et feminam cepi, mense Iunio, circa *Brunsuigam;* feminas nonnullas, mensibus Iunii et Iulii, circa *Scheidnich* et *Pepelwitz,* in frutice-

tis, mense Augusto in umbellatis circa *Cudovam*. Aliae feminae, circa *Vratislaviam*, *Vindobonam*, *Sickershausen*, *Hannoveram*, nec non in *Etruria* et *Volhynia*, lectae, tresque mares, circa *Berolinum*, *Hannoveram* et *Trajectum ad Moenum*, capti, mecum communicati sunt.

Synonyma:

Ichn. rusticus Fourcroy p. 426, n. 95.
„ Villers p. 190, n. 176.
Ichn. compunctor Panzer ad Schaeff. Icon. t. 224, fig. 10? pedum posticorum tibiis tarsisque totis rufis; habitat in dumetis, inter aphides. (De *Ichn. compunctore* reliquorum auctorum velis conferre synonyma et notam ad *Mesostenum gladiatorem*).

Nota:

Descriptionem accuratiorem *antennarum* et *oris* dedit *Nees ab Esenbeck* his verbis:

Antennae graciles subfiliformes, articulis 36: Radicula obconica brevi; scapo cylindrico obliquo crassiusculo; pedicello prominulo cylindrico; articulo accessorio annuliformi; reliquis articulis cunctis cylindricis, basin versus vix angustatis, discretis, longitudine decrescentibus, quinto aliis longiore, ultimo parvo ovato.

Clypeus linea semicirculari impressa discretus, tum transverse obtuse carinatus, hinc declivis lae-

vis rotundato-angustior. — *Labrum* reconditum rotundatum ciliatum. — *Mandibulae* angustae, basin versus parum dilatatae, extus substriatae, convexiusculae, apice obtuse-bidentatae, dente supero majori longiori. — *Maxillae*, labium amplectentes, eoque paulo longiores: *Stipes* corneus laevis nitidus oblongus, basin versus paulo angustatus, apice truncatus, convexiusculus: *Mala* stipite vix brevior, membranacea tenuis biarticulata, articulis aequalibus, infero trapeziformi, introrsum vix prominente, margine rotundato, plano, supero subquadrato, basin versus paulo angustiori, margine supero rotundato ciliato. — *Palpi maxillares* praelongi, malam quadruplo longitudine superantes, filiformi-setacei, recurvi pubescentes, quinquearticulati; articulis omnibus teretiusculis; 1 et 2 brevioribus, inter se aequalibus, 1 clavato truncato, 2 obconico, superficie interiori paulo magis curva, primo parum crassiori; 3 et 4 filiformibus elongatis aequalibus; 5 paulo breviore, acuto. — *Labium: Mentum* obconicum, parum compressum, laeve, convexiusculum, margine supero rotundato: *Lingua* mento paulo brevior, ascendens subquadrata, ad lineam rectam $\frac{1}{3}$ incisa, laciniis contiguis truncato-rotundatis nudis deflexis, angulo exteriori rotundato. — *Palpi labiales* lingua plus duplo longiores, filiformes, pubescentes, quadriarticulati; articulo 1 clavato truncato; 2 et 3 obconicis aut subtrigonis, illo crassiori; 4 longissimo filiformi obtuso, basin versus paulo attenuato, longitudinis ratio 4. 1. 2. 3.

328. I. MICROCEPHALUS. n.

Segmentis 1—3 pedibusque rufis, ore fulvo. m. f.

Longitudo maris 3, feminae fere 3—3¼ linearum. *Caput* ore fulvo. *Antennae* filiformes, corpore breviores, apice curvatae; maris fuscae, articulo 1 subtus rufo; feminae graciliores, subtus totae rufae. *Thorax* gibbus griseosericeus. *Alae* fumatohyalinae; stigmate et radio fuscis, radice et squamula fulvis. *Pedes* subgraciles rufi, unguibus fuscis. *Abdomen* petiolatum, capite thoraceque paulo longius; thoracis latitudine, fusiforme aut oblongoovatum, mari paulo angustius quam feminae; segmento 1 petiolo nigro lineari, parte antica quadrata, mari paulo angustiore, longitudine petioli, eo autem duplo aut triplo latiore, rufa, feminae interdum basi nigra; 2 et 3 rufis; reliquis nigris, feminae nonnunquam summis marginibus obsolete-albentibus. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine niger, terebra rufa.

Marem duasque feminas, circa *Warmbrunn* captas, *Mangero* debeo.

FAMILIA X,

seu subgenus:

NEMATOPODIUS

a verbis *νῆμα*, filum, et *πόδιον*, petiolus — ob petiolum abdominis lineare et quasi filiforme.

Abdomine procero petiolato, segmento primo lineari; areola quadrangulari, rarius quinquangulari; pedibus et antennis gracilibus; (aculeo exserto brevi).

Caput transversum, collum versus angustatum. — *Oculi* suborbiculati. — *Antennae* graciles porrectae. — *Thorax* gibbus aut cylindrico-gibbulus. — *Scutellum* convexiusculum triangulare, apice obtuso. — *Alae* mediocres; areola vel quinqueangulari, vel minuta quadrata. — *Pedes* graciles. — *Abdomen* angustum elongatum convexum; segmentis 2—6 vel aequilatis vel sensim aliquanto dilatatis. Segmentum primum plerumque lineare; interdum parte antica paulo latiore quam petiolus, semper autem longiore quam lata, vixque paulo longiore quam petiolus. — *Aculeus* exsertus brevis.

Affinitatis hujus familiae cum *Cryptis* supra jam mentio facta est. — *N. linearis*, areola quinqueangulari, capite majore, propius accedit ad *Echthros*. Tota haec familia autem intermedia est inter *Cryptos* et *Echthros*.

Nur 1 Art

329. N. FORMOSUS. n.

Segmentorum margine summo, scutello, facie et antennarum annulo, albidis; pedibus testaceis; thorace albo-rufoque picto. f.

Statura gracilis. *Longitudo* $3\frac{1}{4}$—4 linearum. *Caput* facie ore orbitisque oculorum omnibus flavoalbidis, mandibularum apice ferrugineo. *Antennae* filiformes porrectae, dimidio corpore longiores; articulis 17 et 18 albidis, subtus plerumque ferrugineis. *Thorax* cylindricus; prothorace nigro, linea, a radice alarum ad collum usque ducta, collique marginibus, albidis; pectore, thoracis lateribus, apice metathoracis et macula sub scutello, rufis aut rufotestaceis, interdum metathorace fere toto rufo, macula dorsali nigra; macula albidostraminea ad latera thoracis, nonnunquam obsoleta. *Scutellum* albidum apice rufo, interdum nigrum lateribus albis apice rufo. *Alae* breves hyalinae irideae, stigmate et radio piceis, radice et squamula albidis; areola minuta quadrata. *Pedes* graciles; anteriores testacei, coxis et trochanteribus albidostramineis; postici paulo obscuriores, trochanteribus et puncto laterali coxarum nigricantibus, tarsis fuscescentibus. *Abdomen* elongatoclavatum, thorace angustius et duplo longius, sericeum, laevissimum; segmento 1 sublineari,

parte antica latitudine plus duplo longiore, paulo latiore quam petiolus, ejus autem longitudine, tuberculis lateralibus prominulis; 3—5 nigrofuscis; omnibus margine summo tenuissime albido. *Aculeus* quintae aut sextae partis abdominis longitudine, nigrofuscus, terebra rufa.

Unam feminam *de Block* cepit circa *Dresdam;* alteram Hartlieb circa *Pless,* mense Septembri; tertiam ipse cepi, mense Iulio, *Barterodae* in umbellatis.

330. N. LINEARIS. n.

Margine segmentorum summo pallido; pedibus anterioribus stramineis. m.

Corpus subgriseosericeum, praecipue facie et abdominis apice. *Longitudo* fere 5 linearum. *Caput* transversum, latius quam in antecedente specie, palpis albidostramineis. *Antennae* porrectae filiformes, corpore breviores, subtus basin versus stramineae. *Thorax* gibbus, brevior et crassior quam in specie antecedente. *Alae* subfumatohyalinae, stigmate et radio nigris, radice et squamula rufopiceis; areola regulari quinqueangulari. *Pedes* graciles, anteriores pallidestraminei; postici nigri, coxis apice stramineo. *Abdomen* capite thoraceque duplo fere longius, duploque angustius, gracile linearicylindricum pe-

tiolatum; segmento 1 basin versus sensim paululum angustato, tuberculis lateralibus in medio sitis, parte antica latitudine triplo longiore; 2 et 3 summo margine rufo; reliquis summo margine albido.

Marem unicum *etruscum a Sanvitale* mihi misit.

F A M I L I A XI,

seu subgenus:

MESOCHORUS,

a μέσος, medius, et χῶρος, spatium — ob areolam amplam.

Abdomine petiolato, rarius subpetiolato, oblongo; areola majore rhomboidali; (aculeo exserto brevi; ano maris plerumque appendiculato).

Caput transversum breve. — *Oculi* ovales, angustiores quam plurimis reliquis Ichneumonidibus. — *Antennae* longae graciles; rarius mediocres, v. c. *M. splendidulo* et *lucifero.* — Antennae et *partes oris* fusius descriptae sunt in nota ad M. politum. — *Thorax* gibbus. *Scutellum* subtuberculatum, subtriangulare aut subquadrangulare. — *Alae* amplae; areola majore rhomboidali, rarius minore et irregulariter obliquetriangulari, e. g. *M. alario.* — *Pedes* subgraciles aut submediocres. — *Abdomen* rarius (*M. scutellato*) subpetiolatum; plurimis petiolatum nitidum laeve convexum, fusiforme aut oblongum; latitudine thoracis, vel paulo angustius; thorace longius aut ejus longitudine, rarius eo plus duplo longius; interdum ventre, apicem versus, compressiusculum, v. c. *splendidulo, lucifero, alario.* Segmentum primum plerisque latitudine longius, aequilatum aut apicem versus subdilatatum; petiolo plerumque tenui lineari, interdum basin versus subangustato, vel longitudine partis anticae vel breviore, semper autem angustiore quam illa. — *Aculeus* exsertus brevis, vaginis compressis subcultriformibus. — *Anus marium* stylis duobus exsertis brevibus, apicem versus tenuioribus, auctus est.

De affinitatibus Mesochororum cum *Mesoleptis, Tryphonibus, Hoplismenis, Cryptis* et *Hemitelibus*, hos conferre velis. — Laevioris momenti sunt analogiae specierum quarundam minorum, v. c. M. splendiduli, cum *Plectiscis*, a quibus tamen, tum forma segmenti primi, tum areola majore, satis differunt. — Per *M. luciferum* haec familia ad *Exetastas*, et quidem ad feminas *Exet. nigripennis* et *nigripedis*, transit, nec nisi petiolus longior et gracilior lucifero locum inter Mesochoros designat. — Mesochori, abdominis apice ventre compresso, supra jam allegati, a quibusdam *Campoplegum* feminis, quarum abdomen subcompressum est, differunt areola majore rhomboidali, nec non pedibus antennisque gracilioribus. — *Mesochorus alarius*, e magnitudine colore et ventre subcompresso, *Paniscis*, et quidem *Panisco testaceo*, adpropinquare videtur, satis autem differt segmento primo petiolato, petiolo longitudine partis anticae, areola rhomboidali majore, stylis duobus genitalium maris exsertis.

---

331. M. LUCIFER. n.

Abdominis medio rufo; tibiis testaceis, apice posticarum fusco; femoribus posticis castaneis, anterioribus subtus testaceis; maculis duabus faciei stramineis. f.

Statura et proportio partium *M. splendiduli*, n. 333.

Longitudo 5—6 linearum. *Caput* palpis et mandibulis fuscis, his medio stramineis; maculis duabus faciei magnis stramineis, vel potius facie straminea, linea media longitudinali nigra. *Antennae* subfiliformes, corporis longitudine, apice curvatae, nigrae. *Thorax* gibbus. *Alae* subamplae, fumatohyalinae, stigmate radio radice et squamula fuscoferrugineis. *Pedes* mediocres, trochanteribus et coxis nigris; femoribus anterioribus, praesertim apicem versus, fulvostramineis, externe nigris, posticis badiis, interne dilutioribus; tibiis testaceis, posterioribus apice nigricante; tarsis anticis stramineis, posterioribus fuscis. *Abdomen* capite thoraceque longius, thorace vix paulo angustius; segmento 1 lagenaeformi canaliculato rufo, petiolo nigro, parte antica apicem versus sensim dilatata, latitudine paulo longiore, longitudine petioli, eo autem triplo latiore; 2 et 3 rufis; 4 rufo aut nigro; reliquis nigris. *Aculeus* niger, dimidii abdominis longitudine.

Unam feminam *Roentgen* cepit circa *Niesky*; alteram, eamque majorem, segmento 4 rufo, *ab Uechtritz*, in pino sylvestri prope *Steglitz*.

332. M. TIPULARIUS. n.

Abdominis medio et pedibus stramineis. m.

Statura et proportio partium maris sequentis; corpore autem minore, abdomine paulo breviore et angustiore. An sequentis varietas?

Longitudo ¾ linearum. *Antennae* graciles filiformes, corpore longiores, subtus versus basin stramineae. *Thorax* gibbus fusconiger, interdum lateribus colli et prothoracis subtestaceis. *Alae* amplae hyalinae irideae, stigmate et radio stramineis, radice et squamula albidostramineis, areola magna rhomboidali. *Pedes* straminei. *Abdomen* thoracis longitudine, thoracis dimidii latitudine, oblongoovatum, apicem versus subcompressum, apice ipso truncato; segmento 1 fusco aut nigro, parte antica lineari, latitudine duplo longiore, petioli longitudine, eo autem duplo latiore; 2 fusco, margine stramineo; 3 stramineo, interdum margine nigro; reliquis nigris. *Stylus* analis bipartitus brevis stramineus.

Duo individua *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

333. M. SPLENDIDULUS.

Facie, antennarum basi, abdominis medio, pedibusque stramineis; colli lateribus rufis. m. f.

Longitudo maris 1 — 2½, feminae 1 — 2⅓ linearum. *Caput* stramineum aut flavum, oculis et regione circa stemmata fusconigris; interdum macula faciali fusca, orbitis oculorum externis rufis. *Antennae* tenues filiformes, porrectae aut apice parum curvatae, corpore longiores aut ejus longitudine, fuscae, basi testaceae aut stramineae. *Thorax* gibbus nitidus; colli lateribus, rarius quoque linea ante alas, rufis aut testaceis. *Alae* amplae aut mediocres, hyalinae; radio et stigmate piceis aut nigropiceis, radice et squamula stramineis. *Pedes* mediocres subgraciles, pallidestraminei; postici interdum basi coxarum et tibiarum, nec non apice articulorum tarsi, rarius coxis totis, plerumque autem apice tibiarum, fuscescentibus. *Abdomen maris* capitis thoracisque longitudine, vel paulo brevius, thorace angustius, oblongoovatum nitidum, apice truncatum; segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine triplo aut quadruplo longiore, parte antica paulo longiore quam petiolus; 2 margine stramineo; 3 stramineo aut testaceo, interdum apice aut lateribus nigro; 4 vel sicut 3, vel toto nigro; reliquis fuscis; 4 — 6 interdum piceis, margine aut lateribus nigris; *stylis* 2 ani brevibus stramineis; *feminae*

fusiforme aut suboblongoovatum, paulo crassius quam mari, capitis thoracisque longitudine paulove brevius, thorace paulo angustius; segmento 2 margine stramineo; 3 testaceo, plerumque margine nigro; reliquis nigris, plerumque lateribus testaceis, interdum ano testaceo. *Aculeus* longitudine tertiae aut quartae partis abdominis, fuscotestaceus.

Mares et feminae, circa *Sickershausen* et *Genuam* capti, nonnullaeque feminae circa *Warmbrunn* lectae, mihi missi sunt; ipse quosdam mares cepi, mense Majo in colle *Gleichen*, mense *Octobri* in rubetis prope Scheidnich; die 10 Iunii *Richtero* mas provenit e pupa phalaenae.

Varietates.

1. *Thorace toto, interdum quoque facie media, nigris.* m. f. — *Longitudo* 1⅔ — 2⅔ linearum. *Caput* vel sicut in specie genuina; vel nigrum, ore stramineo, orbitis oculorum internis maris ferrugineis, feminae rufis aut stramineis, feminae insuper orbitis externis et verticis plerumque rufis. *Antennae* nigrae, mari interdum articulo 1 subtus testaceo. *Alae* sicut in specie genuina. *Pedes* straminei; postici interdum coxarum basi, tarsis, tibiarumque apice et summa basi, rarius coxis totis, fuscis. *Abdomen* segmento 2 apice aut margine testaceo aut badio; 3 vel sicut 2, vel toto stramineo, feminae plerumque stramineo, margine nigro, rarius toto badio; reliquis

nigris; 4 maris plerumque basi aut macula dorsali testacea.

Marem cepit *Nees ab Esenbeck*, mense Octobri circa *Sickershausen* in ericetis, *ab Uechtritz*, mense Iunii in pinetis prope *Oberkirchen*, in Senecione saracenico; duo alii, circa *Parisios* et in *Tauria* capti, mihi transmissi sunt. Feminae quaedam circa *Sickershausen* et *Warmbrunn* lectae sunt.

2. *Capite thoraceque nigris, coxis fuscis.* m. — *Longitudo* fere 2½ linearum. *Caput* ore solo subtestaceo. *Antennae* nigrae. *Pedes* coxis anterioribus fuscis, subtus testaceis, posticis nigris. *Abdomen* segmento 2 margine, 3 toto, stramineis; *stylis* duobus analibus exsertis nigris.

Marem unicum *Manger* cepit circa *Warmbrunn.*

3. *Prothoracis lateribus testaceis.* m. f. — *Longitudo* fere 2 linearum. *Thorax* stramineus; metathorace scutello et prothoracis dorso nigris. *Abdomen* maris segmento 1 margine summo, 2 apice, 3 basi, stramineis; stylis duobus ani stramineis; *feminae* segmento 2 margine, 3 basi, 4 et 5 ventre, stramineis; reliquis testaceis. — Caetera sicut in specie genuina.

Marem cepi, mense Augusto, *Cudovae* domi ad fenestram, feminam prope *Scheidnich*, mense Majo in fruticeto.

4. *Prothorace toto testaceo, scutello rufo.* m. — *Longitudo* 1⅓ — paulo ultra 2 lineas. *Tho-*

rax testaceo - stramineus, metathorace vel toto vel solo dorso nigro; prothoracis dorso vel toto testaceo, vel limbo nigro, vel rufo aut testaceo lineis duabus nigris longitudinalibus. *Scutellum* rufum aut ferrugineum. *Abdomen* segmento 2 vel nigro, margine stramineo, vel stramineo basi nigra; 3 stramineo, interdum lateribus aut margine nigro; 4 nigro, dorso aut lateribus fusco aut piceo; sequentibus vel totis nigris, vel lateribus fuscis aut ferrugineis, vel 5 et 6 dorso piceo. *Styli* duo anales pallidestraminei. — Caetera sicut in mare genuino.

Mares nonnulli, circa *Warmbrunn Sickershausen* et *Genuam* capti, mecum communicati sunt.

5. *Segmentis posticis pallidemarginatis.* m. f. *Longitudo* maris 2½, feminae 2—3 linearum. *Caput* interdum facie nigra. *Antennae* fuscae, feminae interdum testaceoferrugineae articulo 1 supra nigro. *Thorax* totus niger. *Alae* areola suborbiculata petiolata. *Pedes* testacei aut testaceoferruginei; antici ut plurimum coxis et trochanteribus pallidioribus; postici plerumque coxis tarsis et tibiarum apice fuscis. *Abdomen* segmento 1 interdum margine summo stramineo; 2 margine stramineo; 3 vel stramineo, macula laterali nigra, vel nigro, linea longitudinali dorsali marginibusque stramineis; sequentibus nigris aut fuscis, margine summo substramineo, 4 interdum sicut 3 picto. *Aculeus* quartae partis abdominis longitu-

dine. — Mari quidem styli anales desunt, sed me persuasum habeo, hoc individuum illis partibus mutilatum vel monstrositatem per defectum esse.

Marem unicum accepi, circa *Norimbergam* captum, feminasque duas, circa *Vindobonam* et *Genuam* captas.

6. *Thorace toto nigro; abdomine stramineo, basi nigra.* f. — *Longitudo* 2¼ — 3¼ linearum. *Caput* nigrum, ore stramineo, interdum facie et orbitis oculorum omnibus ferrugineis. *Antennae* fuscae, subtus ferrugineae. *Alae* stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis. *Pedes* straminei; postici apice tibiarum, interdum quoque femorum, fusco. *Abdomen* segmento 1 interdum paulo breviore et latiore quam in femina genuina; 2 margine stramineo; 3 stramineo, interdum macula laterali fusca; reliquis totis stramineis. *Aculeus* quartae partis abdominis longitudine.

Duas feminas accepi, circa *Niesky* et *Warmbrunn* captas; haec minor, facie ferruginea, femoribus et segmento tertio totis stramineis, segmento 1 angustiore.

7. *Prothorace rufomaculato; abdomine rufo, basi nigra.* f. — *Longitudo* fere 2—3 linearum. *Caput* vel flavum, mandibularum apice, oculis, ocellis, occipiteque nigris, vel nigrum, ore clypeo et orbitis oculorum faciei frontisque flavis, facie ipsa ferruginea medio nigro; orbitis oculo-

rum externis semper rufis latis. *Antennae* vel fuscae, articulis 1 et 2 subtus stramineis; vel ferrugineae, articulo 1 nigro; vel rufae, articulo 1 fusco subtus testaceo; vel totae testaceae, superne obscuriores. *Thorax* prothorace rufo aut testaceo, macula pectorali, altera laterali, lineisque duabus vel tribus dorsalibus, interdum obsoletioribus, nigris, pectore interdum fere toto nigro aut rufo; metathorace nigro, interdum ante petiolum badio. *Scutellum* rufum aut testaceum. *Alae* et *pedes* sicut feminis plurimis genuinis. *Abdomen* segmento 2 apice aut margine rufo testaceove; sequentibus vel rufis, 3 interdum macula laterali nigra, vel testaceis, lateribus nigricantibus. *Aculeus* vaginis compressis subcultriformibus nigris, terebra tenui filiformi rufa.

Individua quaedam legi mense Majo circa *Vratislaviam*, mense Octobri in rubetis circa *Scheidnich;* duo, circa *Warmbrunn* et *Aboam* capta, ad me transmissa sunt.

8. *Testaceus; oculis ocellis et abdominis basi nigris.* m. — *Longitudo* 3 linearum. *Antennae* apicem versus sensim fuscae. *Scutellum* thorace pallidius. *Alae* hyalinae, nervis omnibus stramineis. *Abdomen* segmentis 1 et 2 nigrofuscis, 2 margine stramineo; stylis duobus analibus testaceis.

Unum marem *de Heyden* cepit circa *Trajectum ad Moenum.*

334. M. THORACICUS. n.

Prothorace et scutello rufis, pedibus fulvis, orbitis oculorum albidis. m. f. (*femina* segmentorum margine summo albido).

Statura et proportio partium antecedentis; an ejus varietas?

Longitudo $2\frac{2}{3}$ linearum. *Caput* orbitis oculorum externis et clypeo maris stramineis, feminae rufis; orbitis internis oreque albostramineis, mandibularum apice ferrugineo; facie nigra aut fusca, supra clypeum nonnunquam castanea. *Antennae* subfiliformes graciles, apice recurvae, corpore paulo breviores, fuscae, subtus interdum basin versus testaceis, articulo 1 toto nigro. *Thorax* gibbus castaneus; metathorace vel toto nigro, vel lateribus castaneo. *Scutellum* castaneum. *Alae* amplae hyalinae, radio fusco, stigmate radice et squamula stramineis. *Pedes* mediocres subgraciles, fulvi aut straminei. *Abdomen* capite thoraceque longius, vel eorum longitudine, thorace angustius, oblongoovatum nitidissimum; segmento 1 lagenaeformi laevi subfoveolato nigro, parte antica vix petiolo duplo latiore, sed ejus longitudine, latitudine duplo longiore; sequentibus maris totis nigris, secundo interdum margine summo albido, feminae tenuissimealbido-marginatis; 7 feminae ventre prominente, mari *stylis* duobus brevibus exsertis nigris. *Aculeus* quartae partis abdominis longitudine, niger compressus.

Mares duos *Nees ab Esenbeck* cepit circa *Sickershausen*, mense Octobri, in ericetis. Feminam cepit *Roentgen*, mense Iunio, in *Hercynia*.

Varietates:

1. *Prothorace rufonigroque maculato.* m. f. — *Longitudo* maris paulo ultra 3 lineas, feminae fere 3 linearum. *Caput* ore stramineo, mandibularum apice fusco; mari facie straminea, orbitis oculorum externis rufis; feminae clypeo et orbitis omnibus rufis. *Antennae* ferrugineae, articulo 1 feminae nigro. *Thorax* niger; prothoracis macula dorsali, altera ante alas, tertia laterali, lineolaque infra scutellum, rufis. *Scutellum* rufum. *Alae et pedes* sicut in specie genuina. *Abdomen* segmenti 2 margine summo, 3 dorso, mari testaceis, feminae badiis. *Styli* anales maris et *aculeus* feminae sicut in specie genuina.

Par hujus varietatis, in *Regione pedemontana* captum, *Bonelli* mecum communicavit.

2. *Facie et abdominis medio testaceis.* m. — *Longitudo* 3 linearum. *Caput* testaceoflavum, ore pallidiore, occipite et oculis nigris. *Antennae* rufae. *Thorax* prothorace et collo fulvis; metathorace rufo, macula dorsali nigra. *Scutellum* fulvum. *Alae* et *pedes* speciei genuinae respondent. *Abdomen* segmento 2 margine summo stramineo; 3 stramineo, macula laterali nigra; 4 dorso fusco. *Styli* duo anales fusci.

Hunc marem *Manger* cepit circa *Warmbrunn*.

335. M. TESTACEUS. n.

Testaceus; oculis et abdominis basi fuscis. m.

Statura et proportio partium *M. splendiduli*, n. 333; an ejus varietas?

Longitudo $2\frac{1}{3}$ — 3 linearum. *Caput* oculis ocellis et apice mandibularum fuscis. *Antennae* corporis longitudine apice incurvae. *Alae* hyalinae, stigmate et radio stramineis aut piceostramineis, radice et squamula albidis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, vel paulo longius, thorace angustius, apicem versus ventre subcompressum truncatum; segmento 1 vel toto fusco, vel testaceo petioli basi fusca, apicem versus sensim dilatato, tuberculis lateralibus in medio sitis; 2 vel fusco, apice testaceo, vel testaceo, basi fusca; sequentibus totis testaceis. *Styli* duo anales testacei, sextae partis abdominis longitudine.

Unum marem cepit *Manger* circa *Warmbrunn*; alterum, eumque majorem, abdominis basi obscuriore, in *Hercynia* captum, vidi in museo *Comitis de Hoffmannsegg*.

336. M. SCUTELLATUS. n.

Abdomine subpetiolato, segmenti secundi margine testaceo; pedibus fulvis; pectore et scutello rufis; facie flava. m.

Haec species a reliquis hujus familiae, segmento primo breviore latiore subpetiolato, satis differt.

Longitudo fere 4 linearum. *Caput* ore facie et genis pallideflavis. *Antennae* graciles, corporis longitudine, obscuroferrugineae, articulis 1 et 2 nigris. *Thorax* gibbus; pectore, mesothoracis lateribus et colli parte infera rubricosis. *Scutellum* rubricosum. *Alae* amplae subhyalinae, stigmate stramineo, radio fusco, radice et squamula albidis. *Pedes* graciles; anteriores straminei, femoribus fulvis, unguibus fuscis; postici fulvi, tibiis stramineis apice fusco, tarsis fuscis. *Abdomen* thorace duplo longius et paulo angustius, fusiforme, segmento 1 apicem versus sensim dilatato, latitudine plus duplo longiore, subcanaliculato, parte antica paulo longiore quam petiolus; 2 margine stramineo; 3 vitta dorsali piceostraminea. *Styli* anales duo graciles, sextae partis abdominis longitudine.

Unicum cepi individuum, mense Iunio, in gramine prope *Scheidnich.*

337. M. POLITUS. n.

Pedibus oreque testaceis. m. f. (*mas* facie et basi antennarum testaceis; *femina* femoribus posticis fulvis).

Longitudo maris $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{4}$, feminae 3 linearum. *Caput maris* testaceum, occipite vertice oculisque nigris, interdum orbitis oculorum externis rufescentibus; *feminae* clypeo ore genisque testaceis, apice mandibularum fusco (de oris partibus conferas notam, huic speciei subjunctam).

Antennae graciles subsetaceae, corpore paulo longiores, apice incurvae, fuscae, subtus fuscoferrugineae, articulis 1 et 2 maris subtus pallidioribus aut stramineis. *Thorax* gibbus nitidus. *Scutellum* subelevatum, feminae apice obsolete-badium. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula albostramineis. *Pedes* mediocres testacei; postici feminae rufofulvi, apice tibiarum nigricante, tarsis fuscoferrugineis. *Abdomen* maris capite thoraceque longius et angustius, oblongoovatum; feminae paulo brevius pauloque angustius quam mari; segmento 1 lagenaeformi laevissimo, parte antica latitudine duplo longiore, duploque latiore quam petiolus, hujus autem longitudine, interdum margine summo subcastaneo et petioli basi fulva; 2 margine summo rufescente. *Styli* duo anales maris quartae partis abdominis longitudine, picei. *Aculeus* longitudine tertiae partis abdominis, niger, terebra rufa.

Mares duos cepi, mensibus Iunii et Iulii, *Barterodae* in fruticetis; feminam, die 22 Maji, in horto prope *Gottingam*.

Nota:

Antennarum et *oris* descriptio accuratior, auctore *Nees ab Esenbeck*, haec est:

Antennae filiformi-setaceae graciles, articulis 43 aut 44: Radicula brevi subglobosa; scapo subcylindrico, basi parum angustiore, congenerum ratione habita longiori et minus incrassato, apice parum obliquo et minus excavato; pedicello brevi

exserto truncato-conico, cum articulo quarto (accessorio) annuliformi indistincto; reliquis articulis cunctis cylindricis, apicem antennae versus modice decrescentibus, pubescentibus, distinctis; 5 longissimo; ultimo brevi acuto.

Clypeus ab hypostomate omnino non discretus, utrimque foveola longitudinali excurrente depressus, margine antico rotundato. — *Labrum* plane reconditum. — *Mandibulae* breves latae planae, basin versus parum ampliatae, apice excisae, dentibus brevibus subaequalibus acutiusculis. — *Maxillae* labii longitudine, idque arcte complectentes: *Stipes* tenuis membranaceo-corneus, pellucidus planiusculus oblongus, apice extrorsum obliquus, basin versus angustatus, glabriusculus: *Mala* stipite parum brevior, membranacea biarticulata; articulo infero subcordato, apice sinuato rotundato, maximam partem libero, obliquo, vix introrsum prodeunte, basi connato; supero majore subquadrato rotundato ciliato concavo. — *Palpi maxillares* mala triplo et ultra longiores, filiformes graciles pellucidi pilosi quinquearticulati; articulo 1 clavato subtruncato; 2 cultriformi, primi longitudine, et paulo crassiori; 3—5 tenuibus filiformibus longioribus, sibi invicem aequalibus, ultimo acuto. — *Labium: Mentum* obconicum planiusculum membranaceo-corneum, apice truncatum, utrimque sub palpis acute et profunde unidentatum: *Lingua* mento dimidio brevior, ascendens subrectangula membranacea, apice emarginata, laciniis rotundatis deflexis nudis. — *Palpi*

labiales filiformes, lingua duplo longiores, pilosi, quadriarticulati; articulis inaequalibus pellucidis; 1 obconico; 2 latiori brevi obconico, basi et apice truncato, angulo interiori magis producto, margine supero praesertim longe-ciliato; 3 et 4 clavatis, hoc obtusiusculo; ratio longitudinis 3. 1. 4. 2.

338. M. ALARIUS. n.

Testaceofulvus; oculis antennis et abdominis apice nigricantibus. m.

Longitudo 7 linearum. *Caput* apice mandibularum et vertice nigris, oculis fuscis. *Antennae* fere corporis longitudine, nigrae, subsetaceae, apice subcurvatae; articulo 1 toto testaceo; 2—8 subtus testaceis, sensim obscurioribus. *Thorax* gibbus. *Alae* mediocres subhyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula testaceis; areola triangulari irregulari subsessili, minore quam in plurimis hujus familiae speciebus. *Pedes* graciles. *Abdomen* capite thoraceque duplo longius, thorace angustius, apicem versus vix subcompressum; segmento 1 lagenaeformi, parte antica vix duplo latiore quam petiolus, ejus autem longitudine, latitudine fere duplo longiore; 2—5 aequilatis; 4 et 5 fuscotestaceis, margine nigro; sequentibus nigris. *Styli* duo anales nigri.

Unicum marem cepi, mense Iulio, in umbellatis prati prope *Gottingam*.

FAMILIA XII,

seu subgenus:

PLECTISCUS,

verbum diminutivum a πλήκτης, percussor — percussor parvus; quia individua plurima familiae hujus perparva sunt.

Abdomine subsessili aut subpetiolato, rarissime petiolato; areola vel nulla vel obliqua, interioris nervo inferiore plerisque recto; antennis pedibusque gracilibus.

Corpus parvum nitidum. — *Caput* breve transversum. — *Oculi* magni prominentes, ovales aut subglobosi. — *Antennae* graciles, porrectae aut curvatae, saepe corporis longitudine. *Thorax* gibbus aut gibbulus. — *Scutellum* triangulare convexum. — *Alae* amplae teneres; areola vel nulla vel obliquetransversa quadrangulari, interdum petiolata aut obsoleta; cellulae interioris nervo inferiore exteriore plerisque recto aut subarcuato, rarius vero angulato. — *Pedes* graciles. — *Abdomen* laeve, nitidum, petiolatum aut subsessile, ovatum, aut fusiforme, aut sublineare; his depressiusculum; illis apicem versus compressum aut subcompressiusculum simulque (v. c. *Pl. collari* et *zonato*), a latere visum, vel elongato-clavatum vel ovato-orbiculatum; aliis thorace longius et angustius, aliis ejus longitudine et latitudine. Segmentum primum plerisque basin versus sensim angustatum; paucis, e. g. *collari* et *zonato*, lineare, vel petiolo parum angustiore, his etiam tubercula lateralia in medio segmenti prominent, cum in reliquis cospeciebus basi propius sita sunt. — *Aculeus* exsertus, interdum longitudine abdominis, *Plectisco pallipedi* autem brevissimus.

De relationibus hujus familiae ad *Tryphones, Hemiteles* et *Mesochoros*, supra jam locutus sum. — Species apice abdominis subcompresso, v. c.

Pl. flavopictus et *zonatus*, ad *Bassos* adpropinquant, sed forma segmenti primi, vel basin versus sensim angustati, vel linearis et tuberculis lateralibus in medio sitis, differunt. Eadem segmenti primi forma vero etiam species abdomine depressiusculo, v. c. *Pl. impurator*, a quibusdam Bassis minoribus tenerioribusque, e. g. a *Basso exsultante, sulcatore* etc., discernuntur. — Etiam *Orthocentris* Plectisci adpropinquant, multaeque species, nunc inter Orthocentros collocatae, scilicet *O. flaviceps, debilis, incisus, ridibundus, fulvipes*, antea cum Plectiscis conjunctae fuerant. — Quaedam feminae *Campoplegum*, aculeo longiore, ad Plectiscos propius accedere videntur, sed parte antica segmenti primi latiore differunt, cum in Plectiscorum feminis segmentum primum sublineare est, sicut mari *Campoplegis panisci*. Plectisci illi vero etiam habitu toto, abdomine tanquam molliore, alis amplis, areola oblique-transversa petiolata, distincti sunt. — Plectisci abdomine petiolato subcompresso, scilicet *collaris* et *zonatus*, a speciebus pluribus *Porizonum* abdomine magis compresso, v. c. ab *harpuro*, differunt areola transversa, et nervo inferiore exteriore cellulae internae arcuato aut angulato, qui in Porizonibus rectus et brevis est.

---

339. P. PALLIPES. n.

Limbo abdominis et basi antennarum fulvis; pedibus et facie stramineis. f.

Longitudo 1 lineae. *Caput* ore, facie, orbitis oculorum frontalibus, et parte inferiore genarum, flavostramineis. *Antennae* filiformes; articulis 1 et 2 flavofulvis, sequentibus fuscis subtus stramineotestaceis (ultimis deficientibus). *Thorax* gibbus nitidus, collo et prothoracis lateribus, inter alas et collum, flavostramineis. *Alae* subamplae, hyalinae, irideae; stigmate et radio pallidepiceis, radice et squamula stramineoflavis; areola nulla, vel potius incomplete-quinqueangulari, nervo exteriore deficiente. *Pedes* mediocres, subgraciles, pallidestraminei, coxis et trochanteribus pallidioribus. *Abdomen* ovatum depressiusculum subpetiolatum nitidissimum, vix capitis thoracisque longitudine, thoracis latitudine; segmento 1 basin versus angustato, latitudine paululum longiore, parte antica transversali, paulo breviore quam petiolus, toto nigro; 2 et 3 nigris, lateribus rufofulvis; sequentibus totis rufofulvis. *Aculeus* exsertus brevissimus niger.

Unicum individuum *fennicum Sahlbergio* debeo.

Nota:

Haec species, propter areolam incomplete-quinqueangularem, familiae sextae adpropinquat;

segmento primo autem latiore et subpetiolato differt. Hoc segmentum latius est et minus petiolatum quam in *Cr. vicino, fulvipede* et *melanario* familiae sextae.

340. P. IMPURATOR. n.

Abdominis medio, pedibus, ore, antennarumque basi, stramineis; thorace castaneo- aut stramineo-maculato. m. f. (*Mas* facie straminea).

Longitudo 1—1⅓ linearum. *Caput* ore et clypeo stramineis, facie maris straminea, feminae piceofusca. *Antennae* graciles filiformes, corporis longitudine aut paulo breviores, subcurvatae; articulo 1 et proxime sequentibus, interdum omnibus, subtus stramineis. *Thorax* gibbus; prothorace dorso et lateribus fuscis aut castaneis, his nonnunquam testaceis, metathorace fusco, lateribus interdum castaneis; thorax maris interdum testaceus, dorso prothoracis et metathoracis nigrofusco, regione circa scutellum stramineofulvo. *Scutellum* badium, maris rarius stramineofulvum. *Alae* amplae hyalinae; stigmate subhyalino-stramineo, radio fusco, tenuissime ciliato, ciliis interdum detritis, radice et squamula stramineis, nervis subtilibus. *Pedes* straminei graciles, maris graciliores. *Abdomen* maris gracilius quam feminae; capitis thoracisque longitudine vel paulo longius; mari thorace angustius, fusiforme aut lineare;

feminae thoracis latitudine, oblongoovatum, nigrofuscum; segmento 3 stramineo, nonnunquam lateribus obscurioribus aut fuscis; 4 plerumque sicut 3, rarius toto nigro; sequentibus nigricantibus aut piceis, rarius stramineis, ano semper obscuriore; 1 apicem versus sensim dilatato, subpetiolato, canaliculato, latitudine duplo longiore. *Aculeus* vix subexsertus, fuscus.

Quidam mares et feminae, circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* lecti, ad me transmissi sunt.

341. P. FLAVOPICTUS. n.

Abdominis medio pedibusque stramineis, tarsis posticis et tibiarum posticarum apice fuscis; facie nec non thoracis et scutelli picturis flavis.

Longitudo 2 linearum. *Caput* facie oreque pallideflavis. *Antennae* graciles filiformes subcurvatae, corporis longitudine, fuscae, articulo 1 subtus stramineo. *Thorax* gibbulus; collo, prothoracis lateribus antice pone collum, interdum quoque punctis duobus lateralibus, albidis. *Scutellum* lateribus albidis. *Alae* amplae hyalinae, stigmate et radio piceofuscis, squamula et radice albidis. *Pedes* subgraciles; anteriores albidostraminei; postici testaceostraminei aut fulvi, tarsis et tibiarum apice fuscis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, sublineare, versus apicem compressum; segmento 1 laevi,

apicem versus sensim paulo dilatato, latitudine triplo longiore; 3 et 4 testaceis, 4 interdum dorso fusco.

Individua duo sexus incerti, ut videtur autem mares, circa *Warmbrunn* et *Genuam* capta, accepi.

342. ZONATUS. n.

Segmentis 2 et 3 testaceocinctis; pedibus stramineis, posticorum tarsis et tibiarum apice fuscis; ore et antennarum basi subtus testaceis. m. f.

Longitudo maris 1 ⅓, feminae 1 ⅔ — fere 2 linearum. *Caput* ore substramineo aut rufescente. *Antennae* graciles filiformes porrectae, feminae fere corporis longitudine, maris paulo longiores, subtilissime pilosellae; mari articulis 1—3 subtus piceostramineis, feminae articulo 1 solo subtus stramineo aut rufescente. *Thorax* gibbulus. *Alae* amplae hyalinae irideae, stigmate et radio piceis aut piceofuscis, radice et squamula stramineis aut piceis; areola vel omnino nulla vel obliquetransversa subpetiolata obsoletissima, nervo exteriore vix conspicuo, mari in ala dextra nulla, in sinistra obliquerectangula. *Pedes* graciles straminei; postici tarsis et tibiarum apice, interdum etiam latere supero femorum, mari quoque tibiarum, fuscescentibus. *Abdomen maris* capite thoraceque paulo longius, thoracis latitudine, petiolatum, subfusiforme; segmento 1 lineari angusto; 2 margine,

3 dorso, testaceostramineis; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, subpetiolatum, fusiforme aut oblongoovatum, apicem versus plus minus compressum; segmento 1 sublineari, canaliculato, parte antica fere latitudine triplo longiore, vix paulo latiore quam petiolus, hujus autem longitudine; 2 margine testaceo aut stramiueo; 3 vel stramineo, cingulo fusco, vel nigro basi subtestacea. *Aculeus* niger, dimidii abdominis longitudine.

Marem unicum cepi, die 28 Septembris, prope *Trajectum ad Viadrum*, in loco herbaceo frutetoso aprico volitantem. Feminae duae circa *Warmbrunn* et *Sickershausen* captae sunt.

Varietas:

1. *Pedibus totis testaceis, segmentis posticis piceomarginatis.* f. — *Longitudo* 1⅓ linearum. *Antennae* articulis 1—3 subtus stramineis. *Alae* radice et squamula stramineis; areola obliquetransversa petiolata. *Pedes* toti testacei. *Abdomen* valde compressum, a latere visum ovatum, fusconigrum, segmentis 2—7 marginibus subpiceis. *Aculeus* dimidii abdominis longitudine vel paulo longior, subsursumcurvatus.

Unicam feminam, circa *Genuam* captam, *a Spinola* mecum communicavit.

343. P. ALBIPALPUS. n.

Abdominis medio, ore, antennarum basi, pedibusque, stramineis; horum posticis tarsis et tibiarum apice fuscis. m. f. (*mas* antennis subdenticulatis).

Statura et proportio partium, antennae quoque denticulatae, mari sicut in *Pl. erythrostomate*, n. 345, a quo hic autem, praeter picturam, etiam forma areolae, pedibusque paulo crassioribus, differt.

Longitudo maris 1 ⅓, feminae 2 linearum, vel paulo minor. *Caput* ore stramineo; facie feminae vel testacea, macula fusca, vel nigra aut fusca, macula utrimque sub antenna piceostraminea, interdum obsoleta. *Antennae* corporis longitudine porrectae, articulis 1—3—4 subtus stramineis. *Thorax* gibbus, feminae interdum suturis lateralibus substramineis. *Alae* amplae hyalinae, radio et stigmate piceis, radice et squamula albidis aut stramineis; areola obliquetransversa subpetiolata. *Pedes* mediocres straminei; postici tarsis et tibiarum apice summo subfuscescentibus. *Abdomen maris* segmentis 2 et 3 dorso testaceis; *feminae* capitis thoracisque longitudine et latitudine, subsessile, ovatum aut oblongum; segmento 1 versus apicem sensim dilatato, latitudine longitudinis, interdum margine stramineo; 2 vel nigro, apice aut disco testaceo, vel testaceo basi summa nigra;

3 disco aut basi testaceo. *Aculeus* abdominis longitudine.

Marem et feminam *Manger* cepit circa *Warmbrunn;* aliae feminae, circa *Vratislaviam Sickershausen* et *Parmam* captae, mecum communicatae sunt.

Nota:

Nees ab Esenbeck mihi scripsit, se prope *Sickershausen* marem quoque cepisse; hunc quidem retinuit, in literis autem his verbis descripsit: *Longitudo* 2 linearum. *Caput* ore et facie stramineis. *Thorax* lateribus et pectore stramineis. *Abdomen* capite thoraceque paulo longius et angustius, subfusiforme; segmento 2 apice, 3 toto, 4 basi, stramineis. — An hic mas cum nostro conjungendus sit, nescio.

344. P. COLLARIS. n.

Pedibus collo et abdomine stramineis, hoc basi nigro; ore fulvo. f.

Longitudo 2⅔ linearum. *Caput* oculis magnis; ore fulvo, palpis albidis. *Antennae* porrectae filiformes, corpore breviores, fuscae; subtus articulis 1 et 2 fulvis, reliquis fuscoferrugineis. *Thorax* gibbus, collo stramineo, macula laterali, inter alas et collum, ferruginea. *Alae* subamplae hyalinae, stigmate et radio fuscis, radice et squamula stramineis; areola obliquetransversa subpetiolata.

Pedes graciles fulvostraminei. *Abdomen* capite thoraceque vix paulo longius, apice compressum, dorso fusiforme; segmento 1 parte antica longiore quam petiolus, latitudine duplo longiore, basi vix paulo latiore quam petiolus, a medio versus apicem autem sensim paululum dilatata; 2 fusco, margine stramineo; reliquis stramineis, 4—7 dorso fuscescente. *Aculeus* dimidio abdomine paulo longior.

Unicam feminam, sub fungis circa *Sickershausen* captam, *Nees ab Esenbeck* mihi misit.

345. P. ERYTHROSTOMA.

Abdominis incisuris 1 et 2 pedibusque testaceis, coxis fuscis; antennis subdenticulatis. m.

Longitudo 1⅓—1⅔ linearum. *Caput* ore ferrugineofusco. *Antennae* porrectae filiformes, corpore paulo longiores; articulis intermediis latere altero subemarginatis aut dente parvo acutiusculo armatis. *Thorax* gibbulus. *Alae* hyalinae irideae, stigmate et radio piceostramineis, radice et squamula flavis; areola nulla. *Pedes* graciles testacei, postici interdum paulo obscuriores; coxis nigrofuscis, anterioribus vel totis, vel apice, testaceis. *Abdomen* capitis thoracisque longitudine, thorace angustius, sublineare subsessile nitidum, apicem versus compressiusculum; segmento 1 basin versus sensim paulo angustato, latitudine fere duplo longiore; incisuris 1 et 2 piceis.

Individua quinque *Manger* legit circa *Warmbrunn;* unum, idque minimum, denticulis antennarum distinctioribus, pedibus obscurioribus, *Nees ab Esenbeck* circa *Sickershausen* cepit.

Synonyma:

Ichn. erythrostoma Gmel. ed. Linn. pag. 2721, n. 396.

Nota:

Ex individuis warmbrunnensibus unum, abdominis apice paulo crassiore, styloque parvo acuto subexserto ani, a reliquis differt; an femina?

Typis Grassii Barthii et Sociorum.

